This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Digitized by Google

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT
900000067290
Digitized by Google

Digitized by Google

Phil. 87

Philos. 87

Digitized by Google

PHILOSOPHIA MORALIS SIVE ETHICA,

METHODO SCIENTIFICA PERTRACTATA.

PARS QUINTA, SIVE ULTIMA,

IN QUA AGITUR

DE

VIRTUTIBUS, QUIBUS PRAXIS OFFICIORUM ERGA ALIOS CONTINETUR.

AUTORE

CHRISTIANO L. B. DE WOLFF,

POTENTISSIMI BORRUSSORUM REGIS CONSILIARIO INTIMO, FRIDERICIANÆ CANCELLARIO ET SENIORE, JURIS NATURÆ ET GENTIUM ATQUE MATHESEOS PROFESSORE ORDINARIO, PROFESSORE PETROPOLITANO HONORARIO, ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM PARISINÆ, LONDINENSIS AC BORUSSICÆ ET INSTITUTI BONONIENSIS MEMBRO.

CUM PRIVILEGIIS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

PROSTAT IN OFFICINA LIBRARIA RENGERIANA

MDCCLIII.

Digitized by Google

[illegible]

H

METHODO SCIENTIFICA
PERTRACTATA.
PARS QUINTA, SIVE ULTIMA,
IN QUA AGITUR
DE
VIRTUTIBUS, QUIBUS PRAXIS
OFFICIORVM ERGA ALIOS
CONTINETUR.

AUTORE
CHRISTIANO L. B. DE WOLFF,
POTENTISSIMI BORUSSORUM REGIS CONSILIARIO INTIMO, FRIDERICIANAE CANCELLARIO ET SENIORE, IURIS NATURAE ET GENTIUM ATQUE MATHESEOS PROFESSORE ORDINARIO, PROFESSORE PETROPOLITANO HONORARIO, ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARUM PARISINAE, LONDINENSIS AC BORUSSICAE ET INSTITUTI BONONIENSIS MEMBRO.

CUM PRIVILEGIIS.

[illegible]

PRÆFATIO.

Prodit tandem Tomus ultimus Ethicæ, in quo explicantur virtutes, quibus praxis officiorum erga alios continetur. *Ariſtotelici* in earum cenſum referunt manſuetudinem, veracitatem, humanitatem, urbanitatem & juſtitiam. Manſuetudini opponunt vitia in exceſſu & defectu iracundiam, amaritudinem, crudelitatem atque ἀοργησίαν, ſeu iraſcendi impotentiam; veracitati nugationem, oſtentationem, mendacium atque diſſimulationem; huma-

nitati, cui affinis amicitia, blanditiem & adulationem atque moroſitatem & amorem contentionis; urbanitati ſcurrilitatem atque ruſticitatem; juſtitiæ denique injuſtitiam. Verſatur manſuetudo circa iram, veracitas circa ſermonem, humanitas circa converſationem, urbanitas circa jocoſa, juſtitia denique circa rerum diſtributionem in ſocietate civili & circa commutationem & omnes contractus, in quibus injuria cuiquam fieri poteſt. Dicuntur autem virtutes iſtæ excepta juſtitia homileticæ, quia in civili converſatione locum habent. *Ariſtoteles* itaque potiſſimum intendit, ut recte nos geramus in converſatione cum aliis & quando nobis cum aliis negotium intercedit. Enimvero cur nobis viſum fuerit a doctrina Ariſtotelica recedere, nec preſſo pede eundem ſequi, rationem jam reddidimus in præfatione ad Tomum præcedentem. Nimirum cum Virtutes ſint habitus actiones ſuas legi naturæ conformandi, eas pro diverſitate officiorum erga alios diviſimus & nomina convenientia, quantum fieri potuit, accommodavimus: neque enim vulgus, quod vocabula invenit, prouti res obviæ ipſis ſeſe obtulerunt, ratione ſingulas diſcrevit & ad certas ſpecies reduxit. Omnia officia erga alios ab amore aliorum juxta

 legem

ſegem naturæ ordinato pendent. Quamobrem cum habitus amorem legi naturæ, ſeu rationi conformandi charitas ſit; de charitate primo loco egimus, tanquam baſi omnium virtutum ceterarum, quæ reſpiciunt alios. Charitas cum diſponat animum ad officia aliis præſtanda; hanc ipſam pronitatem & facilitatem humanitatem appellare libuit, quatenus vero voluntatem conſtantem ac perpetuam efficit, ut, oblata occaſione aliis inſerviendi, ad præſtanda officia parati ſimus eaque prompte præſtemus, huic ipſi promptitudini officioſitatis nomen indidimus. Et quoniam amicitia conſiſtit in animorum conjunctione mutuo amore facta, quam lex naturæ urget, ideo tractationi de charitate, ſeu amore atque dilectione aliorum, indeque pendente humanitate & officioſitate, de amicitia egimus. *Jam* officia ſpecialia verſantur vel circa dationes gratuitas, vel circa honorem, vel circa decorum, vel circa ſermonem, vel circa injurias, vel circa ea, ad quæ alteri jus quoddam perfectum vel imperfectum competit, ac ideo virtutem, quæ dirigit dationes gratuitas vocavimus liberalitatem & reſpectu miſerorum miſericordiam; quæ dirigit honorem alteri tribuendum Comitatem; quæ dirigit ſermonem Veracitatem, quatenus

nitati, cui affinis amicitia, blanditiem & adulationem atque moroſitatem & amorem contentionis; urbanitati ſcurrilitatem atque ruſticitatem; juſtitiæ denique injuſtitiam. Verſatur manſuetudo circa iram, veracitas circa ſermonem, humanitas circa converſationem, urbanitas circa jocoſa, juſtitia denique circa rerum diſtributionem in ſocietate civili & circa commutationem & omnes contractus, in quibus injuria cuiquam fieri poteſt. Dicuntur autem virtutes iſtæ excepta juſtitia homileticæ, quia in civili converſatione locum habent. *Ariſtoteles* itaque potiſſimum intendit, ut recte nos geramus in converſatione cum aliis & quando nobis cum aliis negotium intercedit. Enimvero cur nobis viſum fuerit a doctrina Ariſtotelica recedere, nec preſſo pede eundem ſequi, rationem jam reddidimus in præfatione ad Tomum præcedentem. Nimirum cum Virtutes ſint habitus actiones ſuas legi naturæ conformandi, eas pro diverſitate officiorum erga alios diviſimus & nomina convenientia, quantum fieri potuit, accommodavimus: neque enim vulgus, quod vocabula invenit, prouti res obviæ ipſis ſeſe obtulerunt, ratione ſingulas diſcrevit & ad certas ſpecies reduxit. Omnia officia erga alios ab amore aliorum juxta

legem naturæ ordinato pendent. Quamobrem cum habitus amorem legi naturæ, ſeu rationi conformandi charitas ſit; de charitate primo loco egimus, tanquam baſi omnium virtutum ceterarum, quæ reſpiciunt alios. Charitas cum diſponat animum ad officia aliis præſtanda; hanc ipſam pronitatem & facilitatem humanitatem appellare libuit, quatenus vero voluntatem conſtantem ac perpetuam efficit, ut, oblata occaſione aliis inſerviendi, ad præſtanda officia parati ſimus eaque prompte præſtemus, huic ipſi promptitudini officioſitatis nomen indidimus. Et quoniam amicitia conſiſtit in animorum conjunctione mutuo amore facta, quam lex naturæ urget, ideo tractationi de charitate, ſeu amore atque dilectione aliorum, indeque pendente humanitate & officioſitate, de amicitia egimus. *Jam* officia ſpecialia verſantur vel circa dationes gratuitas, vel circa honorem, vel circa decorum, vel circa ſermonem, vel circa injurias, vel circa ea, ad quæ alteri jus quoddam perfectum vel imperfectum competit, ac ideo virtutem, quæ dirigit dationes gratuitas vocavimus liberalitatem & reſpectu miſerorum miſericordiam; quæ dirigit honorem alteri tribuendum Comitatem; quæ dirigit ſermonem Veracitatem, quatenus

 loquen-

loquendum, taciturnitatem, quatenus ſilendum; quæ dirigit decorum, urbanitatem; quæ moderatur iræ circa injurias, manſuetudinem, & denique quæ actiones circa jus aliis tribuendum perfectum dirigit, juſtitiam, quæ circa jus imperfectum verſatur, æquitatem. Hiſce autem virtutibus junximus vitia iisdem oppoſita. Atque ita ſufficienter oſtendimus, quomodo actiones noſtræ reſpectu aliorum legi naturæ convenienter dirigantur & præcaveatur, ne eidem contraria ratione determinentur. Crevit opus hoc morale in majorem molem, propterea quod ſingulas propoſitiones demonſtrare voluimus, cum maximum momentum in praxi morali habeat evidentia, quæ intellectum ad aſſenſum cogit, qui voluntatem determinare debet adverſus impetum appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ, quo in contrariam partem impellitur. Quamvis vero non defuturi ſint, qui nimiam prolixitatem accuſabunt; non tamen omnia diximus, quæ dici poterant, ſed multa aliorum induſtriæ relicta ſunt, qui ulterius progredi voluerint, modo principiis noſtris utantur & methodum poteſtati ſuæ ſubjecerint, & ut prolixitatem, quantum fieri poterat, evitaremus, multa in ſcholiis ideo prolixioribus addidimus, & in iis ſimul docuimus, quomodo

modo ulterius ſit progrediendum. Commendavimus quoque eo fine analyſin moralem actionum humanarum, quas ſollicita obſervatio nobis ſuggerit. Sæpius autem jam monuimus, nos non philoſophari ad pompam vanæ gloriæ ſtudioſos, quæ tanquam merces laboris ſpectanda ſit, ſed id unice intendere, ut veritas humano generi utilis propagetur, & theſaurus ejus ab aliis augeatur. Quodſi voti noſtri facti fuerimus compotes, non defuturos confidimus, qui noſtris multo præclariora daturi ſunt: neque enim unius hominis eſt omnia perficere, & qui ulterius progrediuntur, ad magis abdita perveniunt. Niſi *Euclides* Geometriam elementarem dediſſet, Mathematici ad cetera ſine iis non perveniſſent, nec Geometria ad tantum faſtigium promota fuiſſet, ad quam hodie eam evectam videmus, & niſi *Leibnitius calculum* differentialem inveniſſet, nec alii induſtriam ſuam in hoc calculo exercere eumque novis artificiis integrandi formulas differentiales augere potuiſſent, qui ne per ſomnium quidem de hiſce augmentis cogitaſſent. Ego de philoſophia morali, quæ in ſcholis nimis jejuna docebatur, excolenda jam adoleſcens cogitavi. Quoniam audiebam prædicari evidentiam in Elementis *Euclidis*, & aliorum Mathematicorum ſcriptis,

qui

loquendum, taciturnitatem, quatenus ſilendum; quæ dirigit decorum, urbanitatem; quæ moderatur iræ circa injurias, manſuetudinem, & denique quæ actiones circa jus aliis tribuendum perfectum dirigit, juſtitiam, quæ circa jus imperfectum verſatur, æquitatem. Hiſce autem virtutibus junximus vitia iisdem oppoſita. Atque ita ſufficienter oſtendimus, quomodo actiones noſtræ reſpectu aliorum legi naturæ convenienter dirigantur & præcaveatur, ne eidem contraria ratione determinentur. Crevit opus hoc morale in majorem molem, propterea quod ſingulas propoſitiones demonſtrare voluimus, cum maximum momentum in praxi morali habeat evidentia, quæ intellectum ad aſſenſum cogit, qui voluntatem determinare debet adverſus impetum appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ, quo in contrariam partem impellitur. Quamvis vero non defuturi ſint, qui nimiam prolixitatem accuſabunt; non tamen omnia diximus, quæ dici poterant, ſed multa aliorum induſtriæ relicta ſunt, qui ulterius progredi voluerint, modo principiis noſtris utantur & methodum poteſtati ſuæ ſubjecerint, & ut prolixitatem, quantum fieri poterat, evitaremus, multa in ſcholiis ideo prolixioribus addidimus, & in iis ſimul docuimus, quo-

modo

Digitized by Google

modo ulterius ſit progrediendum. Commendavimus quoque eo fine analyſin moralem actionum humanarum, quas ſollicita obſervatio nobis ſuggerit. Sæpius autem jam monuimus, nos non philoſophari ad pompam vanæ gloriæ ſtudioſos, quæ tanquam merces laboris ſpectanda ſit, ſed id unice intendere, ut veritas humano generi utilis propagetur, & theſaurus ejus ab aliis augeatur. Quodſi voti noſtri facti fuerimus compotes, non defuturos confidimus, qui noſtris multo præclariora daturi ſunt: neque enim unius hominis eſt omnia perficere, & qui ulterius progrediuntur, ad magis abdita perveniunt. Niſi *Euclides* Geometriam elementarem dediſſet, Mathematici ad cetera ſine iis non perveniſſent, nec Geometria ad tantum faſtigium promota fuiſſet, ad quam hodie *eam* evectam videmus, & niſi *Leibnitius calculum* differentialem inveniſſet, nec alii induſtriam ſuam in hoc calculo exercere eumque novis artificiis integrandi formulas differentiales augere potuiſſent, qui ne per ſomnium quidem de hiſce augmentis cogitaſſent. Ego de philoſophia morali, quæ in ſcholis nimis jejuna docebatur, excolenda jam adoleſcens cogitavi. Quoniam audiebam prædicari evidentiam in Elementis *Euclidis*, & aliorum Mathematicorum ſcriptis, qui

qui principiis *Euclidis* feliciter uſi; ad methodum illam intimius perſpiciendam animum appuli, cumque intelligerem, eam in praxi veræ Logicæ conſiſtere, hanc operi morali præmittendam eſſe ſtatui. Ac ideo ſæpius jam monui, me methodi ſaltem cauſa Matheſi operam navaſſe, non ut aliquod nomen inter Mathematicos haberem, ac ideo alios ád Matheſin addiſcendam perducere ſtudui, ut ad praxin veræ Logicæ præparentur: neque enim aliter ſtudio Matheſeos perficitur rectus intellectus uſus, quam accurata obſervatione eorum, quæ in methodo *Euclidea* occurrunt. Enimvero methodus ſe habet per modum inſtrumenti, quo utitur opifex: quemadmodum vero hic indiget materia, ut opus perficiat, ita quoque videbam, opus eſſe principiis aliunde petendis, ſi veritates morales demonſtrandæ ſint. Cum virtus ſit voluntatis habitus, cujus determinatio ab intellectu pendet, & cum qua appetitus ſenſitivus una cum averſatione ſenſitiva ad conſenſum reducendus; Pſychologia præmittenda erat. Et quoniam ad virtutem quoque ſpectat praxis officiorum erga Deum; ejus cauſa excolenda erat Theologia naturalis; id quod fieri non poterat ſine coſmologia generali, quam etiam tranſcendentalem appellare ſoleo, non confundenda cum ſpeciali,

ciali,

ciali, quæ deſcriptionem hujus, qui exiſtit, mundi continet atque Phyſicæ quædam pars eſt. Hæc vero ratio eſt, cur eam Metaphyſicæ quandam partem fecerim Theologiæ naturali præmittendam: cujus etiam deinceps neceſſitatem & utilitatem in Pſychologia rationali perſpexi, quam ab empirica diſtinxi, quæ in cognitione animæ a poſteriori acquieſcit. Animadverti autem, in diſciplina nulla ſatis tuto nos progredi poſſe, niſi notionibus diſtinctis de ente in abſtracto mens imbuta fuerit, ac ideo ab Ontologia ordiendum erat. Denique cum virtus ſit habitus actiones ſuas legi naturæ conformandi, conſequenter Ethicæ theoria in Jure naturæ contineatur; Jus quoque naturæ eidem præmittendum erat. Apparet itaque, quomodo ſtudium excolendi philoſophiam moralem me deduxerit ad reformationem Philoſophiæ Scholaſticæ, quam in adoleſcentia didiceram, ſed quæ animo ſciendi cupido parum ſatisfaciebat. Atque hæc ſunt conſilia, quæ valde juvenis animo agitavi, ac ad maturiorem ætatem exequi ſtudui, ita ut demum ſeptuagenario major perfecerim, quod mihi propoſueram in adoleſcentia. Primum ſpecimen edidi ſub titulo Philoſophiæ practicæ univerſalis methodo mathematica conſcriptæ, cum Matheſi ac philoſophiæ docendæ

me traderem in Academia Lipſienſi A. 1703. quo non ſolum Profeſſorum Lipſienſium, verum etiam virorum illuſtrium de *Tſohimhauſen* & *Leibnitii* favorem mihi conciliavi. Atque ab eo tempore, quæ *Leibnitius* in Diariis Eruditorum, Actis præſertim Lipſienſibus, publicaverat, cognoſcere ſtudui, cum antea ea parum curarem, quod mihi obſcura viderentur. Quamvis vero deinceps frequens mihi interceſſerit commercium litterarium cum *Leibnitio*, isque ſæpius me cum Halæ eſſem inviſerit, de ſuis tamen cogitatis philoſophicis nihil mecum communicavit, ut haud diu ante obitum ſuum ad *Remondum* ſcripſerit, me de ipſius placitis nihil ſcire poſſe, niſi quod publice extet. Quid in philoſophia morali & Jure naturæ ſtatuerit ignoro, niſi quod noverim, ipſum intrinſecam actionum humanarum bonitatem & malitiam approbaſſe, a Philoſophis & Theologis usque ad tempora *Puffendorfii* propugnatam: aſt quomodo eandem explicaverit, non novi. Hæc quidem ideo data hac occaſione monendum eſſe duxi, ut ſatisfaciam illorum deſiderio, qui me hortati ſunt, ne id publicum neſcire paterer, & ne videar *Leibnitii* nomine abuti velle ad conciliandam doctrinis meis autoritatem. Uſus ſum principiis *Leibnitii*, quando ceteris erant conſona & veritas eorum

mihi

mihi patebat, quemadmodum ſcholaſticorum & aliorum, ſicuti nec omnia *Leibnitiana* ſunt, quæ in Theodicæa ipſius leguntur, mihique dudum nota, antequam Theodicæa prodiret. Quod attinet commentum, quaſi omnem philoſophiam hypotheſi *Leibnitianæ* de monadibus ſuperſtruxiſſem, dudum exploſum, nunc vero ab invidis nonnullis reſuſcitatum; vix opus eſſe videtur, ut de eo verba faciam, cum contrarium ex operibus meis abunde pateat. Quoniam tamen ſubinde dandum eſt aliquid tempori; non abs re eſſe videtur, ut paucis idem refellam. Conſtat *Leibnitium* monadibus ſuis tribuiſſe perceptiones & percepturitiones, ipſum tamen ſyſtema, quale habuit, publici juris nunquam feciſſe. Ego notionem monadum *Leibnitianarum* in medio reliqui, perinde ac ſenſum omnium rerum *Campanellæ*, ac ideo quoque a nomine abſtinui, ne quæ de ſimplici ente in genere traderem pro theoria monadum *Leibnitii* haberentur. Enti enim ſimplici non tribui niſi ea, quæ ab anima humana abſtrahi poſſunt, quemadmodum genus a ſpecie, & ea, quæ dudum ſumſerunt tanquam conceſſa Philoſophi, cum de ortu animæ diſputarent, & abſtractam iſtam notionem ex principiis ontologicis demonſtravi, ut animæ ſimplicitatem & im-

materialitatem inde evincerem ſine circulo. Omne jus naturæ & per conſequens omnem quoque virtutem ex notione perfectionis deduxi, una cum naturali obligatione. Perfectionis itaque notio eſt fons philoſophiæ meæ practicæ, quam in ſyſtemate meo ſufficienter, ut puto, evolvi & cujus fœcunditatem oſtendi. Monades vero nulli mihi uſui fuerunt, nec eſſe potuerunt. Idem eſto judicium de Harmonia præſtabilita, quam in Pſychologia rationali perinde, ac ſyſtema influxus phyſici & cauſarum occaſionalium explicavi. Et quamvis illud hiſce prætulerim, Philoſophiam tamen moralem eidem minime ſuperſtruxi, quemadmodum olim nugabantur perſecutores, ut odium Theologorum in me concitarent & eos in ſuas partes traherent. Immo Philoſophia moralis prorſus independens eſt ab omni ſyſtemate, quo commercium inter animam & corpus explicatur. Demonſtravi enim in omni ſyſtemate de commercio mentis cum corpore ſupponendum, perceptiones rerum ſenſibilium in anima & motus voluntarios in corpore eo modo oriri, ac ſi anima vi ſua produceret motus voluntarios in corpore, & corpus perceptiones rerum ſenſibilium in anima (a), ideoque in gratiam illi-

(a) §. 537. *Pſych. rat.*

Digitized by Google

illius in Philoſophia practica nihil eſſe immutandum (b). Nihil quoque in omni noſtra Philoſophia morali occurrit, quod ex Syſtemate harmoniæ præſtabilitæ fuerit demonſtratum. Immo quamvis ex harmonia præſtabilita exiſtentia & attributa divina rigoroſiſſime demonſtrari poſſint (c), Theologiam tamen naturalem ex ea non deduximus. Satis itaque apparet, quantum nobis curæ fuerit, ne veritates arduas, quas ſcire intereſt, ex principiis deduceremus, de quibus diſceptari ſolet. Methodus, qua uſi ſumus, non alia eſt, quam quæ in Logica præſcribitur, & qua ſola ad evidentem rerum cognitionem pervenitur. Nec alia methodo *Euclides* & Geometriæ veteres uſi, quamvis perperam hodie negligatur a Geometriæ cultoribus, ad calculum algebraicum nimis feſtinantibus: id quod *Nevvtonus* vehementer improbavit. Sane non alia de cauſa contingit, ut, qui Thaumaturgi in calculo habentur, acumen tamen ſuum deſiderari patiantur in iis, quæ in gratiam calculi aſſumuntur, & quando extra atmoſphæram ſuam progrediuntur miſere vapulent. Neque enim calculo algebraico, ſed methodo *Euclidea* perficitur intellectus, ut extra Matheſin in vero a falſo diſcernendo ſis acutus (d).

(b) §. 538. *Pſych. rat.* (c) §. 626. *Pſych. rat.* (d) §. 99. *part. 1. Eth.*

Notandum quoque eſt, Geometras calculatores haud raro notas veritates ex falſis principiis ope calculorum perplexorum eruere, dum errorem unum per alterum corrigentes calculum veritati aptant. De demonſtratione adhuc notandum eſt, quamvis ea non ſit niſi ratiociniorum concatenatorum ſeries (e), & in ſyllogismos formales inter ſe concatenatos reſolubilis (f), non tamen propterea ſyllogiſmos formales more *Daſypodii* & *Herlini* in Elementis *Euclidis* actu exhiberi, ſed ſufficere, ut non plura, nec pauciora adhibeantur principia, quam ad id, quod probandum, requiruntur, & ut nihil ex iis inferatur, niſi quod legitima ratiocinandi forma inferri poſſit, obſervatis iis, quæ de demonſtrationibus abbreviandis præſcribuntur (g). Sane in omnibus noſtris operibus nullibi reperies ſyllogismos formales ita exhibitos, quemadmodum analyſis logica eos repræſentat. Ignoſcet Lector peritus talia hic proponi, quæ in operibus noſtris verſato per ſe patent. Emergunt enim ſubinde caſus, in quibus invitis imponitur neceſſitas calumnias manifeſtas reprimendi atque intereſt, ut ab aliis agnoſcantur, qui ſe noſcere nolunt. Ethica ſcientia felicitatis eſt: virtus enim, quam docet Ethica, unicum feli-

(e) §. 496. 497. *Log.* (f) *not.* §. 551. 552. *Log.* (g) §. 798. *Log.*

felicitatis medium eſt, vitia vero, quæ quomodo vitanda ſint oſtendit, infelicitatem pariunt. Atque ea ratio eſt, cur Philoſophiæ morali excolendæ operam navaverim, & opus morale, quod ad umbilicum perduxi, in compendium redigere ſtatuerim, *Inſtitutiones Philoſophiæ morales* ea forma editurus, qua Inſtitutiones Juris naturæ ex opere majore confeci, ut pluribus proſim: nullus enim dubito fore, ut ex iis eandem utilitatem percipiant, quam experiuntur qui ab Inſtitutionibus noſtris Juris naturæ & Gentium ſtudium Juris ordiuntur, aut Juris jam periti nexum omnium Jurium ex iis ſibi conſpicuum reddunt. Genus enim humanum amo &, ſi per me ſtaret, homines omnes ad veram virtutem adducerem, ut felicitatem veram conſequerentur. Doleo inprimis eruditos, qui ſupra alios eminere volunt, virtutis *ſtudium* tantopere negligere, & indulgere vitiis, quibus ſe infelices reddunt. Omnium autem miſerrimi ſunt, qui, quamvis faſtui, arrogantiæ & ſuperbiæ graviſſimas, meritas tamen dent pœnas, nondum tamen ſapere volunt, nec ad modeſtiam & humilitatem tanquam ad ſacram anchoram confugere, cumque ſupra alios ſapere videri velint, omnibus tamen moliminibus ſuis ſtultitiam produnt. Difficile omnino eſt vitia invete-

rata

Digitized by Google

ſata eradicare, præſertim ubi quis nec virtutis, nec felicitatis veræ notionem diſtinctam habet, & jucundas perceptiones cum illa voluptate confundit, in cujus fruitione felicitas conſiſtit. Studio autem ſevero Philoſophiæ moralis difficultas iſta tollitur. Quoniam vero omnia, quæ in Philoſophia a nobis traduntur, in Theologia quoque morali locum habent; nullus quoque dubito fore, ut Theologis & oratoribus ſacris utilis futurus ſit labor meus. Faxit Deus, ut omnes eam utilitatem inde percipiant, quam intendi! Halæ, d. 14. Aprilis A. 1753.

PHILOSOPHIÆ MORALIS
SIVE
ETHICÆ
PARS QUINTA.

DE

VIRTUTIBUS MORALIBUS, QUIBUS PRAXIS OFFICIORUM ERGA ALIOS CONTINETUR.

CAPUT I.

De Præparatione ad praxin officiorum erga alios.

§. 1.

Per *Præparationem ad praxin officiorum erga alios* intelligo diſpoſitionem animi ad officia erga alios præſtandum ea intentione, ut obligationi noſtræ naturali ſatisfaciamus. *Quid ſit præparatio animi ad praxin officiorum erga alios.*

Digitized by Google

Praxis officiorum erga alios debet conſiſtere in exercitio virtutum moralium, quæ quomodo acquirantur in Philoſophia morali demonſtrandum (§. 6. *part. 1. Eth.*). Quamobrem non ſufficit, ut aliis officia humanitatis præſtes quacunque ratione permotus; verum neceſſe eſt, ut actus externi ex virtute procedant, quæ eſt habitus actiones ſuas legi naturæ convenienter determinandi (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter obligationi ſuæ naturali ſatisfaciendi §. 141. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo virtutes morales acquirere velis, quibus praxis officiorum erga alios continetur; neceſſe eſt, ut habeas animum obligationi naturali ſatisfaciendi etiam in determinatione actionum illarum, quibus aliis proſumus, quemadmodum virtus in genere præſupponit voluntatem conſtantem & perpetuam non committendi actiones, niſi quæ legi naturæ conveniunt (§. 328. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter bonam (§. 121. *part. 2. Eth.*). Antequam igitur operam utiliter colloces in virtutibus iſtis acquirendis, neceſſe eſt, ut animum diſponas ad eaſdem, atque in hoc præparatio ad praxin officiorum erga alios conſiſtit. Sane hac neglecta fieri non poterit, ut virtutes iſtæ nulla labe inficiantur, & ut ſint infucatæ ac inconcuſſæ, utque ſit plenarius conſenſus actionum liberarum omnium & inter ſe, & cum naturalibus, qualem virtus requirit (§. 6. *part. 2. Phil. pract. univ.*) & in quo perfectio vitæ moralis conſiſtit (§. 9. *part. 2. Phil. Pract. univ.*).

§. 2.

Quo animo præſtanda ſint officia.

Officia non minus erga alios, quam cetera omnia præſtanda ſunt ea intentione, ut ſatisfaciamus obligationi noſtræ naturali. Etenim officia naturalia, de quibus hic agimus, ſunt actiones juxta legem naturalem determinatæ (§. 225. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo iis ſatisfacere volueris, ideo præſtanda ſunt, quia lege naturali a nobis exiguntur. Quoniam igitur id intendimus, propter quod agimus (§. 616. *part. 1. Phil.*

Phil. pract. univ.); officia naturalia præſtanda ſunt ea intentione, ut obligationi noſtræ naturali ſatisfaciamus. *Quod erat unum.*

Enimvero officia erga alios, de quibus in Ethica agitur, ſunt officia naturalia (§. 226. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque officia naturalia omnia præſtanda ſunt ea intentione, ut obligationi noſtræ naturali ſatisfaciamus, *per demonſtrata n. 1.* officia non minus erga alios, quam cetera omnia præſtanda ſunt ea intentione, ut obligationi noſtræ naturali ſatisfaciamus. *Quod erat alterum.*

Cum hic officia in genere conſideremus, intentio quoque, de qua in præſenti ſermo eſt, nonniſi generalis eſt. Quando vero lex naturæ officium quoddam in ſpecie urget, ratio quoque quædam ſpecialis eſt, ob quam id urget. Quodſi ergo ea nobis fuerit intentio, ut obligationi naturali ſatisfaciamus; ideo officium iſtud præſtamus, ob quod lex naturæ id urget, conſequenter id ipſum jam intendimus, ſicque intentio generalis abit in ſpecialem. E. gr. Lex naturæ urget, ut mendico demus eleemoſynam, inopiam ejus ſublevaturi. Quodſi ergo eleemoſynam demus ea intentione, ut obligationi naturali ſatisfaciamus; dando eleemoſynam intendimus ſublevationem inopiæ mendici. Intentio igitur generalis parit ſpecialem, ut ſcilicet eleemoſyna ſublevemus inopiam mendici. Nimirum cui eſt intentio ſatisfaciendi obligationi naturali officii præſtatione, is quoque præſtatione officii cujuscunque in ſpecie non aliud intendit, quam id, ob quod lex naturæ officium iſtud a nobis exigit. Quodſi intentio ſpecialis in omni caſu recte ſe habet, eidem ſemper ineſt generalis, cum quælibet ſpecies contineat ſuum genus (§. 241. *Ontol.*).

§. 3.

Quoniam officia erga alios præſtanda ſunt ea intentione, *De neceſſitate te prepara-*

 ut

tionis ad praxin officiorum erga alios. ut ſatisfaciamus obligationi naturali (§. 2.), ad praxin vero officiorum erga alios præparamur, ſi animus diſponitur ad præſtanda officia erga alios ea intentione, ut obligationi naturali ſatisfaciamus (§. 1.); *praxis officiorum erga alios exigit, ut ad eandem præparemur.*

Multæ ſunt rationes, cur homines hic & nunc ea faciant, quæ officia exigunt; ſed tum id non faciunt per modum officii, remota enim ratione, qua ad agendum impelluntur, parum curæ habent, utrum id lege naturæ ſit præceptum, nec ne: quod enim faciunt, non faciunt eo animo, ut obligationi ſuæ ſatisfacientes actionem ſuam ad legem naturæ tanquam normam componant. Exemplo eſſe poteſt, qui dat eleemoſynam, ut videatur ab hominibus, vel quia vivere conſuevit ad ſimilitudinem aliorum, vel quia precibus mendici defatigatur. Aliud eſt facere ob peculiares quaſdam rationes, quod eſt officii, aliud vero ſatisfacere officio ſuo: hoc enim ſine animo ſatisfaciendi obligationi naturali concipi nequit. Neque vero eſt, quod exiſtimes, perinde eſſe, ſive quid facias, quod eſt officii, quacunque ratione permotus, ſive ſatisfacias officio, ut nimirum id facias animo ſatisfaciendi obligationi naturali. Etenim in priori caſu ceſſante ratione, qua ad agendum permoveris, non facis quod eſt officii; aſt in caſu poſteriori data quacunque occaſione idem faciendi prompte quoque idem facis. Hæc ideo notanda ſunt, ut appareat præparatione ad praxin officiorum erga alios eſſe opus. Vide, quæ paulo ante annotavimus (*not.* §. 1.).

§. 4.

Praxis officiorum erga alios requirit voluntatem bonam. Quoniam officia erga alios præſtanda ſunt ea intentione, ut ſatisfaciamus obligationi naturali (§. 2.); *praxis officiorum erga alios requirit, ut voluntas generaliter determinata ſit ad committendum actiones legi naturæ convenientes* (§. 141. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter cum voluntas generaliter determi-

terminata ad committendum actiones legi naturæ convenientes bona ſit (§. 121. *part. 2. Eth.*), *ut voluntas ſit bona.*

Equidem ad omnem praxin moralem requiritur voluntas bona; non tamen ideo ſuperflua videri debet præparatio ad praxin officiorum erga alios, quia jam in parte ſecunda Ethicæ docuimus, quomodo voluntas bona efficiatur. Patebit enim ex ſequentibus, ut voluntas bona firmiter perſiſtat, ſi ad officia erga alios extenditur, præter ea, quæ in genere tradita ſunt, alia adhuc concurrere, nec præparationem ad praxin officiorum erga alios iſtis ſolis abſolvi. Voluntas hominis mutabilis eſt, cum multæ offerantur rationes, quibus in transverſum agi poteſt, præſertim in præſtatione officiorum, quæ aliis debentur. Ita igitur firmanda eſt, ne appetitus ſenſitivus in contrariam partem eam trahere poſſit.

§. 5.

Eadem ratione quirit animum obediendi Deo.

Similiter quia officia erga alios præſtanda ſunt ea intentione, ut ſatisfaciamus obligationi naturali (§. 2.), conſequenter divinæ (§. 275. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*), qui vero prompte facit quod Deus vult, is ſe obedientem eidem præbet (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*); *officia erga alios præſtanda ſunt animo obediendi Deo*, ideoque patet, *obedientiam Deo præſtandam influere in præſtationem officiorum erga alios debere*, conſequenter *praxin officiorum erga alios ſupponere praxin officiorum erga Deum.*

Non eſt quod objicias, poſſe quoque hominem præſtare officia aliis, etiamſi non agnoſcat Deum, nec habeat animum obediendi Deo, quemadmodum probat exemplo ſuo *Confucius* & qui veſtigia ejus ſtrenue preſſit *Memcius*, teſtibus libris claſſicis Sinenſium. Etenim ſi in præſtatione officiorum erga alios nihil deſiderari debet, in eorum determinationem influere quoque debent motiva ab attributis divinis, ideoque

A 3 etiam

etiam a voluntate ipſius deſumta, nec ea omittenda ſunt (§. 251. 252. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ſicque animus obediendi Deo ab iis nunquam abeſſe poteſt. Illam determinationem cum exigat obligatio naturalis, quæ in ipſa hominis eſſentia atque natura rationem ſufficientem agnoſcit (§. §. *cit.* & §. 129. *part. 1. Phil. pract. univ.*); qui officia aliis præſtat ea intentione, ut ſatisfaciat obligationi naturali, ea quoque præſtare tenetur eo animo, ut Deo ſeſe obedientem præbeat: alias nimirum non ſatisfacit obligationi naturali, cum in actione quidpiam deficiat, quod adeſſe debebat. Et quoniam obligationis naturalis autor Deus eſt (§. 275. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & Deus hominem obligat, ut ei ſatisfaciat (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque directio actionum legi naturæ conformis eadem eſt cum directione voluntati divinæ conformi (§. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*); intentioni ſatisfaciendi obligationi naturali tacite ineſt intentio obediendi Deo, ita ut animus ſincerus ſatisfaciendi obligationi naturali *obedientia erga Deum implicita* dici mereatur, in oppoſitone *ad explicitam*, quæ expreſſam Dei ad obſervantiam legis naturæ nos obligantis agnitionem ſupponit. Quamobrem cum *Confucius* agnoverit obligationem naturalem ab ipſa hominis natura promanare, & ad officia aliis præſtanda requirat animum eidem ſatisfaciendi; obedientiam erga Deum implicitam ad eorum præſtationem requiſivit, quæ explicita evadit, quamprimum Deus rerum omnium cauſa prima expreſſe agnoſcitur. Dividenda nimirum eſt cognitio inadæquata ab errore. Animus ſatisfaciendi obligationi naturali, quamdiu de Deo ejus autore non cogitatur, nititur inadæquata ejus cognitione, non vero errore, cum veritati conſentaneum ſit, ut naturæ noſtræ convenienter viventes naturali obligationi ſatisfaciamus, ac ipſe Deus hoc velit, notio autem obligationis naturalis non ſufficienter evolvatur, dum ab eſſentia & natura hominis repetitur, quia non inquiritur in cauſam primam eſſentiæ atque naturæ humanæ, ſiſtendo gradum in analyſi notionum, antequam eo perveneris, ubi ſiſti debet. Magna diffe-

differentia eſt inter errores & notiones non ſatis adæquatas, ſeu ignorantiam eorum, quæ in notionibus ſuis inadæquatis continentur. Et ex hoc fonte manat differentia inter defectum, qui in animo agentis deprehenditur, & inter labem, qua is afficitur. Defectus non officit puritati animi, ſed labes. Is ſaltem in cauſa eſt, ne rectitudo actionis ſit omnibus ſuis numeris abſoluta. Præterea notandum eſt, in Ethica maxime rationem habendam eſſe eorum, quæ praxin officiorum facilitant: in eo autem maxima vis deprehenditur obedientiæ Deo præſtandæ una cum officiis ceteris erga Deum, cum quibus ea cohæret, quemadmodum nemo in dubium vocabit, qui ea tenet, quæ de praxi officiorum erga Deum in parte tertia demonſtravimus.

§. 6.

Acquiſitio habitus præſtandi officia Deo pars præparationis ad praxin officiorum erga alios.

Quoniam praxis officiorum erga alios ſupponit praxin officiorum erga Deum (§. 5.); *qui animum ad praxin officiorum erga alios præparare vult, acquirere tenetur habitum officia Deo debita præſtandi.*

Habitus præſtandi officia erga Deum duplicem habet uſum in praxi officiorum erga alios: etenim eandem facilitat & immotam præſtat, ac præterea ab omni labe immunem tuetur & officiis erga alios complementum addit. Patet utrumque per ea, quæ modo annotavimus (*not.* §. 5.), &, ſiquidem opus foret, haud difficulter a nobis demonſtrari poterat: non tamen opus eſſe videtur tantis ambagibus, cum præſtet venire in rem præſentem & eadem in ſeipſo experiri (§. 271. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Si cui philoſopho in ſcrutandis rationibus utriusque ulterius progredi libuerit (§. 6. *Diſc. præl.*); ei ipſa experientia easdem ſuggeret, modo didicerit reflectere ſuper iis, quæ percipit (§. 257. *Pſych. empir.*), ut, ubi methodi fuerit compos & principiorum in operibus noſtris traditorum gnarus, utrumque rigoroſe demonſtrare valeat. Notandum idem eſt de aliis, quæ paſſim in operibus noſtris anno-

annotantur. Inſtituto enim noſtro nos ſatisfeciſſe nobis videmur, ſi ea tradiderimus, quæ ad progrediendum ulterius ſufficiunt, modo quis in iis addiſcendis, quæ tradidimus, diligentiam ſuam deſiderari non patiatur. Ceterum animum præparari ad praxin officiorum erga alios, ſi id conſequamur, ut eadem nobis ſit facilior & minus impedita, eademque conſummata efficiatur, non puto fore quenquam, qui dubitaverit.

§. 7.

Acquiſitio habitus officiis erga ſeipſum ſatisfaciendi pars præparationis ad officia erga alios.

Qui officiis erga alios ſatisfacere vult, ante operam dare debet, ut acquirat habitus officiis erga ſeipſum ſatisfaciendi. Quoniam enim aliis debemus, quod nobis (§. 608. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter officia erga alios eadem ſunt cum officiis erga nos ipſos (§. 226. *part. 1. Phil. pract. univ.*); qui pollet habitu ſatisfaciendi officiis erga ſeipſum, is quoque inde agnoſcit, quænam officia præſtare debeat aliis & quomodo iisdem ſit ſatisfaciendum. Immo cum velit eadem ſibi præſtari ab aliis, quæ in poteſtate ſua non habet, ubi officiis erga ſe ſatisfacere voluerit, & probe gnarus ſit (§. 4.), quod jure connato tibi fieri vis ab altero, id eidem eſſe faciendum, & quod fieri non vis non eſſe faciendum (§. 101. 102. *part. 1. Jur. nat.*); voluntas quoque fertur in præſtationem officiorum erga alios. Quamobrem patet, ſi officiis erga alios ſatisfacere volueris, ante operam dandam eſſe, ut acquiras habitum officiis erga teipſum ſatisfaciendi.

Qui officia aliis præſtare debet, is & noſſe tenetur, quænam ſint iſta officia, & habere voluntatem ea præſtandi. Ex identitate officiorum erga ſe & erga alios qui pollet habitu ſatisfaciendi officiis erga ſeipſum, quænam ſint officia erga alios agnoſcit. Cum vero idem bonam habeat voluntatem, quam etiam præparatio ad officia erga alios requirit (§. 4.),

Juris

Juris vero naturalis ſit, ut unusquisque in præſtandis officiis erga ſeipſum expectet aliorum auxilium, quando eodem indiget (§. 234. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & in mutuis officiis alios æquiparet ſibimetipſi (§. 101. 102. *part. 1. Jur. nat.*); neque fieri poteſt, quin etiam velit officia præſtare aliis, ſeu voluntas generaliter ad ea præſtanda determinetur (§. 121. *part. 2. Eth.*). Generalis hæc voluntatis determinatio ad præſtanda officia aliis ad præparationem præſentem pertinet. Quamobrem non ſine ratione urgemus, ut officiis erga alios ſatisfacturus ante operam det, ut officiis erga ſeipſum ſatisfaciat. Qui ſeipſum negligit, multo minus curabit alios, ſit ita quod ſubinde occaſio eum invitet ad inſerviendum aliis, aut neceſſitatem quandam aliis inſerviendi imponat: hoc enim nondum virtutis eſt, cum non fiat animo ſatisfaciendi obligationi naturali, quæ a lege naturæ venit (§. 141. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ſine quo virtus concipi nequit (§. 221. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Patet hinc praxin officiorum erga alios facilitari, ſi præſupponatur praxis officiorum erga ſeipſum, præſertim ſi quoque ſupponatur praxis officiorum erga Deum (§. 6.). Data nimirum occaſione præſtandi officia aliis, eadem metimur ex officiis, quæ nobismetipſis præſtamus, tum ut conſtet, num ſint officia, quæ homo homini debet, tum ut certi ſimus, ea citra neglectum officiorum erga nosmetipſos præſtari a nobis poſſe (§. 608. *part. 1. Jur. nat.*): obedientia vero erga Deum efficit, ut ea præſtare velimus (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*), quatenus nimirum agnoſcimus velle Deum, ut ea præſtemus (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Elucet quoque hinc pulcherrimus veritatum nexus, qui extra ſyſtema veri nominis minime conſpicitur: per eundem vero etiam patet, quomodo in uſu facultatum animæ omnia a ſe invicem dependeant. Huc ſi advertatur animus, praxis moralis non videbitur adeo ardua & difficilis, quemadmodum putatur, neque etiam ex aduerſo nimis facilis, quemadmodum opinantur plerique, qui ſine omni ſtudio eandem

ſe conſequi poſſe arbitrantur, quaſi virtutes ſint habitus infuſi, non vero acquiſiti.

§. 8.

Medium aſſueſcendi officiis erga alios.

Qui officiis erga alios ſatisfacere ſtudet, is adſueſcere debet, ut oblata occaſione officium præſtandi alteri fingat, ſe eſſe loco alterius, alterum vero loco ſui. Etenim ſi data occaſione officium præſtandi alteri fingas, te eſſe loco alterius, alterum vero loco tui; in teipſo experieris, num velis officium, quod præſtare debes alteri, tibi ab ipſo præſtari. Quamobrem cum nihil magis naturale ſit, quam ut alteri facias, quod jure connato tibi ab eo fieri vis (§. 102. *part.* 1. *Jur. nat.*), & ne facias, quod tibi fieri non vis (§. 101. *part.* 1. *Jur. nat.*); æquum eſſe agnoſces, ut officium hoc ipſi præſtes (§. 240. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), cumque voluntas ſupponatur bona (§. 4.), eadem tendet ad officium hoc ipſi præſtandum (§. 121. *part.* 2. *Eth.*). Quodſi ergo officiis erga alios ſatisfacere ſtudes, aſſueſcere debes, ut oblata occaſione officiorum præſtandorum alteri fingas, te eſſe loco alterius, alterum vero loco tui.

Qui officiis erga alios ſatisfacere ſtudet, is utique habet animum præſtandi aliis officia, quando præſtandi occaſio offertur, ideoque voluntas ejus generaliter determinata ſupponitur ad præſtandum officia aliis, conſequenter bona (§. 121. *part.* 2. *Eth.*). Quamdiu enim animum praeſtandi aliis officia nondum habet, nec curæ ipſi erit, ut acquirat habitum iisdem ſatisfaciendi. Ideo ad praeparationem requiſivimus, ut voluntas efficiatur bona (§. 4.). In præſtando officio erga alium duo conſideranda ſunt, nimirum num alter eodem indigeat, & num præſtatio in tua poteſtate ſit (§. 608. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quodſi fingas eam eſſe conditionem tuam, quæ eſt alterius, indigentiam alterius tibi repræſentabis tanquam tuam, conſequenter de eadem facile ſtatues. An vero ſit in

poteſta-

poteſtate tua, ut officium præſtes, ex tuo ſtatu dijudicabis, ſicque alterum tibi repræſentabis tanquam officium tibi indigenti præſtare valentem. Quoniam per ſe patet, auxilii alieni indigum velle, ut ſibi feratur ab alio; utique agnoſces, ſi tu alterius eſſes loco, alter vero tuo, te deſideraturum ut alter tibi opem ferat, conſequenter te quoque jam habere debere voluntatem alteri opem ferendi. Petit a te commendationem, qui ad officium, quod ambit, habilis eſt, & quem commendare patrono in poteſtate tua eſt. Pone, te ambire officium & indigere commendatione alterius, a quo te commendari poſſe certus es. Nullum profecto dubium eſt fore ut velis, te ab ipſo commendari. Nihil igitur magis naturale eſt, quam ut alterum quoque commendare velis, qui commendatione tua indiget. Non eſt quod excipias, fieri poſſe, ut tu velles commendari ab alio, etiamſi non ſis habilis ad officium, quod ambis, modo tibi ſit utile, conſequenter inde ſequi, quod etiam commendare debeas ad officium inhabilem, qui commendationem a te petit. Etenim ſupponimus te non velle, niſi quod rectum eſt. Antequam nimirum officiis erga alios ſatisfacere poſſis, neceſſe eſt ut officiis erga teipſum ſatisfacere didiceris (§. 7.). Cum igitur officium ambire non debeas, ad quod habilis non es (§. 890. *part. 8. Jur. nat.*); fieri quoque non poterit, ut commendari ab alio velis, ſi fueris inhabilis. Quodſi ergo quis petat a te commendari, ubi te alterius loco eſſe ponis, ante omnia quæres, utrum ſit habilis, nec ne, conſequenter in habilitatem alterius inquires, antequam ſtatuere poſſis, quænam foret voluntas tua, ſi loco alterius eſſes. Cognita inhabilitate intelliges, te non deſideraturum, ut ab altero commenderis, ſi ad officium fueris inhabilis. Immo ipſa notio officii erga alios arcet voluntatis aberrationem. Si quid enim alterius gratia faciendum, prima diſquiſitio eſt, utrum id ſit officium aliquod, nec ne. Si enim non ſit, nulla quoque quæſtio eſt, quomodo eidem ſit ſatisfaciendum.

§. 9.

Quomodo iſtud facilitetur.

Quoniam qui officiis erga alios ſtudet, adſueſcere debet, ut oblata occaſione officium præſtandi alteri fingat, ſe eſſe loco alterius, alterum vero loco ſui (§. 8.), conſuetudo autem contrahitur eorundem actuum crebra repetitione (§. 923. 922. *Pſych. empir.*), & voluntas facilius determinatur, quando nullo affectu in contrarium trahitur, quod per ſe patet; *qui officiis erga alios ſtudet, dum officia erga ſe noſcere ſtudet, ſumere debet, ſe ad ea explenda indigere auxilio alieno, & dum officia erga alios expendit, ſupponere, ſe eſſe in eo ſtatu, ut ſibi ab aliis præſtanda ſint:* ita enim ex ſeipſo cognoſcet, quid ſibi ab aliis fieri velit, quid fieri nolit. *Conſultum* quoque *eſt, ut, quoties videt alios, quibus præſtandum eſt officium quoddam a quocunque, fingat ſe ipſius eſſe loco.* Ita nimirum facillime asſueſcet, ut oblata occaſione officium quoddam a ſe præſtandi alteri fingat, ſe eſſe alterius loco, alterum vero loco ſui, conſequenter & voluntas prona efficiatur in commodum aliorum.

Quantum interſit, ut hisce meditationibus vacemus, unusquisque in ſeipſo experiri poterit, quamvis jam ſatis pateat, ſi perpendamus, quomodo conſuetudo contrahatur, & quam facile voluntas rationi conformiter determinetur, ubi appetitus ſenſitivus non movetur in contrarium. Facile intelligitur, quod tibi non vis fieri, id alteri non eſſe faciendum, & quod tibi fieri vis, alteri faciendum eſſe: aſt ut illud non facias, hoc facias, non æque facile eſt. Quamobrem ut voluntas diſponatur ad faciendum aliis, quod nobis fieri volumus, & noluntas ad non faciendum aliis, quod nobis fieri nolumus; exercitiis opus eſt, quæ in propoſitione præcedente & præſente commendantur. Inſerviunt autem exercitia, quæ præſens propoſitio commendat, ut facilius contra-

Digitized by Google

has conſuetudinem, quam urget propoſitio præcedens, & ut difficilius in caſu quocunque ab eadem recedas.

§. 10.

Ut lubenter facias aliis, quod tibi fieri vis, nec facias aliis, quod tibi fieri non vis; perpendenda eſt naturalis hominum æqualitas. Quodſi enim perpendis naturalem hominum æqualitatem (§. 81. *part. 1. Jur. nat.*), cum in ſenſu morali homines æquales ſint, quorum eædem ſunt obligationes eademque jura (§. 78. *part. 1. Jur. nat.*), ex iſtis originem ſuam deducentia (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*), utique agnoſces, ad quod faciendum vel non faciendum alius tibi obligatur, ad idem quoque faciendum, vel non faciendum te ipſi obligatum eſſe, & quo jure tu ab eo exigere potes, ne tibi faciat, vel petere, ut faciat, eodem quoque jure alterum a te exigere poſſe, ne facias, aut petere, ut facias. Nullam igitur rationem eſſe cum certus ſis, cur tu velis, ut alii tibi faciant, quod ipſis facere non vis, aut ne faciant tibi, quod ipſis facere vis; rationi convenienter actiones tuas directurus, quod in præſenti ſupponitur, lubenter aliis facies, quod tibi fieri vis, nec facies, quod fieri non vis. Quamobrem ut lubenter facias aliis, quod tibi fieri vis, nec facias aliis, quod tibi fieri non vis, perpendenda eſt naturalis hominum æqualitas.

Motivum alteri faciendi quod tibi fieri vis, & non faciendi, quod fieri non vis.

Identitas officiorum mutuorum, quæ homines ſibi invicem debent, inde eſt, quod lex naturæ rationem ſufficientem in natura humana habet (§. 135. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quam eſſe hominibus omnibus communem conſtat. Quod igitur tu alteri debes, ideo debes, quia homo eſt, & quod alter tibi debet, ideo quoque debet, quia tu homo es. Ratio ultima, cur tu velle poſſis, ut alter tibi quid faciat, quod ſibi fieri vult, nec faciat, quod fieri non vult, & cur alter velit, ut tu ipſi facias, quod tibi fieri vis, & ne facias, quod

tibi fieri non vis, cum utrobique eadem ſit; debita quoque mutua eadem eſſe debent (§. 116. 192. *Ontol.*). Quamvis vero officia, quatenus lege naturali præſcribuntur, eadem ſint; non tamen propterea in caſu ſingulari, quando iisdem ſatisfaciendum, quæ erant genere eadem, etiam ſpecie & in individuo eadem manent, ſed per circumſtantias particulares, quatenus per eas caſus ſingularis determinatur, iisdem convenienter modificantur: neque enim naturalis æqualitas, quæ a communi hominum natura dependet, tollit inæqualitatem, quæ a facto hominum dependet, aut a differentia ſingulari hominum venit. Ut quæ obſcurius dicta videri poterant clariora fiant, demus unum, vel alterum exemplum. Lex naturæ præcipit, ut unusquisque alterum tanti exiſtimet, quanti meretur (§. 647. *part. 1. Jur. nat.*), & honorem exhibeat, quem meretur, tantumque tribuat laudis, quantum meretur (§. 648. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero cum virtutes intellectuales & morales pariant exiſtimationem, honorem ac laudem (§. 549. 550. *part. 1. Jur. nat.*), virtutes autem intellectuales & morales, qui ſunt habitus acquiſiti, hominum omnium non ſint eædem, quod a poſteriori abunde conſtat; ideo quoque omnium in ſtatu ipſo naturali non eadem eſt exiſtimatio (§. 559. *part. 1. Jur. nat.*), nec idem honor (§. 560. *part. 1. Jur. nat.*), nec eadem debetur laus (§. 561. *part. 1. Jur. nat.*). Exiſtimatio igitur, honor atque laus, quamvis ſit commune hominum omnium officium, non tamen propterea eadem exiſtimatio, idem honor, eademque laus debetur omnibus. Idem quoque patet de honore in Rep. unicuique exhibendo (§. 761. *part. 8. Jur. nat.*), ubi ſtatus civilis introducit perſonarum inæqualitatem. Similiter miſericordes eſſe debemus (§. 257. *part. 4. Jur. nat.*), ideoque alterum a malis, quibus affligitur, quantum in poteſtate noſtra eſt, liberare, vel eadem ſaltem ipſi tolerabiliora efficere (§. 256. *part. 4. Jur. nat.*). Miſericordia commune hominum officium eſt, idemque ideo omnes æqualiter tenet. Enimvero cum diverſa ſint animi, corporis ac fortunæ mala,

quibus

Digitized by Google

quibus homines affliguntur, nec eadem in poteſtate omnium ſunt; in caſu dato ſingulari, ubi quis ſe miſericordem alteri præbere debet, opus miſericordiæ pro diverſitate ſubjectorum officio ſuo ſatisfacientium plurimum variat, tum etiam pro diverſo ſtatu miſeri. Quodſi hæc paulo attentius rimeris, quemadmodum fas eſt, facile intelliges, alteri faciendum eſſe in dato caſu, quod tu tibi fieri velles, ſi ſtatus alterius foret tuus. Atque propterea oſtendimus paulo ante, quod officiis erga alios ſatisfacturus fingere debeas, te eſſe loco alterius, alterum vero loco tuo (§. 8.). Et quæ in præſenti diximus, non contemnendum uſum habent, in exercitiis illis recte inſtituendis, quæ in propoſitione præcedente commendavimus. Quamvis itaque agnoſcas, nullum tibi officium deberi ab altero, quam quia homo es, ideoque cum alter ſit æque homo, idem quoque officium a te ipſi debere; non tamen propterea tollitur diverſitas in praxi officiorum, neque etiam perſonarum inæqualitas, quæ a ſtatu adventitio venit, & officia in praxi variis modis alterat. Verendum non eſt, ne quæ in genere demonſtrantur patiantur inſtantias in caſu particulari, modo ſingula rite ponderare didiceris. Ceterum naturalis æqualitatis hominum conſideratio ampliſſimum uſum habet in Moralibus quoad praxin officiorum erga alios, ut nunquam ſatis commendari poſſit, quocunque demum loco aliquis ſit poſitus & quantumcunque præcellat alios.

§. 11.

Inæqualitas hominum quoad virtutes intellectuales & fortunæ bona, ac inprimis quoad dignitates civiles impedimento eſt, quo minus naturalis æqualitas agnoſcatur: ignorantia vero finis legis naturæ & obligationis naturalis, quod ſcilicet utraque ex ipſa natura omnium hominum communi neceſſario conſequatur, æqualitati naturali hominum detrahit vim motivi officiorum erga alios. Quoniam enim indies videmus, magnam dari differentiam hominum quoad

Cur naturalis hominum æqualitas non agnoſcatur, & eidem vis motivi offi-

virtu-

ciorum erga alios detrabatur. virtutes intellectuales & fortunæ bona, ac inprimis quoad dignitates civiles, ita ut quidam virtute quadam intellectuali præſtent, alii eadem careant, quidam ſint divites, alii pauperes, alii ſorte mediocri fruantur, ac inprimis alii dignitate fulgeant, alii vero ſint vilis conditionis, plerique vero in iis acquieſcunt, quæ in ſenſus incurrunt; differentia iſta attentionem avertit ab æqualitate morali hominum, quæ in juribus & obligationibus connatis conſiſtit (§. 78. 26. *part. 1. Jur. nat.*), nec agnoſcitur, niſi via demonſtrationis (§. 81. *part. 1. Jur. nat.*). Inæqualitas itaque hominum quoad virtutes intellectuales & fortunæ bona, dignitatesque civiles, quæ omnia gradibus admodum variant, ita ut unus ſit doctior & peritior altero, unus ditior, unus honoratior altero, impedimento eſt, quo minus ad naturam omnium communem animum attendamus, & ex ea identitatem jurium connatorum (§. 31. *part. 1. Jur. nat.*) atque obligationis connatæ derivemus (§. 80. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter quo minus æqualitatem hominum naturalem agnoſcamus (§. 78. *part. 1. Jur. nat.*). *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam perpauci ſunt, qui agnoſcunt, multo vero pauciores, qui convicti ſunt, legem naturæ & obligationem naturalem cum ipſa hominis natura poni (§. 129. 136. *part. 1. Phil. pract. univ.*); convicti quoque eſſe nequeunt, quod poſita hominis natura ponatur etiam omne jus connatum (§. 28. *part. 1. Jur. nat.*), quod natura facit homines omnes æquales in ſenſu morali (§. 81. 78. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum cognitionem vivam minime habeat, niſi qui veritatis convictus eſt (§. 248. *part. 2 Phil. pract. univ.*), vim vero motivum habeat a cognitione viva (§. 244. *part. 2. Phil. pract. univ.*); quamvis urgeatur naturalis homi-

hominum æqualitas, ea tamen vim ſuam in voluntatem & noluntatem non exerit. Ignorantia igitur fontis legis naturæ & obligationis naturalis, quod ſcilicet utraque rationem ſufficientem in ipſa natura omnium hominum communi habeat & ex ea neceſſario conſequatur, æqualitati hominum naturali detrahit vim motivi officiorum erga alios. *Quod erat alterum.*

Naturalis hominum æqualitas quoad identitatem ſcilicet jurium connatorum & obligationum connatarum non agnoſcitur, niſi intimius perſpiciatur, quomodo lex naturæ & obligatio hominum naturalis ex ipſa natura hominum omnium communi derivetur. Abunde hoc patet, ſi demonſtrationem iſtius æqualitatis (§. 81. *part. 1. Jur. nat.*) in ſua principia reſolveris (§. 992. *Log.*), nec de eo dubitabit, qui, quæ in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis de jure connato & obligatione connata demonſtravimus, rite expendit. Nemo vero eſt, qui neſciat, quam parum hactenus in originem Juris naturæ & obligationis naturalis inquiſiverint, qui Jus naturæ explicare anniſi fuerunt. Quamvis enim dudum a veteribus traditum fuerit, ipſa natura Jus conſtitutum eſſe, quomodo tamen conſtitutum ſit, non ſatis diſtincte expoſitum fuit, ut ideo plerique hodie cum *Puffendorfio* omnem obligationem deducant a voluntate Dei, nec agnoſcant intrinſecam actionum humanarum moralitatem a natura omnium hominum communi pendentem. Multo minus itaque eſt, quod miremur, ſi videmus vulgus imperitum de æqualitate hominum morali parum cogitare. Quamvis enim obvium ſit, hominem unum non magis eſſe hominem, quam alterum, ex eo tamen, quod phyſicum eſt, non colligunt, quod morale eſt, ut ſcilicet inde inferrent jurium & obligationum identitatem: id quod altioris indaginis eſt. Et ne de altiore indagine incidat cogitatio, obſtat diverſitas, quæ in bonis adventitiis ſive veris, ſive apparentibus, deprehenditur, & ob

quæ unum altero meliorem judicare ſolent. Quis enim ignorat, vulgo ita argumentari: Ego ſum te doctior. Ergo melior. Sum te opulentior. Ergo melior. Sum te honoratior. Ergo melior. Immo hæ argumentationes extenduntur ad ipſas quoque dotes naturales. Inde vero ſi non expreſſe, ſaltem tacite infertur, ſibi quandam prærogativam competere præ aliis ſibique deberi ab aliis, quod iisdem ipſe non debet. In hisce illationibus cum verum a falſo non dividatur eo, quem paulo ante inſinuavimus, modo (*not.* §. 10.); opinio inæqualitatis moralis animum prorſus avertit ab æqualitate naturali, ſine qua tamen illa non ſatis perſpicitur, cum illam inæqualitatem ipſa hæc æqualitas inducat, quemadmodum ex demonſtrationibus noſtris in ſyſtemate Juris naturæ manifeſtum eſt. Videtur ſubinde mentem ſubire cogitatio æqualitatis naturalis hominum, veluti cum videntes aliquem indigne tractari ab altero, quod ſit inferioris conditionis, dicunt animo improbandi, eum eſſe æque hominem, ac ipſum; rationem tamen reddituri ad præcellentiam hominis præ brutis reſpiciunt, ideo plerumque addentes, eum, qui male tractatur, non eſſe canem, vel brutum aliquod. Naturalis itaque æqualitas non expenditur, quemadmodum debebat, ideoque motivum officiorum erga alios generale non eſt, quale deprehenditur rite intellecta.

§. 12.

Quomodo impedimentum iſtud tollatur.

Quoniam inæqualitas hominum quoad virtutes intellectuales & fortunæ bona, ac inprimis quoad dignitates civiles impedimento eſt, quo minus naturalis æqualitas agnoſcatur, ignorantia vero fontis legis naturæ & obligationis naturalis, quod ſcilicet utraque ex ipſa natura hominum omnium communi neceſſario conſequatur, æqualitati naturali hominum detrahit vim motivi officiorum erga alios (§. 11.); *ſi naturalis hominum æqualitas motivum officiorum erga alios eſſe debet,*

Digitized by Google

bet, neceſſe eſt ut agnoſcere ſtudeamus, quomodo obligatio naturalis & lex naturæ fundamentalis, unde omnia jura & obligationes hominum per neceſſariam conſequentiam deducuntur, ex ipſa hominis natura derivetur, quemadmodum in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis ſufficienter demonſtratum & ex concatenatis demonſtrationibus per univerſum ſyſtema Juris naturæ obviis clariſſime elucet. *Præterea* vero *attenta mente conſiderandum eſt, quod, quamvis natura faciat homines inæquales propter naturæ dotes & introductis dominiis ſtatuque civili propter bona fortunæ dignitatesque civiles, hoc tamen non obſtante connatas hominum obligationes ac inde manantia jura eſſe eadem, nec iſtam inæqualitatem parere diverſitatem officiorum erga alios, ſed ſaltem in exercitio eorundem, pro diverſitate ipſorum eadem modificari, quatenus ſcilicet per circumſtantias datas determinantur, quæ in officiis lege naturali præſcriptis nondum ſatis determinata ſunt*, ſicuti paulo ante exemplo declaravimus (*not.* §. 10.), & ſyſtema Juris naturæ ſatis aperte loquitur, modo perſpicaciam noſtram in iis expendendis, quæ lege naturali præſcribuntur, deſiderari minime patiamur.

Qui nondum ea uti ſuevit patientia, quæ ad demonſtrationes longa ſerie concatenatas percipiendum ſufficit, ex Inſtitutionibus noſtris Juris naturæ atque Gentium ideam quandam ſyſtematis Juris naturæ mente concipiat, ut agnoſcat jura hominum connata & obligationes ex natura humana fluentes, & originem dominiorum & Rerumpublicarum, inæqualitatis cauſam, quæ æqualitatem naturalem minime tollit. Quodſi quis hoc modo Juris ſcientiam ſibi comparaverit; is naturalem hominum æqualitatem intime perſpiciet, & efficaciſſimum motivum officiorum erga alios deprehendet. Quodſi vero quis eam aliunde haurire voluerit, is confuſis notionibus contentus veritatis non convincetur, quantum ſufficit ad conſtantiam & perpetuitatem voluntatis & noluntatis.

Digitized by Google

Gentes barbaræ, quorum mos eſt peregrinos infortunio in ipſarum manus incidentes in diram ſervitutem addicere & inhumana crudelitate in eos ſævire, omnem humanitatis ſenſum exuerunt omnes peregrinos hoſtium loco habentes & jus in hoſtem ex potentia metientes: ſummam tamen barbariem non penitus extingvere poſſe ſenſum æqualitatis moralis hominum, docet exemplum anthropophagorum in America, qui cum a vicinis capiuntur, ut devorentur, ab his quæſiti, quid mihi faceres, ſi ego a te captus fuiſſem, reſpondent, quod tu mihi facturus es, hoc eſt, ego te mactarem & carne tua veſcerer. Ecquis enim non videt, ipſos hanc fovere opinionem, ſibi hoc jus competere in alterum, quod alter ſibi in ipſum arrogat. Modo nimirum dixi, gentibus barbaris eam eſſe opinionem, quod in peregrinum tanquam hoſtem ſibi liceat, quod lubet, conſequenter ſi carne humana veſci a prima ætate conſueverint, inde inferunt, ſibi competere jus occidendi homines, ut carne eorum veſcantur, quamvis tacito ſaltem pacto, ſi non expreſſo parcant iis, cum quibus familiariter vivunt, ut & ipſi ab eorum inſidiis ſint tuti. Nonne vero ex hoc ipſo etiam elucet ſenſus æqualitatis naturalis, dum unus agnoſcit parcendum eſſe alteri, quia vult ut alter parcat ſibi?

§. 13.

De officiis erga alios non intereſſatis.

Officia aliis præſtanda ſunt non eo animo, ut viciſſim ab iis nobis præſtentur reciproca. Etenim officia præſtanda ſunt animo obediendi Deo (§. 5.), eaque intentione, ut ſatisfaciamus obligationi noſtræ naturali (§. 2.). Quamobrem ſi quis officium aliquod alteri præſtiterit, abunde contentus eſſe debet, quod agnoſcat ſeſe Deo præbuiſſe obedientem & obligationi ſuæ ſatisfeciſſe, non vero propterea expectare aliud, quod ſibi utile. Præſtanda igitur officia ſunt aliis non eo animo, ut viciſſim ab aliis nobis præſtentur reciproca.

Officia

Officia erga alios ſpectanda ſunt tanquam Deo debita & tanquam debita homini, cui præſtantur. Quodſi ergo officium quoddam præſtitiſti alteri, cogitandum eſt te ſolviſſe debitum Deo & homini. Pro ſolutione autem debiti non expectanda eſt merces. Officia ſunt gratuita, non mercenaria: præſtantur autem lubenter, ut ipſo facto confiteamur, Deum eſſe dominum noſtrum & nos ſervos ipſius (§. 182. *part. 3. Eth.*), conſequenter dum officium alteri præſtamus, non aliud facimus, quam quod tanquam ſervi Dei facere debemus. Aliis nimirum præſtare officium idem eſt, ac ſervire Deo & propter Deum hominibus, ne ſimus ſervi Dei inutiles, negligentes ſcilicet, aut prorſus refractarii. Deus homini pro obedientia nihil retribuere obligatur (§. 181. *part. 3. Eth.*). Quamobrem nec quicquam expectandum eſt ab eo, cui officium aliquod præſtamus. Non obſtat, quod nemo alteri gratis dare, vel facere teneatur, ſi is viciſſim dare, vel facere poſſit (§. 268. *part. 4. Jur. nat.*). Etenim hoc venit ab introductione dominiorum, in quibus non minus ſunt operæ, quam res (§. 437. *part. 2. Jur. nat.*), & quæ ſubſiſtere non poſſent, ſi omnes dationes & operarum præſtationes gratuitæ eſſe deberent, cum tunc revera res omnes etiam induſtriales & artificiales forent communes & rebus naturalibus incorporarentur, quemadmodum exigit communio primæva (§. 29. 31. *part. 2. Jur. nat.*), introductione dominiorum, lege naturæ minime invita facta (§. 141. *part. 2. Jur. nat.*), ſublata (§. 140. *part. 2. Jur. nat.*). Ex ipſa autem demonſtratione dationis & operarum præſtationis minime gratuita patet (§. 268. *part. 4. Jur. nat.*), eam convenire juri natura homini competenti ab altero petendi id, quo indiget (§. 233. 234. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Ipſum nimirum hoc jus determinat gratuitam dationem & operarum præſtationem, ut conſtet, quando quid gratis dandum, aut faciendum, & quantum gratis dari quidque gratis fieri debeat. Verendum non eſt, ne ea, quæ in ſyſtemate paſſim demonſtrantur, ſibi mutuo contradicant, modo ſingula penitus intelligantur, nec

Digitized by Google

præcipitetur judicium omnibus nondum ſatis expenſis. In datione & præſtatione operarum minime gratuita concurrit officium erga ſeipſum cum officio erga alios, ut hoc præſtetur citra neglectum illius, quemadmodum urget lex naturæ (§. 608. *part. 1. Jur. nat.*): animus tamen inſerviendi alteri nunquam mercenarius eſt. Sed de eo diſertius dicendi locus erit inferius.

§. 14.

An ingratitudo nos liberet a præſtatione officiorum erga alios.

Quoniam officia aliis non præſtanda ſunt eo animo, ut nobis ab iis viciſſim præſtentur officia (§. 13.); *ſi is, cui officium aliquod præſtitimus, non habuerit animum gratum, aut prorſus ingratum, id obſtare minime debet, quo minus eidem, vel aliis officia in poſterum præſtemus.* Quamvis enim gratus eſſe debeat, non vero ingratus quilibet, cui officium quoddam præſtitimus (§. 43. 47. *part. 4. Jur. nat.*); non tamen nobis ideo permiſſum eſt, ut in poſterum non ſatisfaciamus obligationi noſtræ, quia alter eidem non ſatisfecit (§. 631. *part. 1. Jur. nat.*): cumque factum alienum nemini imputari poſſit, niſi modo quodam a voluntate libera ipſius dependeat (§. 650. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ingratitudo unius multo minus obſtare debet, quo minus aliis officia præſtes, incerto metu deterritus, ne forſan & ipſi ſint ingrati, aut minus grati.

Non ignotum eſt illud *Mimi :* Ingratus unus omnibus miſeris nocet. Enimvero dictum hoc ſaltem indicat, quid vulgo fieri ſoleat, non vero quid fieri debeat. Si enim quæras, quid fieri debeat, dicendum potius erit: ingratitudo plurimorum ne uni quidem miſero nocere debet. Ponamus te hominibus centum officia quædam præſtitiſſe, & ne unum quidem eorum extitiſſe gratum, immo pleroſque ingratos ſeſe tibi præbuiſſe; non tamen propterea denegare officium

ficium debes in poſterum petenti alii. Quamobrem patet, quam neceſſarium ſit, ut officia præſtare aliis adſueſcas animo obediendi Deo & ſatisfaciendi obligationi tuæ. Tum enim ingratitudo, aut defectus gratitudinis minime influet in præſtationem officiorum erga alios. Oblata nimirum occaſione officium alteri præſtandi non quæres, utrum is ſit gratus futurus, nec ne, ſed ſaltem animum attendes ad obligationem tuam & voluntatem Numinis, cui obediendum.

§. 15.

De neceſſitate præparationis ad officia erga alios.

Quia præparatio ad praxin officiorum erga alios requirit, ne officia aliis præſtentur eo animo, ut viciſſim ab iis officia nobis præſtentur (§. 13.), ſicque præcavetur, ne ingratitudo nos deterreat ab officiis erga alios (§. 14.), experientia vero indies docet, quantum ingratitudo, aut ſaltem neglectus gratitudinis valeat ad immutandum aliis inſerviendi voluntatem, ut, ſi non prorſus evaneſcat, multum tamen langveſcat; inde omnino intelligitur, *præparationem ad praxin officiorum erga alios opprime neceſſariam eſſe, ut voluntas iis ſatisfaciendi ſit conſtans atque perpetua* (§. 1062. *part. 1. Theol. nat.*).

Cum habitus præſtandi officia erga alios virtus ſit (§. 226. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ad omnem autem virtutem requiratur conſtans & perpetua voluntas non committendi actiones, niſi quæ legi naturali conformes ſunt (§. 328. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ad praxin quoque officiorum erga alios voluntas conſtans & perpetua requiritur, nec ab ea ſeparari poteſt. Quamobrem cum præparationis ad officia erga alios haud poſtrema pars ſit, ut voluntas præſtandi officia iſta efficiatur conſtans atque perpetua; ejus inde neceſſitas clariſſime elucet. Cui ergo virtutis ſtudium curæ cordique eſt, is omnem operam impendere debet præparationi ad officia erga alios. Quodſi enim voluntas ad ea præſtanda generaliter ita fuerit determinata, ut ſit conſtans atque perpetua; omnis

praxis

Digitized by Google

praxis officiorum erga alios mire facilitabitur & impedimentis ſpecialibus facilius reſiſtetur, immo ad ea obſervanda acutiores erimus. Probe autem notandum eſt, conſtantiam & perpetuitatem voluntatem ab obedientia erga Deum, in praxin officiorum erga alios influente (§. 5.), pendere, ut intelligatur, quantum noceant homines profani hujus ſeculi, qui omnem ſenſum Numinis delere conantur, & quod recte habeantur hoſtes generis humani, cujus felicitas a praxi officiorum erga ſe invicem haud parum dependet. Nocent autem tanto magis, ſi accedit ignorantia fontis legis naturæ & obligationis naturalis, quam eſſe illorum hominum in cognitione ſuperficiaria acquieſcentium, quantumvis ſibi videantur acuti, communem tanto confidentius affirmamus, quanto magis exploratum eſt, pleriſque omnibus ortum legis naturæ & obligationis naturalis, etſi vulgo aſſertum, non tamen intime perſpectum eſſe: id quod lubenter concedet, qui ea legit & attenta mente conſideravit, quæ de eodem in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis demonſtravimus.

§. 16.

Quomodo homo homini ſe utilem reddat.

Præſtatione officiorum homo ſe homini utilem reddit. Unusquisque hominum per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam ad perfectionem aliorum & ſtatus eorundem conferre obligatur, quantum valet (§. 222. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), eaque omittere, quæ tendunt ad imperfectionem aliorum atque ſtatus eorundem (§. 231. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque nobis utile eſt, quicquid uſui cuidam noſtro inſervire poteſt (§. 262. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), homo autem pro virili perfectionem noſtram ſtatusque noſtri promovens & imperfectionem a nobis ſtatuque noſtro avertens uſui noſtro inſervit (§. 646. *part.* 1. *Theol. nat.*), officiorum præſtatione homo ſe homini utilem præbet (§. 225. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Dudum

Digitized by Google

Dudum agnitum eſt a veteribus, homini nihil utilius eſſe homine, atque id facile obſervatur, modo conſideremus, quid hominibus aliis quoad animi, corporis & fortunæ bona debeamus, inquirentes in modum, quo eadem conſecuti fuerimus & quomodo fieri potuerit, ut ea conſequeremur: quod ut facilius appareat, conſidera hominem inter urſos educatum (§. 461. *Pſych. rat.*) eumque tecum confer, atque in rationem inquire, cur tanta ſit inter te ac ipſum differentia. Haud difficulter animadvertes, rationem non eſſe aliam, quam quod alii homines præſtatione officiorum tibi ſe præbuerint utiles, alter vero iisdem caruerit. Quodſi jam porro perpendas res alias quascunque, quæ uſui tuo inſerviunt; ſtatim apparebit, rem nullam tibi magis utilem eſſe homine, ſi officio ſuo erga alios ſatisfacit, aut quacunque ratione permotus facit, quod eſt officii, ſi vel maxime non faciat cum ſenſu officii, ſed actio ſaltem externa legi naturæ conveniat. Ipſa lex naturæ, ad cujus obſervantiam nos Deus obligat (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nobis inſinuat, velle Deum, ut homo homini utilis ſit, & idem loquitur nexus rerum ſapientia & bonitate Dei conſtitutus (§. 741. *part. 1. Theol. nat.*), vi cujus res coëxiſtentes & ſucceſſivæ a ſe invicem dependent, ut una inſerviat uſui alterius (§. 665. 646. *part. 1. Theol. nat.*).

§. 17.

Quod id hominibus maxime naturale ſit.

Hominibus nihil magis naturale eſt, quam ut unus ſe utilem præbeat aliis. Etenim homines per ipſam eſſentiam & naturam ſuam obligantur perfectionem ſuam ſtatusque ſui conjunctis viribus promovere (§. 222. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nec ullus hominum ſolus ſe ſtatumque ſuum perficere poteſt, ſed unusquisque aliorum indiget auxilio, nec niſi conjunctis viribus perfectio iſta obtineri poteſt (§. 220. *part. 1 Phil pract. univ.*). Neceſſe igitur eſt, ut ſibi mutuo præſtent officia (§. 225. 226. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum homini

Digitized by Google

mini id naturale ſit, cujus ratio in eſſentia & natura ejus continetur (§. 509. *Coſmol.*), officiorum autem naturalium præſtatione homo homini ſe utilem præbeat (§. 16.); hominibus nihil magis naturale eſt, quam ut unus ſe utilem præbeat aliis.

Gentes barbaræ, quarum feros mores paulo ante notavimus (*not.* §. 12.), omnem humanitatem exuerunt & beſtiarum naturam induerunt tantum ab illa degenerantes vitio depravatæ voluntatis. Si vitam hominis vivere velimus, neceſſe eſt ut præſtatione officiorum nos aliis utiles reddamus. Quo magis homo prodeſt aliis, eo magis vitam hominis vivit. Recolenda hic ſunt, quæ alias demonſtravimus (§. 39. *part. 2. Eth.*), quod determinationi appetitus ad ſui conſervationem, perfectionem & multiplicationem naturaliter inſit ejusdem determinatio ad appetendum ſocietatem & ad inſerviendum aliis: cum enim appetitus hominis naturaliter determinatus ſit ad ſui conſervationem, perfectionem & multiplicationem (§. 30. *part. 2. Eth.*), clarius inde eluceſcit, quod maxime naturale ſit hominibus, ut unus ſeſe utilem præbeat aliis. Inprimis autem perpendenda ſunt, quæ alias annotavimus, quod homo, qui per naturam ſuam utilis eſſe debet aliis, inſerviendo aliis ſibimetipſi utilis ſit (*not.* §. 39. *part. 2. Eth.*).

§. 18.

Quod neglectus officiorum hominem maxime dedeceat.

Quoniam hominibus nihil magis naturale eſt, quam ut ſe utilem præbeat aliis (§. 17.), utilem autem aliis ſe præbet præſtatione officiorum (§. 16.); *hominem nil magis dedecet, quam in præſtandis officiis erga alios eſſe negligentem* (§. 195. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Studium inſerviendi aliis hominem maxime commendat, & unanimiter ab omnibus laudatur. Et quamvis gentes barbaræ ferinis utantur moribus erga peregrinos; qui tamen ſunt

ſuæ gentis, ii mutua ſibi invicem officia præſtant. Ignorantia ſaltem originis Juris naturæ peperit errorem, quod officia erga alios reſtringenda ſint ad eos, qui in eadem ſocietate civili vivunt, ſeu ejusdem ſunt gentis. Conſtat ex adverſo, qui omnia humanitatis officia aliis denegant, quaſi ſibi ſolis nati ſibi ſolis viverent, cenſuram omnium incurrere. Id omnino indicio eſt, ineſſe homini ſenſum quendam decentiæ inſerviendi aliis, qui quomodo inſit ex inexſtientia determinationis appetitus ad appetendum ſocietatem & inſerviendum aliis in determinatione ejusdem ad ſui conſervationem, perfectionem & multiplicationem colligitur. Non igitur eſt, quod dubitemus, efficaciſſimum eſſe motivum officiorum erga alios, quod ſtudium ſe utilem præbendi maxime deceat hominem, officia vero erga alios negligere maxime dedeceat, ſi quis vivere decreverit, quemadmodum hominem decet, atque pudeat vivere brutorum, vel prorſus beſtiarum more.

§. 19.

Medium officia aliis lubenter præſtandi & quomodo officia erga alios fiant motiva officiorum erga nos ipſos.

Quia homini nihil magis naturale eſt, quam ut utilis ſit aliis (§. 17.), ſeſe autem aliis utilem præbet officiorum præſtatione (§. 16.); *omnes noſtras actiones referre debemus ad utilitatem aliorum & quicquid agamus, ſemper cogitandum eſt, quod non nobis ſolis nati ſimus, nec nobis ſolis vivamus, ſed etiam aliis.* Quodſi enim veritatis hujus convicti, aut ad veritatem perſuaſi fuerimus; lubentiſſime inſerviemus aliis, nec data ulla occaſione officium quoddam aliis præſtandi ipſum negligemus, immo in officiis quoque erga nos ipſos ſatisfacere ſtudebimus officiis erga alios, & propoſitum ſatisfaciendi officiis erga alios erit motivum ſatisfaciendi officio erga ſeipſum.

Vita hominum moralis conſiſtit in complexu actionum liberarum, quæ ab ipſo eduntur (§. 7. *part. 2. Phil. Pract. univ.*).

Quodſi ergo vivendum aliis, non nobis ſolis, actiones noſtras omnes referendæ ſunt ad alios, conſequenter etiam illæ, quibus officia erga nos ipſos exequimur. Datur inter officia erga nos ipſos & erga alios indiſſolubilis quidam nexus, vi cujus officia erga alios inexiſtunt officiis erga ſeipſum, ita ut illis ex aſſe ſatisfacere nequeas, niſi accedat animus his quoque ſatisfaciendi & absque hoc vix ac ne vix quidem præcaveri poſſit, quo minus irrepat aliqua labes puritati animi, quæ nobis curæ cordique eſſe debet (§. 604. *part. 2. Eth.*), adverſa (§. 598. 599. *part. 2. Eth.*). Quamvis vero de eo diſertius dicendum, ubi de juſtitia univerſali agitur; non tamen inconſultum eſt, ut exemplo aliquo hoc ipſum illuſtremus. Temperantes eſſe debemus, ut ſanitatem conſervemus (§. 406. *part. 1. Jur. nat.* & §. 199. *part. 4. Eth.*): ſanitatem vero conſervare debemus, ut aliis utiles eſſe poſſimus officiis erga alios ſatisfacturi (§. 222. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Ideo ſanitas non ſolum noſtri, ſed aliorum quoque cauſa expetenda, quibus prodeſſe poſſumus atque debemus, & per conſequens temperantia, quæ ad ſanitatem conſervandam requiritur. Quo quis igitur aptior eſt ad promovendum commodum aliorum; eo ardentius temperantiæ ſtudere tenetur, ne ſe reddat ineptum ad inſerviendum aliis atque diutius aliis prodeſſe poſſit, vi eorum, quæ de obligationibus propriis demonſtrata ſunt (§. 184. & *ſeqq. part. 1. Jur. nat.*). Equidem altius hæc rimanda ſunt, ut copulatio officiorum erga alios & erga ſeipſos penitus perſpiciatur, & eximius ejus intime cognitæ uſus in praxi morali appareat; cum tamen modo monuerimus accuratam ejus diſcuſſionem alii loco reſervandam eſſe, ſufficit in præſenti dixiſſe, quantum ad eam concipiendam & ad attentionem ad eandem ſuſcitandam ſufficit. Immo unicum hoc exemplum acutioribus ſufficiet, ut in actionibus, quibus officio cuivis erga ſeipſum ſatisfacere ſtudent, agnoſcant quoque officium erga alios, cui deeſſe minime debent.

§. 20.

§. 20.

Quinam cum gaudio officia aliis præſtet.

Qui officia aliis præſtat animo obediendi Deo & ea intentione, ut obligationi ſuæ naturali ſatisfaciat, officia aliis præſtat cum gaudio. Quoniam enim obligatio naturalis a lege naturæ venit (§. 141. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & Deus ad legis naturæ obſervantiam nos obligat (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*); qui aliis officia præſtat animo obediendi Deo & ea intentione, ut obligationi ſuæ naturali ſatisfaciat, actiones ſuas legi naturæ convenienter determinat, quia Deus vult, ut hoc faciat (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter Deo ſe obedientem præbens ex habitu virtutis agit (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum virtuoſus actiones legi naturæ conformes cum gaudio committat (§. 348. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & qui Deo ſe obedientem præbet cum gaudio hoc facit (§. 194. *part. 3. Eth.*); qui officia aliis præſtat animo obediendi Deo & ea intentione, ut obligationi ſuæ naturali ſatisfaciat, officia aliis cum gaudio præſtat.

Duplex eſt cauſa gaudii, ſi officia animo obediendi Deo & ea intentione præſtantur, ut obligationi naturali ſatisfacias. Etenim quatenus habes animum ſatisfaciendi obligationi naturali, gaudium creat virtus, quatenus nimirum ex ipſo officio & ex ipſa voluntate eidem ſatisfaciendi voluptatem percipis, cum tibi conſcius ſis & perfectionis alterius, quam promovere ſtudes, & perfectionis tuæ, quæ in virtute conſiſtit & in potentia ex virtute agendi: quatenus vero te Deo obedientem præſtas, obedientia voluptatem creat, quatenus eadem delectaris. Obedientia igitur erga Deum auget gaudium, ſi ad virtutem accedit. Non jam urgeo, quæ ad idem conferunt officia alia erga Deum, quæ cum obedientia copulantur, nec quæ in caſu particulari ad ſenſum perfectionis, quæ te aptum facit ad officii præſtationem, concurrunt: etenim poſterius non pertinet ad præparationem, de qua hic

 agitur,

agitur, & quæ generali determinatione voluntatis ad officia aliis præſtanda abſolvitur, prius vero ex doctrina de praxi officiorum erga Deum in parte tertia Ethicæ tradita addiſcitur.

§. 21.

Signum præparationis abſolutæ.

Quoniam officia aliis cum gaudio præſtat, qui eadem præſtat animo obediendi Deo & ea intentione, ut obligationi ſuæ naturali ſatisfaciat (§. 20.), in præparatione vero ad praxin officiorum erga alios animus diſponitur, ut ea præſtentur animo ſatisfaciendi obligationi ſuæ naturali (§. 1.) & animo obediendi Deo (§. 5.); *præparatio ad praxin officiorum erga alios abſoluta intelligitur, ſi oblata occaſione eadem præſtandi gaudio afficiaris*, ſicque *gaudium ſtimulus ſit ad ea præſtandum.*

Sicuti virtutis ſtudium plerumque fortunæ poteſtati ſubjicitur, & parum curæ cordique habetur; ita quoque de præparatione ad praxin officiorum erga alios parum cogitant homines. Quamobrem non eſt quod mireris, ſi ex præſtatione officiorum erga alios nullum percipiatur gaudium, multo minus autem gaudium duplicetur. Equidem fieri poteſt, ut præſtatio alicujus officii gaudium afferat ob rationes quasdam peculiares, quas circumſtantiæ datæ inſinuant, veluti ut amorem alicujus tibi concilies utilitatis cujusdam tuæ cauſa; aſt gaudium iſtud non confundendum eſt cum eo, de quo hic agitur, cum non præſtationem officii per ſe comitetur, nec ideo perpetuum ſit, neque ſemper omni labe careat, propterea quod te utilem præbes alteri vitio depravatæ voluntatis, veluti ut ægre facias quem odiſti. Animus ad praxin officiorum præparatus gaudio ſincero perfunditur, nec fert cupiditates pravas in voluntatem irrepentes. Elucet quoque hinc neceſſitas præparationis hujus, quod animum purum conſervet ab omni labe in praxi officiorum erga alios: obligamur vero naturaliter, omnem dare operam, ut puritatem animi conſequamur (§. 604. *part. 2. Eth.*).

§. 22.

§. 22.

Quoniam ſignum præparationis ad officia humanitatis præſtanda gaudium eſt (§. 21.); *ſi cui adhuc moleſtum accidit officia præſtare aliis, is ad praxin officiorum erga alios nondum præparatus eſt.*

Præparationis deficientis ſignum.

Equidem fieri poteſt, ut etiam ei, qui gaudet, quod ſatisfacere poſſit officiis erga alios, ſubinde moleſtum accidat inſervire alteri, non tamen inde inferri queat, quod ad praxin officiorum erga alios nondum ſe præparaverit. Etenim ſi inquiſiveris in rationem, cur ægre adduci poſſit, ut petenti officium præſtet, facile intelliges, eum ſubdubitare, an caſus præſtandi officii extet. Ponamus Sempronium a te petere, ut ipſum commendes Patrono, apud quem plurimum valet autoritas tua, te autem ignorare, utrum ſit habilis ad munus, quod ambit, recte obeundum, nec ne, propterea quod non ſatis conſtat, an requiſitum aliquod deficiat. Si in caſu dubio autoritatem tuam aleæ committere nolis, ideoque difficulter te perſuaderi patiaris, ut ipſum commendes: ecquis non videt, hoc minime obſtare tuæ inſerviendi aliis facilitati? Nimirum quamdiu quis dubitat, num commendandus ſatisfacturus ſit expectationi Patroni; commendatio non habet rationem officii, cum commendari non debeat niſi habilis (§. 890. *part. 8. Jur. nat.*), nec quicquam agendum ſit conſcientia dubia (§. 451. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamvis itaque gaudeat oblata occaſione inſerviendi alteri; ubi tamen videt non ſatis tutum eſſe ut alteri inſervias, id ipſum præſtationem officii reddit moleſtam, quatenus alteri inſervire mallet, modo certus eſſet ſeſe nihil committere, quod rectitudinem actionis vitiat. In præſtandis officiis circumſpecti eſſe debemus, cum ipſa lex naturæ nos obliget ad actionum liberarum rectitudinem (§. 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ſine qua puritas animi conſervari nequit (§. 603. *part. 2. Eth.*). Qui ad officiorum praxin ſatis præparatus eſt, in ſeipſo facile expe-

experitur, ſe ad inſerviendum alteri eſſe paratum, & rationes perſpicit, cur inſervire ſubdubitet, ut vel petenti deneget officium, vel ad idem præſtandum ægre adducatur. Moleſtia in iſtiusmodi caſu non naſcitur ex officii præſtatione; ſed alias habet rationes peculiares, quas circumſtantiæ in eodem ſuggerunt, ut ideo dici nequeat, præſtationem officii per ſe moleſtam accidere.

§. 23.

De ſpontanea officiorum præſtatione.

Qui ad praxin officiorum erga alios præparatus eſt, occaſionem inſerviendi alteri arripit, quamvis precibus non petat, ut ſibi officium præſtetur. Qui enim ad praxin officiorum erga alios præparatus eſt, ideo officium alteri præſtat, ut obligationi ſuæ naturali ſatisfaciat (§. 1.), & ut Deo ſe præbeat obedientem (§. 5.), atque gaudet, ſi alteri officium quoddam præſtare poſſit (§. 20.), conſequenter non precibus alterius commovetur, ut officium præſtet, ſed ex iis ſaltem intelligit, ſibi offerri occaſionem præſtandi officium quoddam alteri. Occaſionem igitur inſerviendi alteri arripit, quamvis precibus non petat, ut ſibi officium præſtetur.

Qui ad praxin officiorum erga alios præparatus eſt, ejus voluntas jam generaliter determinata eſt ad committendum actiones legi naturæ conformes (§. 4.), conſequenter ad officia quæcunque præſtandum aliis (§. 225. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo occaſio præſtandi offeratur, officium præſtare vult, nec demum alio motivo opus eſt, ut velit, quamvis motiva ſpecialia pro diverſitate officiorum voluntatem præſtandi confirment, ſicque eandem efficiant magis conſtantem (§. 1062. *part. 1. Theol. nat.*). Præſtat officium ea intentione, ut obligationi ſuæ naturali ſatisfaciat (§. 2.). Quamobrem precum in determinanda voluntate rationem nullam habet: quin potius ſi quis petat, quod ſalva quadam obligatione fieri nequit, precibus adduci nequit, ut alteri ſe utilem

Digitized by Google

utilem præbeat. Atque hinc apparet, precibus ſaltem excitari attentionem ejus, a quo præſtatio petitur, ut conſideret, num caſus præſtandi officii exiſtat: quo non exiſtente nec dici poteſt occaſionem præſtandi offerri. Hæc probe perpendenda ſunt, ut penitus perſpiciatur, quid ſibi velit ſpontanea officiorum præſtatio, & quantum interſit, ut ad praxin officiorum erga alios rite præparemur.

§. 24.

Qui ad praxin officiorum erga alios præparatus eſt, occaſionem inſerviendi aliis quærit. Quoniam enim officia aliis præſtat ea intentione, ut obligationi ſuæ ſatisfaciat (§. 1.) & Deo ſeſe obedientem præbeat (§. 5.), conſequenter cum gaudio (§. 20.), quod ipſi ſtimulo eſt ad ea præſtanda (§. 21.); cum gaudium in prædominio voluptatum conſiſtat (§. 614. *Pſych. empir.*), neceſſe eſt ut ex præſtatione officiorum percipiat voluptatem. Quamobrem cum ad felicitatem hominis ſymbolam ſuam conferat quod voluptatem veram ipſi creat (§. 638. *Pſych. empir.*), per naturam vero ſuam quilibet felicitatem appetat (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*); ideo occaſionem inſerviendi aliis, ut felicitate fruatur, quærit. *Quod is occaſionem inſerviendi aliis appetat.*

Occaſionem inſerviendi aliis quærere plus eſt quam oblatam arripere, & utiliorem ſe præbet aliis, qui occaſionem quærit, quam qui caſu oblatam ſaltem arripit (§. 16.). Qui autem occaſionem quærit, tanto alacrius eam arripit. Atque hinc agnoſcimus, quantum in præparatione ad officia aliis præſtanda profecerimus. Utile autem eſt, ut hoc agnoſcamus, ne præparationem abſolutam exiſtimemus, antequam voluntas ad officia aliis præſtanda ſufficienter fuerit determinata, nec in ejus conſtantia & perpetuitate quicquam amplius deſideretur. Nemo non facile videt, ſi quis occaſionem inſerviendi aliis quærit, ſollicite inquirens, num quis & ubi ſit, cui ſe utilem præſtare poteſt, ejus voluntatem ma-

xime determinatam eſſe ad inſerviendum aliis. Quamobrem in præparatione ad praxin officiorum erga alios tamdiu progrediendum, donec ſtudium quærendi occaſionem aliis inſerviendi in nobis obſervemus: danda vero adhuc in poſterum quoque opera eſt, ne ea inſerviendi aliis proclivitas imminuatur, ſed ut integra potius conſervetur ac continuo magis magisque firmetur. Nimis multæ enim ſunt cauſæ, quæ voluntatem immutare poſſunt, ſi vel maxime conſtans & perpetua videatur, ubi ad caſus particulares devenitur, ut ſumma opus ſit attentione, ne in caſu occurrente cedendo impedimentis oblatis animus aliter ſenſim ſenſimque diſponatur. Itaque cum antea nobis volupe eſſet quærere occaſionem inſerviendi aliis, nunc idem nobis moleſtum evadat tandemque moleſtia neglectum pariat.

§. 25.

Quod boni omnis participes reddere cupiat alios & eos adjuvare in conſequendo bono, quod obtentu poſſibile agnoſcitur.

Quoniam occaſionem inſerviendi aliis quærit, *qui ad praxin officiorum erga alios ſatis præparatus eſt* (§. 24.); *quotiescunque conſecutus fuerit quoddam bonum*, cum alterum quemcunque ope noſtra indigum juvare debeamus, quantum in poteſtate noſtra eſt, ut conſequatur animi, corporis ac fortunæ bona (§. 612. *part.* 1. *Jur. nat.*), *ſtatim diſpicit, num alium quoque boni ejusdem participem reddere poſſit. Immo ſi quocunque modo agnoſcit, bonum quoddam acquiſitu poſſibile eſſe, ſtatim diſquirit, utrum in poteſtate ſua ſit, nec ne, ut alium quendam in eo conſequendo juvet.* Facile autem intelligitur, *præparationi ad praxin officiorum erga alios maxime conducere, ſi boni cujuscunque cogitatio excitet cogitationem opem ferendi aliis in eo conſequendo.*

Non dubito fore multos, qui exiſtimaturi ſunt, nos præparationem ad praxin officiorum facere nimis arduam atque difficilem, & ab hominibus exigere, quæ ultra humanam ſortem poſita ſunt. Etenim probe conſiderandum eſt, omnes habitus morales, qui ad praxin officiorum requiruntur, ſuos

habere

Digitized by Google

habere gradus, ut continuo magis magisque perfici poſſint, & ubi eosdem continuo perficere ſtuduerimus, plura in poteſtate noſtra deprehendi, quam putabatur. Neque ullus dubito fore etiam aliquos, qui eam boni, quod conſecuti ſunt, cum aliis communicandi proclivitatem & ſollicitudinem adjuvandi alios in conſequendo bono, quod obtentu poſſibile cognoſcimus, in ſe experiuntur. Num huic experientiæ debeatur canon Scholaſticorum in Metaphyſicis, omne bonum eſſe communicativum ſui, aliorum diſcuſſioni relinquimus.

§. 26.

Cupiditatem iſtam eſſe homini naturalem.

Cupiditas communicandi cum aliis bonum, quod conſecuti ſumus, aliosque adjuvandi in conſequendo bono, quod acquiſitu poſſibile agnoſcimus, homini maxime naturalis eſt. Etenim qui cupit bonum, quod conſecutus eſt, cum aliis communicare aliosque adjuvare in conſequendo bono, quod acquiſitu poſſibile agnoſcit, ſeſe alteri utilem præbere vult (§. 262. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero homini nihil magis naturale eſt, quam ut utilis ſit aliis (§. 17.). Cupiditas igitur communicandi cum aliis bonum, quod conſecuti ſumus, aliosque adjuvandi in conſequendo bono, quod acquiſitu poſſibile agnoſcimus, homini maxime naturalis eſt.

Non eſt quod mireris cupiditatem iſtam eſſe adeo raram, ut haud pauci eam in eorum numerum referant, quæ bona deſideria appellari ſueverunt, magis optanda, quam ſperanda. Neque enim exiſtimandum eſt, naturam plerisque eſſe adeo novercam, ut iſtam cupiditatem ipſis denegaverit: ſollicitius nimirum inquirenti patebit, vitio depravatæ voluntatis eandem deleri. Ita invidia vanæ ambitionis ſoboles impedit, quo minus inventor modum patefacere velit, quo veritatem detexit, ut eodem quoque uti poſſint alii, & auri ſacra fames obſtat, quo minus Medicus arcana ſua revelare velit, quorum in praxi medica obſervatur utilitas. Innumeris ſane

 modis

modis voluntas depravari poteſt, ut homo non ſequatur, quo ipſum natura ducit.

§. 27.

Durante præparatione officiorum præſtatio non negligenda.

Præparatio ad praxin officiorum erga alios conjungenda eſt cum ipſa præſtatione officiorum in caſu emergente. Cum enim officia ſint actiones lege naturali præſcriptæ (§. 225. *part. 1. Phil. pract. univ.*), obligatio vero naturalis, quæ a lege naturæ venit (§. 141. *part. 1. Phil. pract. univ.*), prorſus immutabilis ſit (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*); in caſu emergente præſtandum eſt officium debitum (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nec differenda eſt præſtatio, donec ad praxin officiorum erga alios fueris rite præparatus. Quamobrem cum præparatione conjungenda eſt præſtatio officiorum in caſu emergente.

Præparatio ad praxin officiorum erga alios in eo conſiſtit, ut animus diſponatur ad præſtandum officia ea intentione, ut obligationi naturali ſatisfaciamus (§. 1.), atque Deo nos obedientes præſtemus (§. 5.). Hoc vero non obſtat, quo minus officiis erga alios aſſueſcamus, dum in caſibus emergentibus actu præſtantur. Etenim quando alteri officium quoddam præſtamus, aut præſtandi ſaltem occaſio emergit, tum animus attendendus eſt ad obligationem naturalem, quæ ipſum facit debitum, & ad obedientiam Deo debitam, qui vult ut id ipſum præſtemus. Cumque quæ actu præſtantur, officia ſpecialia ſint, a præſtatione ſpeciali animus convertitur ad præſtationem officiorum in genere, quoniam officium omne præſtandum eſt ea intentione, ut obligationi noſtræ naturali ſatisfaciamus Deoque obedientes nos præbeamus. Aſſuetudine officiorum præcavetur, ne voluntas depravetur, præparatione autem voluntas perficitur, ne actio ſua deſtituatur rectitudine; & ad præſtationem officiorum efficitur proclivior, ejusdemque conſtantiæ & perpetuitati conſulitur, quemadmodum

dum ex anterioribus ſatis conſtat. Abſit igitur, ut tibi perſuadeas, actualem præſtationem officiorum tamdiu ſuſpendendam eſſe, donec præparatio fuerit abſoluta, aut a præparatione exordium eſſe capiendum, aſſuefactione neglecta, qua jam opus eſt a teneris ungviculis, ideoque ea ætate, qua nondum locus eſſe poteſt præparationi. Alia prorſus ratio eſt acquirendi habitus morales ab omni labe puros, quam aliorum habituum, tum quia actus ad exercitium eorum pertinentes ſunt indiſpenſabilis neceſſitatis, ut nunquam ſine peccato omittantur, vel contrarium committatur, tum quia actibus iisdem contrariis voluntas depravatur, ut ad habitum acquirendum reddatur ineptior. Cum ipſa igitur aſſuefactione conjungenda præparatio, quamprimum ætas permittit, ut, dum in caſu dato agnoſcis officium, quod præſtandum, eſſe debitum naturale, ideoque præſtandum non alia intentione, quam ut obligationi naturali ſatisfacias Deoque obedias, propoſitum generale concipias officium omne reliquum eadem intentione præſtandi, non attentis motivis quibusvis reliquis, quæ te ad præſtandum invitare poſſunt, & inſuper habitis omnibus rationibus, quæ voluntatem in contrariam partem flectere poſſunt. Atque ita occaſio inſerviendi aliis arripitur, quemadmodum præparatio ad praxin officiorum erga alios exigit (§. 23.), & ipſa occaſio præſtandi cuidam officium aliquod fit quoque occaſio præparandi animum ad omnem officiorum erga alios praxin. Quoniam hæc præparatio eſt pars quædam ſtudii voluntatem bonam efficiendi (§. 4.); quæ de illa hic dicuntur, ea etiam tenenda ſunt de modo voluntatem bonam efficiendi. Infert illa non prioritatem temporis, ſed ordinis, quem dependentia eorum, quæ in anima ad recte agendum requiruntur, a ſe invicem efficit. Humana autem natura, quæ ſucceſſive perficitur, non fert, ut generalis determinatio, qualem præparatio exigit, præcedat particulares determinationes, quas requirunt præſtationes officiorum in caſibus emergentibus ad contrahendam aſſuetudinem: quin potius ab his incipiendum & eædem ſucceſſive emendandæ,

 ut

ut ſenſim ſenſimque ad generalem progredi liceat, prouti circumſtantiæ ſuaſerint. Ita nimirum non modo præcavetur voluntatis depravatio, verum etiam determinatio generalis ejusdem per particulares efficitur facilior & efficacior. Nolo hæc uberius explicare, quæ unusquisque in ſe experiri poteſt, ſi cum in ſe, tum in aliis tentamina ſumere voluerit.

§. 28.

Utilitas præparationis cum actuali præſtatione in caſu emergente conjunctæ.

Quoniam præparatio ad praxin officiorum erga alios conjungenda eſt cum ipſa præſtatione officiorum in caſu emergente (§. 27.); *quotiescunque officium aliquod alteri præſtamus, vel præſtare debemus, ea perpendenda ſunt, quæ ad præparationem neceſſaria eſſe demonſtravimus.* Ita nimirum obtinebitur, ut determinatio voluntatis generalis, quæ per præparationem intenditur, influat ſemper in ſpecialem, qua in caſu emergente opus eſt, & aſſuetudo officiorum ſpecialium abeat in virtutem.

Diſcimus hinc, quantum interſit, ut præparatio cum actuali præſtatione in caſu emergente conjungatur, & ratio patet, cur ab hac incipienda ſint exercitia, quibus virtus in hoc genere actionum acquirenda.

§. 29.

Notitia ſui a præſtatione officiorum erga alios præſuppoſita.

Præſtatio officiorum erga alios prærequirit notitiam ſui. Etenim nemo alterius perfectionem promovere ac imperfectionem præcavere tenetur, niſi quatenus in poteſtate ſua eſt (§. 611. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter quatenus citra neglectum officii erga ſeipſum (§. 610. *part. 1. Jur. nat.*) facultatum, virium ac rerum ſuarum uſu aliorumque ope ac auxilio perfectionem promovere, imperfectionem avertere valet (§. 175. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum notitia ſui

Digitized by Google

homo noſſe debeat tum ea, quæ natura ipſi inſunt quoad animam & corpus, tum quæ quomodocunque acquiſita & qualis ſit ſtatus ſuus externus (§. 3. *part. 4. Eth.*), quantum ipſemet in bono profecerit, quantum adhuc deficiat (§. 22. *part. 4. Eth.*), & num ſibi plura in poteſtate ſint, quam aliis, ſeu num ſit amplior facultatum, virium ac rerum uſus, alienumque auxilium majus (§. 20. *part. 4. Eth.*); præſtatio officiorum erga alios prærequirit notitiam ſui.

In Ethica demonſtratur, qualis ſit virtus perfecta, quæ ab omni labe immunis eſt & puritatem animi parit (§. 599. *part. 2. Eth.*). Quamvis enim perfecta virtus a nobis acquiri nequeat, ad eam tamen omni animi contentione eniti & contendere debemus, ut majores indies progreſſus in omni virtute, quam maxime poſſumus, faciamus. Eadem igitur tenenda quoque ſunt de iis virtutibus, quibus praxis officiorum erga alios continetur. Quoniam omnem facere tenemur facultatum noſtrarum uſum, qui ad perficiendum animam, corpus & ſtatum hominum aliorum & ad arcendum omnem imperfectionem ab eorum anima, corpore & ſtatu requiritur, quatenus id abſque neglectu officii erga ſeipſum fieri poteſt (§. 609. *part. 1. Jur. nat.*); ecquis non videt intimiorem notitiam ſui prærequiri, ne inſerviendo aliis tibi ipſi deſis, vel occaſionem inſerviendi aliis prætermittas, quam arripere debebas, multoque magis, ne occaſionem inſerviendi aliis quærere negligas (§. 23. 24.)? Accurata horum obſervatio pertinet ad rectitudinem officiorum aliis præſtandorum (§. 79. & *ſeqq. part. 1. Phil. pract. univ.*), ad quam conſequendam eniti debemus (§. 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & ſine qua puritas animi non ſperanda (§. 601. *part. 2. Eth.*). Neque vero adeo facilis eſt eorum, quæ in poteſtate noſtra ſunt, æſtimatio, quando officia præſtanda ſunt aliis citra neglectum officii erga nos ipſos, vel etiam attenta phyſica præſtandi poſſibilitate. Quemadmodum enim hominibus ſolenne

lenne eſt, ut in iis, quæ ad ſe ſpectant, plus ſperent de facultatibus ſuis quam in iis eſt; ita ex adverſo accidit, ut in iis, quæ ad alios ſpectant, minus ſperent de facultatibus ſuis, quam in iis eſt, ut ad excuſandum neglectum officiorum erga alios, nunc impotentiam, nunc neglectum officii erga ſeipſum obtendant. Et quamvis hoc potiſſimum fieri ſoleat ubi animus ad præſtandum officia aliis nondum fuerit ſatis præparatus (§. 23. & *ſeqq.*); idem tamen adhuc contingere poteſt, utut ardore inſerviendi aliis flagres. Æſtimatio eorum, quæ in poteſtate noſtra ſunt, utiliter accedit ad medium aſſueſcendi officiis erga alios, quod ſupra commendavimus (§. 8. 9.), atque tum notitia ſui in præparationem ad praxin officiorum erga alios influit.

§. 30.

De animo recte gerendi perſonam ſuam ad ſtudium inſerviendi aliis requiſito.

Animus recte gerendi perſonam ſuam ſtudium inſerviendi aliis promovet. Etenim cum lex naturæ & obligatio naturalis, quæ ab ea venit (§. 141. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ponatur poſita hominis natura atque eſſentia (§. 129. 136. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ipſa natura nobis impoſuit certam perſonam (§. 70. *part. 1. Jur. nat.*), quam Deus vult ut recte geramus (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nimirum ut actiones ſuas dirigat, quemadmodum hominem decet. Enimvero cum homini nihil magis naturale ſit, quam ut utilem ſe præbeat aliis (§. 17.) officiorum præſtatione (§. 16.), nec quicquam magis dedeceat, quam neglectus officiorum erga alios (§. 18.); qui habet animum recte gerendi perſonam ſuam inſervire quoque ſtudet aliis. Animus igitur recte gerendi perſonam ſuam ſtudium inſerviendi aliis promovet.

Quando de perſona recte gerenda quæſtio eſt, hominem moraliter conſideramus, quatenus in eum cadunt certæ obligationes certaque jura (§. 70. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem

rem natura impoſuit homini perſonam, quatenus ex eſſentia & natura ipſius fluunt obligationes actiones ſuas liberas certa ratione determinandi & inde oriuntur jura, Deus vero vult, ut hanc perſonam recte geramus, quatenus vult ut actiones noſtras legi naturæ convenienter dirigamus & juribus natura nobis conceſſis eidem convenienter utamur. Quodſi ergo quis perſonam ſuam ſibi tanquam homini impoſitam recte gerendi animum habet, ab eo abeſſe nequit voluntas inſerviendi aliis cum cupiditate ſe utilem præbendi aliis copulata. Atque ita animus recte gerendi perſonam ſuam ſtudium aliis inſerviendi promovet. Recolenda animo hic ſunt, quæ de perſona, quam nobis Deus impoſuit, recte gerenda annotavimus (*not.* §. 426. *part. 3. Eth.*), & inprimis ea, quæ uberius expoſuimus (*not.* §. 17. *part. 4. Eth.*), cum oſtenderemus, ad notitiam ſui inprimis requiri, ut probe cognoſcamus modum eam recte gerendi.

§. 31.

Quænam obſervationes ſint utiles animum inſerviendi aliis habenti.

Qui habet animum aliis inſerviendi quantum poteſt, ſedulo obſervare debet omnes caſus, in quibus unus indiget conſilio & auxilio aliorum, ſive eodem adjutus, ſive deſtitutus fuerit. Qui enim habet animum aliis inſerviendi quantum poteſt, noſſe debet, quanam in re indigeant conſilio & auxilio alieno, ut non modo diſcat, quænam ea ſint, in quibus homo homini ſe utilem præbere valeat, verum etiam notitia ſui inſtructus (§. 29.), judicare poſſit, in quibusnam conſilio vel auxilio ſuo alios juvare in poteſtate ſua ſit, & quomodo ſe ulterius perficere debeat, ut aliis magis proſit, atque occaſionem inſerviendi aliis oblatam arripiat (§. 23.), immo quærat (§. 24.). Quoniam itaque hæc omnium optime addiſcit, ſi ſedulo obſervet caſus omnes, quales quotidie obvios eſſe nemo eſt qui neſciat, in quibus unus indiget conſilio vel auxilio aliorum, ſive eodem adjutus, ſive deſtitutus fuerit; qui habet ani-

animum aliis inſerviendi, quantum poteſt, ſedulo obſervare debet omnes caſus, in quibus unus indiget conſilio & auxilio aliorum, ſive eodem adjutus fuerit, ſive deſtitutus.

Quantum valeant in praxi morali experientia domeſtica atque exempla, dudum demonſtravimus (§. 259. & *ſeqq. part. 2. Phil. pract. univ.*) ſæpiusque jam inculcavimus. Quæ igitur in genere demonſtrata ſunt, facile applicantur ad haſce quoque obſervationes, quas in præſenti commendamus. Quamvis enim ex theoria officiorum cum erga ſeipſum, tum erga alios ſatis conſtet, quænam ea ſint, in quibus homo homini ſe utilem præbere poſſit; non tamen propterea negligendæ ſunt obſervationes, ſed cum ſcientia ex theoria hauſta copulandæ, vi eorum, quæ de exemplorum & experientiæ domeſticæ utilitate demonſtravimus. Accedit, quod non omnium ſit ſcientia, obſervationes vero iſtæ conveniant omnibus, quamvis non omnes eundem facere poſſint earum uſum, ſed unusquisque pro captu ſuo faciat. Quodſi has obſervationes expendentes fingamus nos eſſe loco indigentis (§. 8.); ex nobismet ipſis addiſcemus, quomodo differat ſtatus indigentis, ſi aliorum conſilio vel auxilio juvetur, & ubi eodem deſtituitur: id quod conducit ad proclivitatem voluntatis inſerviendi aliis ſibi conciliandam.

§. 32.

Notitia aliorum ad ſtudium aliis inſerviendi requiſita.

Qui animum aliis inſerviendi habet, alios ſecum viventes noſcere tenetur. Qui enim animum aliis inſerviendi habet, non modo occaſionem inſerviendi aliis oblatam arripit (§. 23.), verum etiam quærit (§. 24.). Qui vero oblatam arripere & ſua veluti ſponte ſeſe non offerentem quærere debet, cum omnem facere teneamur facultatum noſtrarum uſum, qui ad perficiendum animam, corpus & ſtatum aliorum, atque ad arcendum omnem imperfectionem ab eorum anima, corpore & ſta-

& ſtatu requiritur, quatenus id absque neglectu officii erga nos ipſos fieri poteſt (§. 609. *part. 1. Jur. nat.*), ſi ope noſtra indiget (§. 232. 233. *part. 1. Phil. pract. univ.*), neceſſe eſt ut cognoſcat, quales ſint ſecum viventes & quinam ſit eorum ſtatus. Alios igitur ſecum viventes noſcere tenetur.

Officia humanitatis præſtare non tenemur niſi indigenti. Quodſi ergo officium quoddam quidam a te petit, ſi non ſemper certo; ſaltem probabiliter conſtare debet, utrum eodem opus habeat, nec ne. Quodſi occaſionem aliis inſerviendi quæris, neceſſe eſt, ut inquiras, num inter eos, qui tecum vivunt, adſint aliqui, quibus officiorum præſtatione te utilem præbere potes. In utroque caſu neceſſe eſt, ut alios tecum viventes noſcere ſtudeas. Quemadmodum itaque alios cognoſcere obligamur utilitatis noſtræ cauſa, ut nimirum nos ex aliis intimius noſcamus (§. 193. *part. 1. Jur. nat.* & §. 21. *part. 4. Eth.*); ita quoque alios cognoſcere tenemur utilitatis ipſorum cauſa, ut nimirum conſilio atque ope & auxilio noſtro eosdem juvemus, quando eodem indigent. Aliorum igitur noſcentia non minus nobis utilis eſt, quam iis, quos noſcimus.

§. 33.

De neglectu præparationis ad praxin officiorum erga alios.

Qui utilitatem & neceſſitatem præparationis ad praxin officiorum erga alios non agnoſcunt, eam negligunt. Qui enim utilitatem & neceſſitatem præparationis ad praxin officiorum erga alios non agnoſcunt, aut de eadem non cogitant, aut ubi de eadem ſermo incidit, eam pro ſuperflua habent. Quoniam itaque nemo ſciens ac volens inanem operam ſumere ſolet; ideo qui absque ulla utilitate & nulla urgente neceſſitate animum ad praxin officiorum erga alios demum præparari exiſtimant, eam negligunt. Quodſi vero quis de eadem ne quidem cogitat, cum incognitum nec appetere, nec

averſari poſſimus (§. 148. *part. 2. Eth.*), nec ea curæ habebit, quæ ad præparationem iſtam requiruntur, conſequenter eam negliget (§. 750. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Nimis multi ſunt, qui præparationem ad praxin officiorum erga alios ſimpliciter ignorant, ut ideo mirum non ſit, ſi nulla de eadem incidit cogitatio. Non jam nobis ſermo eſt de nomine, ſed de re, quam definitio indicat, nimirum de voluntatis generali determinatione officia erga alios præſtandi ea intentione, ut obligationi naturali ſatisfiat. Ubi vero notandum eſt, cum illa diſpoſitio animi, quæ acquiritur, virtutis rationem habere debeat, eam requirere conſtantiam & perpetuitatem, nec ſufficere ſimplex propoſitum, quod quis habet, quando de officiis erga alios in genere cogitat. Qui ſimpliciter ignorat præparationem ad praxin officiorum erga alios, is non novit voluntatem generaliter ita determinari poſſe, ut in dato caſu quocunque obvio officium præſtare nolimus, niſi ea intentione, ut obligationi noſtræ naturali ſatisfaciamus. Ex adverſo alii ſunt, qui in dubium minime vocant, generalem iſtam voluntatis determinationem eſſe poſſibilem, quam præparationis nomine indigitamus; ſed eidem nos ſuperſedere poſſe, cum abſque hac præparatione officia erga alios præſtari poſſint tanquam naturaliter debita. Qui vero ita ſentiunt, aut falluntur, ſi ſibi perſuadent, in omni caſu eadem facilitate voluntatem determinari ad præſtandum officium tanquam naturaliter debitum, etſi determinatio generalis non præceſſerit, cujus memoria in caſu quolibet dato refricatur, aut ſi adſueſcas in quolibet caſu dato animum attendere ad obligationem naturalem, id ipſum ad præparationem facere non advertunt, quamvis ſucceſſus reddatur difficilior, cum vincenda ſint impedimenta in caſu dato obvia, quibus facilius reſiſtitur, ubi memor fueris propoſiti officium non alia intentione præſtandi, quam ut ſatisfacias obligationi naturali, ſicque Deo te obedientem præbeas.

§. 34.

Digitized by Google

§. 34.

Quoniam præparationem ad praxin officiorum erga alios negligunt, qui utilitatem & neceſſitatem ejus non agnoſcunt (§. 33.), utilitas vero inde perſpicitur, quod animo rite præparato officia præſtentur cum gaudio (§. 20.), & neceſſitas inde elucet, quod præparato animo occaſio aliis inſerviendi arripiatur (§. 23.) & quæratur (§. 24.), conſequenter nunquam negligatur; *ne præparatio ad praxin officiorum erga alios negligatur, quæ de ejus utilitate & neceſſitate demonſtrata ſunt, probe perpendenda.* *Quomodo neglectus iſte præcaveatur.*

Haud exigui momenti eſt utilitas, quod animo rite præparato non ſine gaudio præſtentur officia, cum ſic præſtatio faciat ad felicitatem noſtram (§. 614. 638. *Pſych. empir.*). Et quoniam obligatio naturalis abſolute neceſſaria eſt (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*), præparatione autem animus diſponitur ad præſtandum officia aliis; de neceſſitate ejusdem dubitandum non eſt. Conſiſtit virtus in habitu actiones ſuas legi naturæ conformiter determinandi (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Neglectus igitur officiorum erga alios virtuti contrariatur (§. 275. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque ſollicite vitandus, ſi quis virtuti deditus eſſe velit, ſine qua nemo felix eſſe poteſt (§. 400. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Hæc diligenter conſideranda ſunt, ne quis præparationem ad praxin officiorum erga alios negligat, ſed ut ardor potius animum ad eam præparandi incendatur & alatur: ad quod haud parum quoque confertur, ſi perpendamus, homini nihil magis naturale eſſe, quam ut ſe utilem præbeat aliis (§. 17.), nec quicquam magis eundem dedecere, quam ſi in præſtatione officiorum erga alios fuerit negligens (§. 18.).

§. 35.

Præſtatio officiorum erga alios eo animo, ut ſatisfacias obligationi naturali, perfectionem hominis indicat & ad eam pertinet. Quodſi *Quando præſtatio officio-*

rum erga alios ſit ſignum perfectionis humanæ.

enim officia præſtentur aliis eo animo, ut ſatisfacias obligationi tuæ naturali, actiones tuas legi naturæ conformiter determinas (§. 141. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter eædem ex habitu virtutis procedunt (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum virtutes morales pertineant ad perfectionem animæ acquiſitam (§. 548. *part. 1. Jur. nat.*); præſtatio officiorum erga alios eo animo, ut ſatisfacias obligationi tuæ naturali, perfectionem hominis indicat & ad eam pertinet.

Officia, quæ præſtantur aliis, duplici modo conſiderari poſſunt, nimirum vel reſpectu eorum, quibus præſtantur, vel reſpectu noſtri. Reſpectu aliorum ſpectatur utilitas ipſorum, quæ eadem manet, qualiſcunque tandem fuerit animus. Atque hoc reſpectu admittenda eſt illorum ſententia, qui contendunt, non diſquirendum eſſe de animo præſtantis, ſed ſufficere, ut is ſe utilem præbeat aliis ac præclare de ipſis mereatur. Actu nimirum externo promovetur bonum aliorum, non animo. Enimvero reſpectu præſtantis officia ſpectantur tanquam actus legi naturæ conformes (§. 225. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quæ omnium facultatum noſtrarum uſum exigit, qui ad ſervandum ipſam requiritur (§. 172. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter etiam animum præſtandi officia aliis, ut ſatisfaciamus obligationi naturali. Reſpectu igitur aliorum æſtimantur ex utilitate, quæ affertur aliis; reſpectu præſtantis ex animo ſatisfaciendi obligationi ſuæ. Utrumque attendendum eſt a præſtante, ſcilicet ut velit ſe utilem præbere aliis, ne deſit ulla ex parte obligationi ſuæ. Non ergo opus eſt, ut dividas ſententias eorum, quorum alii ad præſtationem officiorum erga alios requirunt animum ſatisfaciendi obligationi ſuæ, alii contendunt, parum intereſſe, quo animo præſtentur, modo præſtentur. Quodſi enim eas rite interpreteris, quemadmodum debes, eo, quem diximus, modo, nulla erit ratio, cur unam alteri opponas, ſed eas facile conciliabis, & officia præſtiturus utramque conjunges. Velim

lim ad hæc animum advertant, qui ad cenſendum alios proni ſunt, & aliorum ſententias nondum ſatis diſcuſſas impugnare ſolent, Philoſophiæ conciliatricis, quæ maximi facienda, aut notionem nullam habentes, aut ſaltem parum memores. Ceterum, quæ hic annotavimus, non contemnendum uſum habent cum in praxi morali, tum inprimis etiam in civili, quoties nimirum refert, ut actionum ſaltem externarum habeatur ratio, interna vero conſcientiæ agentis relinquenda.

§. 36.

Quomodo officia erga alios in officiis erga nos ipſos continentur.

Quoniam præſtatio officiorum erga alios eo animo, ut ſatisfaciamus obligationi noſtræ naturali ad perfectionem noſtram pertinet (§. 35.), lege autem naturali ad nos perficiendum obligamur (§. 152. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *officia erga alios in ipſis officiis erga nos ipſos continentur* (§. 226. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter *ſi aliis officia præſtare ſtudemus eo animo, ut obligationi noſtræ naturali ſatisfaciamus, eo ipſo ſatisfacimus officio erga nos ipſos.*

Habitus præſtandi officia aliis ad perfectionem hominis acquiſitam pertinet, atque præcipua quædam ejus pars eſt (§. 209. *part.* 1. *Jur. nat.*). Cum habitus exercitio acquirantur (§. 430. *Pſych. empir.*) & continuo uſu conſerventur ac perficiantur (§. 431. *Pſych. empir.*); ſingulæ officiorum præſtationes hominem perficiunt. Omnis actio, qua nos perficimus, officium quoddam erga ſeipſum eſt (§. 152. 226. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Et hoc modo patet, quomodo officium erga ſeipſum contineat officia erga alios, aut, ſi mavis, præſtationi officiorum erga alios inſit præſtatio officii erga ſeipſum. Patet itaque, qualis eſſe debeat animus officia aliis præſtantis, nimirum ea eſſe debet intentio, ut & obligationi, qua tenemur aliis, & obligationi, qua tenemur nobismetipſis ſatisfaciamus, quatenus officium præſtamus aliis tanquam naturaliter debitum eodemque utimur tanquam medio pro-

promovendi perfectionem propriam, ne nobis ipſis deſimus.

§. 37.

Quomodo jucundum ſit inſervire aliis.

Similiter quoniam præſtatio erga alios eo animo, ut ſatisfiat obligationi naturali, perfectionem hominis indicat (§. 35.), ideoque nobis conſcii ſumus perfectionis noſtræ, ſi eo animo officia aliis præſtamus, quando vero nobis conſcii ſumus perfectionis cujusdam noſtræ, voluptate perfundimur (§. 511. *Pſych. empir.*); *ſi officia præſtantur eo animo, ut ſatisfiat obligationi naturali, animus voluptate perfunditur*, conſequenter *inſervire aliis jucundum eſt*.

Oſtendimus jam ſuperius officia præſtari aliis cum gaudio, ſi præſtentur animo obediendi Deo & ea intentione, ut obligationi naturali ſatisfaciamus (§. 20.). Et quamvis gaudii iſtius & voluptatis, de qua hic ſermo eſt, eadem cauſa eſſe videatur (*not.* §. *cit.*); non tamen prorſus eadem eſt. Hic enim habitum inſerviendi aliis non ſaltem ſpectamus tanquam perfectionem noſtram, verum etiam ſingulas præſtationes tanquam medium perfectionem acquiſitam conſervandi & augendi; atque hactenus lætamur occaſione inſerviendi aliis oblata: quæ lætitia acceſſio eſt illius gaudii. Probe nimirum notandum eſt, plures concurrere poſſe rationes ad concitandum eundem affectum, ut ideo pro diverſitate ſubjectorum variet, quoniam ſcilicet non omnium idem acumen eſt, quo diſcernuntur ea, quæ objecto cuidam inſunt, vel adſunt, ad affectum concitandum apta. Quamvis autem confuſæ perceptiones affectus ſuſcitent (§. 605. *Pſych. empir.*); eædem tamen differunt, prouti plures in unam confunduntur: quod ut fiat, neceſſe eſt antea diſtincte ſingula expendere, quæ in objecto quodam conſideranda ſunt, eademque iterata conſideratione memoriæ firmiter infigere. Atque hoc ipſum ad præparationem ſpectat, de qua in præſenti agimus.

Sane

Sane ſi quis omnia ſibi familiaria reddiderit, quæ hactenus de præparatione ad praxin officiorum erga alios demonſtrata ſunt, perceptiones confuſæ in præſtante plurimum different a perceptionibus eandem negligentis, animumque plurimum immutabunt. Quodſi homines magis attenderent animum ad ſtatum animæ internum, dum ad agendum ſe determinant, vel actu agunt, & tanto acumine pollerent, ut diverſitatem ſtatus, quando eadem agunt, pro diverſitate perceptionum præteritarum in eundem influentium obſervarent; veritatem non modo eorum, quæ modo diximus, verum etiam aliorum longe plurimorum in ſeipſis experirentur. Aſt quis eſt, qui neſciat, quantum huc usque neglectum fuerit ſtudium pſychologicum & ethicum ab illo pendens? Cur ergo miremur defectum acuminis ad obſervationes pſychologicas requiſiti? Excellunt Aſtronomi obſervandi acumine, & Aſtronomiæ periti non ignorant modum, quo idem indies perficiunt. Hos ſi imitaremur in obſervationibus pſychologicis, non eſt quod dubitemus fore, ut acumen quoque pſychologicum indies magis magisque perficeretur, atque aditus ad latebras & receſſus in animis noſtris aperiretur. Monſtramus viam ad tam ardua in Philoſophia noſtra, modo non deſint, qui eam ingredi velint.

§. 38.

Habitus præſtandi officia aliis, quantum in poteſtate fuerit, hominem Deo aſſimilat. Quodſi enim officia aliis præſtemus, quantum in poteſtate fuerit, tantundem boni in alios conferimus, quantum a nobis conferri poteſt, ſalva ſapientia (§. 443. *part. 1. Eth.* & §. 225. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Sed Deus enti cuicunque, ac ideo quoque homini tantundem confert boni, quantum ſalva ſapientia ipſius fieri poteſt (§. 698. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem habitus præſtandi officia aliis, quantum in poteſtate fuerit, hominem Deo aſſimilat (§. 195. *Ontol.*).

Habitum præſtandi officia aliis hominem Deo aſſimilare.

Si quis intelligit, quid ſit præſtare officia aliis, quantum in poteſtate fuerit (§. 175. *part. 1. Jur. nat.*); is haud difficulter capiet id fieri minime poſſe, niſi adſueti fuerimus eadem præſtare ea intentione, ut obligationi naturali ſatisfaciamus, animoque obediendi Deo: tum enim occaſionem inſerviendi aliis non modo arripimus (§. 23.), verum etiam quærimus (§. 24.), conſequenter nullam negligimus (§. 750. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam vero in præſtandis officiis non ſaltem attenditur phyſica poſſibilitas, ſed etiam moralis; cum nihil faciendum, niſi quod obligationi convenit, qua & aliis, & nobismetipſis tenemur (*not.* §. 36.), ne utamur mediis aliorum commoda promovendi, quæ lege naturæ prohibita ſunt, ſapientia moderatur officiorum præſtationem (§. 443. *part. 1. Eth.*). Atque ita Deum, qui tantundem boni in creaturas ſuas confert, quantum ſalva ipſius ſapientia fieri poteſt (§. 698. *part. 1. Theol. nat.*), imitamur (§. 204. *part. 2. Phil. Pract. univ.*), ſicque Deo efficimur ſimiles, quantum permittit differentia inter ens finitum & infinitum, dum ſtudemus eſſe perfecti, quemadmodum Deus perfectus eſt, quemadmodum jubet Chriſtus *Math.* V, 48. & in Horis ſubceſivis Marburgenſibus A. 1730. trim. vern. n. V. uberius expoſuimus. Vide, quæ de hac ſimilitudine alias annotavimus (*not.* §. 294. & *not.* 296. *part. 3. Eth.*), & de imitatione Dei diximus (*not.* §. 117. *part. 3. Eth.*).

§. 39.

Motivum ſibi comparandi habitum aliis præſtandi officia, ſi quis fuerit pius.

Quoniam habitus præſtandi aliis officia, quantum in poteſtate eſt, hominem Deo aſſimilat (§. 38.), pius autem in determinandis actionibus liberis Deum imitatur (§. 117. *part. 3. Eth.*); *pietatis cultori motivum ſibi comparandi habitum præſtandi officia erga alios eſt, ſi agnoſcit, habitum hunc nos Deo aſſimilare.*

Pius Deum ſibi proponit tanquam exemplar in determinandis actionibus liberis, ut Deum non modo imitetur in agen-

Digitized by Google

do, verum etiam in modo determinandi voluntatem in agendo: quam differentiam alias explicavimus (*not.* §. 117. *part.* 3. *Eth.*). Agnoſcit perfectionem hominis conſiſtere in aptitudine repræſentandi perfectionem Dei ſummam (§. 917. *part.* 1. *Theol. nat.*), atque ideo ſimilitudinem cum Deo intendit. Agnoſcit vero etiam, ſe habitu præſtandi officia erga alios repræſentare bonitatem Dei (§. 698. *part.* 1. *Theol. nat.*), atque ideo ſimilitudo cum Deo ipſi motivum eſt acquirendi habitum officia præſtandi aliis. Quodſi putes id arguere faſtum & ſuperbiam; contrarium jam alias oſtendimus (*not.* §. 296. *part.* 3. *Eth.*). Pietas ſincera, quæ hic ſupponitur, faſtui ac ſuperbiæ locum nullum relinquit. Arcet ea vitia omnia, utpote virtutem omnem facilitans (§. 344. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) atque perfectionis hominis complementum exiſtens (*not.* §. 113. *part.* 3. *Eth.*), ideoque animum ab omni labe purgat, ut animus ſit purus (§. 599. *part.* 2. *Eth.*). Quamobrem ſi pius movetur ad culturam officiorum erga alios, ut bonitatem Dei repræſentet; nihil vitioſi animo ejus inhæret.

§. 40.

Studium acquirendi habitum officia aliis præſtandi ad curam animæ pertinens.

Qui curam animæ habet, habitum præſtandi officia aliis acquirere ſtudet. Etenim qui curam animæ habet, in promovenda perfectione animæ omnem diligentiam adhibet (§. 139. *part.* 4. *Eth.*), conſequenter nihil eorum omittit, quæ ad perfectionem animæ pertinent (§. 751. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum habitus præſtandi officia aliis ad perfectionem animæ pertineat (§. 35.); qui curam animæ habet, habitum præſtandi officia aliis acquirere ſtudet.

Supponimus utique cognitum, quod habitus præſtandi officia aliis ad perfectionem hominis pertineat, cum incognitum appetere nequeamus (§. 148. *part.* 2. *Eth.*). Quæ autem in anterioribus demonſtrata ſunt, tanquam cognita recte ſup-

Digitized by Google

ponimus. Cum lex naturæ urgeat perfectionem noſtram (§. 152. *part. 1. Phil. pract. univ.*); qui ad virtutem colendam animum appellit, ante omnia operam dare debet, ut perfectionem hominis cognoſcat ac intime perſpiciat. Quodſi ea cognoveris, quæ de perfectione hominis in operibus noſtris paſſim demonſtravimus & uberius explicavimus; nihil eorum ignorare poteris, quæ ad intimiorem ejusdem cognitionem ſpectant. Cura vero animæ ea eſt, quam in perfectionem animæ accidentalem conferre debemus (§. 134. *part. 4. Eth.*), naturalis enim homini per ſe ineſt, nec demum acquirenda. Hinc jam apparet, quomodo præparatio ad praxin officiorum erga alios a cura animæ dependeat, quod hæc ipſa hominem impellat ad iſtam præparationem, quod autem ex adverſo vix ac ne vix quidem eam perſuadere detur curam animæ negligenti.

§. 41.

Quod idem conveniat ad vitam perfectam adſpiranti.

Qui ad vitam perfectam adſpirat, operam dare tenetur, ut habitum præſtandi officia aliis acquirat. Qui enim vitæ perfectæ ſtudet, actiones ſuas omnes quoad minima legi naturali conformare tenetur (§. 17. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque lex naturæ urget officia erga alios (§. 226. 223. *part. 1. Phil. pract. univ.*); nullam quoque prætermittit occaſionem, qua aliis officium quoddam præſtare poteſt. Quodſi ergo quis ad vitam perfectam adſpirat, operam dare tenetur, ut habitum præſtandi officia aliis acquirat.

Dudum oſtendimus, qui vitam perfectam vivere ſtudet, eum in omnibus actionibus ſuis aliorum quoque perfectionem intendere debere (§. 34. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Jam vero officia erga alios in actionibus iſtis conſiſtunt, quibus aliorum perfectio promovetur (§. 222. 223. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem abunde patet, absque habitu præſtandi officia aliis vitam perfectam concipi non poſſe. Oppido igitur

Digitized by Google

igitur falluntur, qui ſibi perſuadent, illum demum vitam perfectam vivere poſſe, qui ſibi tantummodo vivit omni commercio cum aliis hominibus procul remotus.

CAPUT II.

De Amore & Dilectione aliorum.

§. 42.

Quod amor aliorum amorem ſui ſupponat.

Qui *alterum amare vult, ſeipſum amet neceſſe eſt.* Alterum enim amare debemus tanquam nos ipſos (§. 619. *part.* 1. *Jur. nat.*), ideoque amor alterius metiendus eſt ex amore ſui: quod cum fieri non poſſit, niſi quis ſeipſum amet, ut amoris ſui ſibi conſcius notionem ejus habeat (§. 31. 34. *Log.*), qui alterum amare vult, ſeipſum amet neceſſe eſt.

Lex naturæ præcipit, ut unusquisque alterum amet tanquam ſeipſum (§. 619. *part.* 1. *Jur. nat.*), conſequenter amorem ſui, qui homini naturalis eſt (§. 45. *part.* 4. *Eth.*), ſupponit. Quamvis vero hic naturalis ſit, ut de eo acquirendo minime ſolliciti eſſe debeamus, intellectus tamen eundem regat neceſſe eſt, bona vera ab apparentibus veraque mala a malis apparentibus dividendo (§. 47. *part.* 4. *Eth.*), ne ſcilicet affectus exorbitet. Qua de cauſa amor proprius in ordinatum atque inordinatum dividitur, tuncque rationalis dicitur (*not.* §. 607. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quodſi ergo amor alterius a rectitudine deficere non debet, neceſſe eſt ut amor ſui ſit ordinatus & rationalis, ideoque ad legem naturæ tanquam normam exigatur. Si amor ſui fuerit inordinatus, qui alterum amat tanquam ſeipſum, obligationi naturali minime ſatisfacit, quin potius amore inordinato impellitur ad faciendum alteri, quod facere non debebat, aut ad non faciendum, quod facere debebat. Vide, quæ de amore ſui rationali &

ordinato annotavimus (*not.* §. 50. *part.* 4. *Eth.*). Ceterum hæc probe notanda ſunt, ne ex amore ſui vitium contrahat amor alterius. Videmus indies, homines amare ſui ſimiles, ut ideo in proverbium abierit, ſimilem ſimili gaudere, & pro certo habeatur, ex ſocio noſci, qui ex ſe non cognoſcitur. Amant hi alios eandem ob cauſam, ob quam ſeipſos amant. Ita, ſi quis commendat hominem profanum, religionis ac virtutis audacem contemtorem, & fortunas ejus amplificare ſtudet, quamvis ipſe videri velit divinæ religionis & veræ virtutis cultor, profanitatem tamen ſuam prodit. Placet ipſi homo profanus, quia ipſe profanus eſt, alterumque amat eandem ob cauſam, ob quam amat ſeipſum (§. 649. *Pſych. empir.*). Similiter videmus hominem ſceleratum amare ſceleris ejusdem ſocium. Quando in Moralibus de amore ſermo eſt, amor non intelligitur niſi rationalis & ordinatus: neque enim commendari poteſt, quod a virtutis tramite abducit ac vitiorum fomes eſt. Quando amor ordinatur & rationi conformis efficitur, appetitus ſenſitivus, in quo reſidet (§. 603. *Pſych. empir.*), recto intellectus uſu ad conſenſum cum rationali reducitur (*not.* §. 607. *part.* 1. *Jur. nat.* & *not.* §. 50. *part.* 4. *Eth.*), quemadmodum lege naturali præcipitur (§. 267. *part.* 1. *Jur. nat.*).

§. 43.

De notione diſtincta veræ felicitatis ad amorem aliorum requiſita.

Qui alios amare vult, felicitatis veræ notionem diſtinctam habere debet. Cum enim amor conſiſtat in diſpoſitione animæ ad percipiendam voluptatem ex alterius felicitate (§. 633. *Pſych. empir.*); qui alios amare vult, animum ſuum diſponere debet, ut voluptatem percipiat ex aliorum felicitate. Quoniam itaque hoc fieri nequit, niſi conſtet, quid ſit felicitas, quod per ſe patet, felicitas autem vera differt ab apparente, ut hæc cum illa facile confundatur, niſi differentia fuerit probe perſpecta (§. 636. *Pſych. empir.*), conſequenter

Digitized by Google

ter niſi utriusque notionem diſtinctam habeas (§. 80. 88. *Log.*), qui alios amare vult, felicitatis veræ notionem diſtinctam habere debet.

Vidimus modo, ſi alterum amare velimus, amorem eſſe debere rationalem & ordinatum (*not.* §. 42.): talis autem eſſe nequit, niſi ad veram felicitatem alterius promovendam tendat (§. 292. *part.* 2. *Eth.*). Apprime igitur opus eſt, ut cognoſcas, in quonam vera felicitas conſiſtat. Intellectus regere debet amorem ſui, conſequenter etiam amorem alterius ex amore ſui metiendum (§. 619. *part.* 1. *Jur. nat.*), ſi rationalis & ordinatus eſſe debet (§. 47. *part.* 4. *Eth.*): eundem vero regere nequit, niſi felicitatem veram ab apparente dividere didiceris.

§. 44.

Quod vera voluptas ab apparente dividenda, & perfectio hominis intimius perſpicienda.

Quoniam qui alios amare vult, felicitatis veræ notionem diſtinctam habere debet (§. 43.), vera autem felicitas eſt ſtatus, quo voluptas vera perdurat (§. 636. *Pſych. empir.*), & vera voluptas oritur ex vera perfectione, apparens ex apparente (§. 514. *Pſych. empir.*); *qui alios amare vult, operam dare debet, ut veram voluptatem ab apparente dividere & perfectionem hominis veram intimius noſcere diſcat, ſibique caveat neceſſe eſt, ne ſtatum jucundum cum felicitate confundat* (§. 105. 106. *part.* 2. *Eth.*).

Ducit huc notionum analyſis, ut notio fiat adæquata (§. 95. *Log.*), quantum nimirum ſufficit ad veram felicitatem ſatis cognoſcendam, ne quid obſcuri remaneat. Satis conſtat, quam multi diſtinctam ſatisque adæquatam felicitatis notionem non habeant, ita ut non deſint, qui ſe alios acumine antecellere ſibi videntur, ſtatum tamen jucundum cum felicitate confundunt & genuina Philoſophiæ moralis fundamenta ſubvertunt. Quamobrem nec eſt, quod miremur, ſi amorem tam

ſui,

ſui, quam aliorum intra cancellos ſuos minime contineri indies obſervamus. Nihil hic præcipimus, niſi quod ex operibus noſtris addiſci poteſt.

§. 45.

An homo ex perfectione alterius voluptatem percipiat.

Homo ex perfectione alterius voluptatem percipit, niſi fuerint rationes particulares, quæ eandem ſupprimunt, aut affectus contrarios concitant. Homini naturale eſſe, ut voluptatem percipiat, quoties perfectionis cujusdam ſibi conſcius eſt, experientiæ conſentaneum eſt (§. 512. *Pſych. empir.*). Ipſa quoque experientia loquitur, animum noſtrum voluptate quadam demulceri, quando perfectionem quandam alterius intuemur. Ita nobis placet homo formoſus ob formæ elegantiam, quem nobis prorſus ignotum prima vice conſpicimus. Perfectio igitur, quæ nobis videtur, voluptatis cauſa eſt, non attento ſubjecto, vel objecto, cui inhæret. Enimvero quoniam plures dantur rationes, ob quas aliis invidemus perfectiones, quibus gaudent, ideo contingit, ut voluptas iſta vel ſupprimatur, vel affectus contrarii concitentur, qui prædominantur, ſicque voluptas arceatur, quæ illis abſentibus oriretur. Quamobrem homo ex perfectione alterius voluptatem percipit, niſi fuerint rationes particulares, quæ eandem ſupprimunt, aut affectus contrarios concitant.

Carteſiani, qui ex verbis magiſtri potius, quam ex rebus ipſis ſapere malunt, voluptatis perceptionem ad conſcientiam perfectionis propriæ reſtringunt, propterea quod is ait, totam noſtram voluptatem poſitam eſſe tantum in perfectionis cujusdam noſtræ conſcientia (*not.* §. 511. *Pſych. empir.*). Videntes igitur nos voluptatem percipere ex perfectione rerum inanimatarum, veluti ſimilitudinem imaginis, motum indicis horologii tempus accurate indigitantis, ædificii venuſtatem voluptatem in ſe concitare, id fieri perſuadere aliis volunt,

volunt, quod voluptas ideo oriatur, quatenus nobis conſcii ſumus, nos perfectionem rerum iſtarum agnoſcere poſſe, conſequenter perfectionis noſtræ, quæ in aptitudine perfectionem rerum aliarum cognoſcendi conſiſtat. Quam parum vero ad ſpeciem compoſita ſit hæc ratio, obvium eſt. Ponamus te videre hominem, quem forma eximia commendat, ut eam cognoſcas, nonniſi viſu opus eſt. Ecquis vero ſibi perſuadebit, hominem ob formam pulchram tibi ideo placere, quod tibi conſcius ſis, te pollere viſu, ut eam conſpicere poſſis? Quodſi excipias attendendum eſſe acumen, quo formoſitatem a deformitate diſcernere vales, valde vereor, ne circulum vitioſum committas. Vides hominem eximiæ formæ, vides alium deformem. Ille placet, ejus ideo forma voluptatem concitat, hic diſplicet, ejusque ideo deformitas moleſtiam creat, aut formæ ſaltem carentia neutri locum facit. Nonne igitur ratio eſt, cur formoſitatem deformitati præferas, quia illa voluptatis, hæc tædii creatrix eſt? Quodſi formoſitas non eſſet per ſe apta ad producendam voluptatem, nec deformitas ad concitandam moleſtiam, a comparatione formoſi cum deformi deſiſteres, neutra attentionem tuam in ſe traheret. Sed non opus eſt his ambagibus. Nonne enim perinde perfectioni tuæ tribuendum eſt, quod imperfectionem rei agnoſcere poſſis, quam quod perfectionem perſpicias? Quidni ergo etiam voluptatem percipis, ſi imperfectionem intueris, propterea quod tibi conſcius es perfectionis tuæ, vi cujus illam agnoſcere vales? Et quis, quæſo, concedet, moleſtiam ex eo oriri, quod tibi conſcius es imperfectionis cujusdam tuæ, quando res quædam diſplicet? Aſt nolumus hisce diutius immorari, cum opinio iſta omni philoſophiæ morali adverſetur. Quodſi enim perfectio aliena voluptatem concitare nequit, nec voluptatem percipere potes ex perfectione Dei: in quo cum conſiſtat amor Dei (§. 1171. *part. 1. Jur. nat.*); amor Dei erit impoſſibilis, nec tibi placere poterit Deus, ſed tu tibi placebis, quod Dei perfectionem agnoſcere vales (§. 542. *Pſych. empir.*). Deo igitur de-

Digitized by Google

lectari idem erit ac delectari ſeipſo. Et eodem modo fieri nequit, ut re ulla delectetur homo, niſi ſeipſo, quoniam voluptas nunquam concitatur, niſi quatenus perfectionis ſuæ ſibi conſcius es, dum intuetur perfectionem alienam.

§. 46.

Stimulus naturalis ad promovendam perfectionem alterius.

Quoniam homo ex perfectione alterius voluptatem percipit, niſi fuerint rationes particulares, quæ eandem ſupprimunt, aut affectus contrarios concitant (§. 45.), nil vero appetit, niſi quatenus voluptatem ex eo percipit (§. 156. *part. 2. Eth.*); *voluptas ex perfectione alterius percipienda ſtimulus naturalis eſt ad eam promovendam*, conſequenter *vitio depravatæ voluntatis ſtimulo iſti vis detrahitur.*

Cum in parte ſecunda de voluntatis emendatione ageremus, ſatis oſtendimus, naturam homini indidiſſe ſtimulos ad excitandum appetitum & averſationem, ut actus ſint naturæ humanæ convenientes. Atque hi ipſi ſtimuli ſunt idem in anima, quod elater in horologio. Vidimus ergo etiam, quod depravatæ voluntatis vitio iisdem vis detrahatur, quam per ſe habent. Quemadmodum absque elatere nullus concipitur in horologio motus; ita quoque anima absque iſtis ſtimulis ad actiones omnes foret inepta. Natura igitur non minus indidit animæ humanæ ſtimulum ad perfectionem aliorum promovendam, quam ad propriam, quatenus nimirum ex perfectione alterius non minus voluptatem percipimus, quam ex propria. Enimvero qui novit, quomodo voluntas corrumpatur (§. 12. & *ſeqq. part. 2. Eth.*); is quoque intelliget, quomodo vitio depravatæ voluntatis voluptati ex alterius perfectione perceptæ vis ſtimulandi detrahatur, quamvis qui penitus hoc perſpicere voluerit affectuum quoque geneſin & tendentiam in parte ſecunda Ethicæ prolixe explicatam atque omne vitiorum genus, quæ in ceteris partibus exponuntur, cognoſcere teneatur. Etenim hæc omnia ad deprava-

pravationem voluntatis pertinent & pro datis circumſtantiis ſtimulo iſti adverſantur. Hæc probe notanda ſunt, ne quis intempeſtive in dubitationem, aut controverſiam adducere audeat, quæ de ſtimulo naturali ad promovendam perfectionem aliorum diximus. Ex iis autem, quæ diximus, abunde patet, non cujusvis eſſe obſervare modum, quo in dato caſu ſtimulo iſti vis detrahatur.

§. 47.

Quæ in determinatione voluntatis ad aliorum promovendam obſervanda.

Quoniam appetitus hominis naturaliter tendit ad conſervationem & perfectionem aliorum (§. 81. *part. 2. Eth.*), voluptas vero ex aliorum perfectione percipienda ſtimulus eſt ad eam promovendam (§. 46.); *ſi in caſu dato voluntas determinanda ad perfectionem alterius promovendam, ea tanquam ipſi perfectionem inexiſtens conſideranda & perpendenda.* Quoniam vero ex perfectione alterius voluptas non percipitur, ſi fuerint rationes particulares, quæ eandem ſupprimunt, aut affectus contrarios concitant (§. 45.), ut vitio depravatæ voluntatis ſtimulo ad perfectionem aliorum promovendam vis detrahatur (§. 46.); *omnem mentis aciem in perfectionem aliorum promovendam ita intendere debemus, ut a rationibus aliis, quæ mentem ſubire poterant, ea abducatur, & voluntas depravata emendanda.*

Quando propria perfectio voluptatem concitat, & ea appetitum ſtimulat, ut voluntatem ad eam conſequendam determinemus; eandem conſideramus tanquam nobis inexiſtentem, perpendentes nimirum, quales ſimus futuri, aut qualis futurus ſit ſtatus noſter, ſi eam perfectionem, vel id, quod nos, aut ſtatum noſtrum perficit, conſecuti fuerimus. Eodem igitur modo conſideranda quoque eſt perfectio alterius, ſi voluptas inde percepta ſtimulus eſſe debet, ut determinetur voluntas ad eam promovendam. Attentionem ita intendi poſſe, ut aliorum, quæ ſenſus feriunt, conſequenter

multo magis eorum, quæ ſaltem imaginamur (§. 96. *Pſych. empir.* & §. 367. *Pſych. rat.*), vix ac ne vix quidem nobis conſcii ſimus, indubia experientia conſtat. Oſtendimus quoque, quomodo attentionem perficere poſſimus (§. 41. 42. *part.* 1. *Eth.*) & demonſtravimus neceſſitatem afferendi ſufficientem attentionem ad actiones noſtras in praxi morali (§. 46. *part.* 1. *Eth.*). Nec minus in parte ſecunda Ethicæ prolixe oſtendimus, quomodo voluntas perficiatur, quomodo præcaveatur ejus depravatio & quomodo depravata emendetur. Taceo, quæ de iis demonſtravimus, quæ requiruntur, ut attentionem ſufficientem ad objectum aliquod adferre adſueſcamus (§. 48. & *ſeqq. part.* 1. *Eth.*). Nihil itaque hic præcipitur, quod non ſit certum, nec fieri poſſit. Si objicias, ea nimis ardua eſſe; ad hanc objectionem jam aliquoties reſpondimus, ut alibi dicta non ſint repetenda.

§. 48.

Quomodo amor alterius concitetur & voluntas ad perfectionem ejus promovendam determinetur.

Si perfectionem alterius a nobis promovendam ſpectemus tanquam eidem inexiſtentem, amor concitatur & voluntas ad eam promovendam determinatur. Ex perfectione enim alterius voluptatem percipimus, niſi fuerint rationes particulares, quæ eandem ſupprimunt, aut affectus contrarios concitant (§. 45.), quas hic abeſſe, aut ſaltem non attendi (§. 47.), ſupponimus. Quodſi ergo perfectionem a nobis promovendam tanquam alteri inexiſtentem conſideremus, in eo prævidemus quod nobis placet (§. 152. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum amor concitetur, ſi quid in altero obſervemus quod nobis placet (§. 648. *Pſych. empir.*); ſi perfectionem alterius a nobis promovendam ſpectemus tanquam eidem inexiſtentem, amor concitatur. *Quod erat unum.*

Enimvero amor tendit ad promovendam felicitatem alterius (§. 292. *part.* 2. *Eth.*). Quamobrem cum amor concitetur,

citetur, ſi perfectionem alterius a nobis promovendam ſpectemus tanquam eidem inexiſtentem *per demonſtrata n. 1.* nos vero felicitatem alterius promovere certi ſimus, quando ejus perfectionem promovemus (§. 511. 638. *Pſych. empir.*); ſi perfectionem alterius a nobis promovendam ſpectemus tanquam eidem inexiſtentem, voluntas ad eam promovendam determinatur. *Quod erat alterum.*

Propoſitio præſens magni momenti eſt in praxi morali & multis dogmatis moralibus lucem affundit. Patet hinc modus concitandi amorem univerſalem omnium hominum, quatenus nobis repræſentare poſſumus hominem in genere tanquam in hac vel iſta perfectione acquirenda ope, vel conſilio noſtro indigentem. Patet quoque modus concitandi amorem hominis cujuscunque officium quoddam a te petentis, aut oblata occaſione officium cuidam ultro præſtandi. Modus enim concitandi amorem ejus, cui officium præſtandum, generalis eſt, quam præſcribit propoſitio præſens. Quodſi hunc ipſum modum curatius conſideres ſimulque perpendas, quæ in præcedentibus modo demonſtravimus (§. 45. & *ſeqq.*); penitius inſpicies poſſibilitatem amoris univerſalis hominum quorumcunque, qua inſpecta manifeſtum eſt, amorem univerſalem omnium ex amore ſui metiendum naturæ humanæ convenire, & ipſam naturam hominem ad officia humanitatis obligare, quatenus per ſe ſunt appetibiles actiones ad perfectionem aliorum atque ſtatus eorundem tendentes perinde ac quæ tendunt ad perfectionem noſtram, ita ut & illa appetantur, quatenus ex iis voluptatem percipimus (§. 156. *part. 2. Eth.*). Patet quoque amorem iſtum univerſalem, quatenus natura nos ad eundem obligat, eſſe purum, minime autem intereſſatum, neque enim aliis nos præbemus utiles, ut nobis viciſſim ſint utiles, ſed prompte inſervimus aliis, etiamſi nihil ab iis ſperemus, nec ſperare poſſimus. Immo hoc modo liquet, quomodo fieri poſſit, ut officia præſtentur alteri ea ſola de cauſa, quia homo eſt, & cur inhumanum ſit utili-

Digitized by Google

tatis ſuæ cauſa nocere alteri, & ſicuti contra naturam eſt odiſſe hominem, ita quoque contra rationem eſſe neglectum amoris. Qui negant, homini naturale eſſe, ut ex perfectione alterius voluptatem percipiat, veritatis eorum, quæ modo diximus, convinci nequeunt. Plurimum autem refert, ut ejusdem convincamur, ne amori univerſali ſua detrahatur pulchritudo, nec ſtabilitas ejus vacillet. Quod ea vulgo non agnoſcatur, defectui rationis ſatis excultæ tribuendum. Conſideranda hic ſunt, quæ de actionibus per ſe appetibilibus demonſtrata ſunt (§. 96. *& ſeqq. part. 1. Phil. pract. univ.*) & quomodo inde deducatur naturalis ad easdem obligatio (§. 127. *part. 1. Phil. pract. univ.*), probe perpendendum, obſervatis iis, quæ de analyſi demonſtrationum oſtendimus (§. 992. *Log.*). Aſt quot, quæſo, ſunt, qui veritatis amore ducuntur, & rationis culturam curæ cordique habent, quemadmodum fieri debet, ſi veritas intimius perſpicienda.

§. 49.

De amore univerſali ingignendo & voluntate ad perfectionem aliorum promovendam determinabili efficiendo.

Quoniam amor concitatur & voluntas ad promovendam perfectionem alterius determinatur, ſi perfectionem alterius a nobis promovendam ſpectamus tanquam eidem inexiſtentem (§. 48.), *ad amorem univerſalem ingignendum & determinabilem efficiendam voluntatem ad aliorum perfectionem promovendam plurimum confert, ſi hominem in genere ſpectemus inſtar individui vagi omni perfectionum genere excellentis & mutato ſchemate tanquam capacem perfectionis opera noſtra promovendæ.*

Non diffiteor, medium hoc ingignendi amorem univerſalem & voluntatem determinabilem efficiendi ad promovendam perfectionem aliorum fore difficile plerisque, propterea quod rationes variæ, quibus voluntas a prima ætate depravata, tacite influunt in appetitum & averſationem, nec in prima ſtatim ætate ad iſtiusmodi conſiderationes animus diſponitur: removenda enim ſunt impedimenta, quibus tanto difficilius

Digitized by Google

cilius reſiſtitur, quod ob latebras & receſſus in animis hominum non advertantur. Quamobrem ut difficultas iſta tollatur, gradatim progrediendum. Nimirum primo cognoſcendæ ſunt perfectiones, quarum homines ſunt capaces, & in ſe conſiderandæ, ut earum perceptio voluptatem concitet, atque recordatio voluptatis memoriam conjunctam habeat. Deinde eædem ſpectandæ ſunt tanquam nobis inexiſtentes, & attendendæ commotiones animi, quas obſervare datur, quando perpendimus, qualis foret ſtatus noſter, ſi perfectionibus iſtis gauderemus. Et ita demum progrediendum ad ea, quæ in propoſitione præſente præcipiuntur. Plurimum vero conducit, ſi quoque perfectiones aliorum cognoſcere ſtudeamus, easque ad nos referamus perpendentes, qualis ſit futurus ſtatus noſter, ſi iisdem ornati eſſemus. Nullum enim dubium eſt fore, ut ſtatus iſti præteriti tacite influant in præſentes conſiderationes, quibus amor univerſalis ingignendus & voluntas ad perfectionem aliorum promovendam determinabilis efficienda.

§. 50.

Qualis ſit animus homines omnes amantis.

Qui homines omnes amat, is, ſi in poteſtate ſua eſſet, omnes redderet felices. Etenim amor tendit ad promovendam felicitatem amati (§. 292. *part. 2. Eth.*). Quodſi ergo quis omnes homines amet, amor univerſalis tendet ad promovendam felicitatem hominum omnium. Quamobrem quod non actu eandem promoveat, defectus virium in cauſa eſt. Quodſi ergo in poteſtate ipſius eſſet felicitatem omnium promovere, felices omnes redderet.

Cum dubitandum non ſit, quin dentur homines amoris univerſalis omnium hominum minime expertes; nulli quoque dubitamus, quin eum in ſe experiantur animum, ut vellent homines omnes reddere felices, ſi quidem hoc fieri poſſet. Quamvis itaque deſint vires, non tamen deficit voluntas:

tas. Animus iſte ſignum minime fallax eſt amoris univerſalis, quam urget lex naturæ (§. 619. *part. 1. Jur. nat.*), quemadmodum ex adverſo ejus abſentia defectum ipſius arguit.

§. 51.

Quod deteſtetur facta felicitati aliorum adverſa.

Quoniam *qui homines omnes amat*, omnes redderet felices, ſi in poteſtate ſua eſſet (§. 50.); *facta omnia, quæ felicitati hominum adverſantur, odio habet ac deteſtatur, etiamſi ſe minime tangant.*

Eſt etiam hoc ſignum amoris univerſalis, quod maxime conſpicuum eſt in iis caſibus, in quibus homines nobis ſunt prorſus ignoti, ne quidem facie noti, vel etiam dudum mortui, quos aliorum malitia effecit infelices. Et quoniam ſubinde odium iſtud ſeſe exerit etiam in animis hominum, qui ipſimet aliorum felicitatem parum curant; inde haud obſcure colligitur, amorem univerſalem homini eſſe naturalem, vitio autem depravatæ voluntatis ſupprimi, ut careat effectu.

§. 52.

Quando amans alterum diligat.

Si amor alterius ab intellectu regitur, eundem diligimus & contra. Etenim amor tendit ad promovendam felicitatem & depellendam infelicitatem alterius (§. 292. *part. 2. Eth.*). Quamobrem cum bona nonniſi vera hominem reddant felicem (§. 402. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ſi vero affectus ab intellectu reguntur, iidem ad verum bonum obtinendum & verum malum depellendum tendunt (§. 528. *part. 2. Eth.*); ſi amor alterius ab intellectu regitur, ad promovendam veram felicitatem alterius & depellendam infelicitatem veram tendit, conſequenter amans omni ſtudio id agit, ut alter ſit felix, ac cavet, ne fiat infelix. Enimvero qui omni ſtudio id agit, ut alter ſit felix, atque cavet, ne fiat infelix, eum amat

(§. 617.

Digitized by Google

(§. 617. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quodſi ergo amor alterius ab intellectu regitur, eundem diligimus. *Quod erat unum.*

Ex adverſo ſi quis alterum diligit, omni ſtudio id agit, ut is ſit felix, ac cavet, ne fiat infelix (§. 617. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum nihil appetamus, niſi quatenus voluptatem ex eo percipimus (§. 156. *part.* 2. *Eth*); qui alterum diligit, ex felicitate ejus voluptatem percipit. Enimvero qui voluptatem percipit ex alterius felicitate eundem amat (§. 633. *Pſych. empir.*). Quodſi ergo eundem diligimus, eundem amamus. Quoniam vero felix non eſt, niſi qui vera felicitate fruitur (§. 636. *Pſych. empir.*), conſequenter qui veris bonis gaudet (§. 402. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); ſi alterum diligimus, amor in adeptionem boni veri & depulſionem mali veri dirigitur. Quamobrem cum intellectus regat amorem, ſi in adeptionem boni veri & depulſionem mali veri eundem dirigit (§. 528. *part.* 2. *Eth.*); ſi alterum diligimus, amor ab intellectu regitur. *Quod erat alterum.*

Sæpius jam monuimus, id quod etiam per ſe facile intelligi poterat, nos in Moralibus vocabula non accipere de eo, quod apparet, aut falſa opinione vulgi pro eo habetur, quod non eſt, ſed de eo, quod eſſe debet. Ita felicem non dicimus, qui ſibi vel aliis videtur, ſed qui revera eſt, nec diligere dicimus alterum, qui ſibi videtur ipſum diligere, ſed qui revera diligit. In definitione igitur dilectionis (§. 617. *part.* 1. *Jur. nat.*), vera ſupponitur felicitas, quemadmodum in definitione felicitatis vera voluptas (§. 636. *Pſych. empir.*). In Moralibus notionibus rerum ſeſe inſinuant errores, ut falſa ſpecie nobis imponant, niſi ſatis circumſpecti fuerimus. Erimus autem circumſpecti, ſi Juris naturæ ſcientia inſtructi ſimus, ne in notionibus moralibus admittantur, niſi conſentientia. Et quoniam Jus naturæ ex ipſa eſſentia &

natura humana derivatur; notiones quoque rerum moralium naturæ humanæ conſentientes eſſe debent: id quod in Ethica demonſtratur, ut poſſibilitas obligationis naturalis per ipſam naturam humanam intelligatur. Sane ſi per naturam humanam poſſibile non eſſet, hoc eſt, niſi uſu facultatum animæ fieri poſſet, ut alios diligeremus tanquam nos ipſos; ne quidem per miraculum effici poterat, ut alios diligeremus, cum miraculum ſupponat poſſibilitatem iſtiusmodi mutationis in anima, in qua conſiſtit (§. 72. *Pſych. rat.*), nec omnipotentia Deo competens (§. 349. *part. 1. Theol. nat.*), extendatur ultra id, quod poſſibile (§. 344. 347. *part. 1. Theol. nat.*). Quemadmodum in Jure naturæ obligationem naturalem & ea, ad quæ homo obligatur, ex ipſa eſſentia & natura humana derivatur; ita in Ethica demonſtrandum, qualis facultatum animæ uſus requiratur, ut obligationi iſti ſatisfaciamus ea facientes, quæ lex naturæ præcipit, & omittentes, quæ prohibet, & quomodo omnium facultatum conſentiens uſus acquiratur, qualis ad rectitudinem actionis requiritur. Atque ita Ethica nos ducit ad exactam imperfectionis noſtræ noſcentiam, & promovet ſtudium ſeſe continuo magis magisque perficiendi. Oſtendimus hominem ſeipſum diligere, ſi amor ſui ab intellectu regitur (§. 49. *part. 4. Eth.*). Quoniam non minus dilectionem aliorum ex dilectione ſui (§. 618. *part. 1. Jur. nat.*), quam amorem aliorum ex amore ſui metiri debemus (§. 619. *part. 1. Jur. nat.*); exinde quoque patet, ſi alios diligere velimus, amorem aliorum ab intellectu regendum eſſe. Et quia amor aliorum ſupponit amorem ſui (§. 42.); qui amorem ſui vero intellectus uſu regere didicit, idem quoque ignorare nequit, quomodo eodem regendus ſit amor aliorum, & ubi amorem ſui uſu intellectus regere adſueverit, eodem quoque reget amorem aliorum. Atque ita patet, quomodo amor ſui influat in amorem aliorum & dilectio ſui in dilectionem aliorum, & quomodo amor & dilectio ſui facilitet amorem & dilectionem aliorum. Quamvis itaque arduum & difficile videatur amare hominem

alium

alium quemcunque; difficultatem tamen iſtam plurimum imminuit amor ſui rationalis & ordinatus, qui parit dilectionem ſui (§. 49. *part. 4. Eth.*), cum tunc non opus ſit ut peculiaribus exercitiis amor aliorum ordinetur & ad rationis normam exigatur, ſicque dilectionem aliorum gignat, utpote ex amore ſui æſtimandus (§. 619. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 53.

Quæ ad amorem univerſalem ingignendum faciunt, media charitatis ſunt. Etenim qui homines omnes amat, omnes redderet felices, ſi in poteſtate ſua eſſet (§. 50.), atque facta omnia felicitati hominum adverſa odio habet & deteſtatur (§. 51.). Quamobrem ſi amor univerſalis ingignitur, hoc ſtimulo voluntas determinabilis efficitur ad felicitatem hominis cujuscunque promovendam & infelicitatem depellendam, quantum in ſe eſt. Quoniam itaque homines omnes diligit, qui hac voluntate præditus eſt (§. 617. *part. 1. Jur. nat.*), habitus vero diligendi alios tanquam ſeipſum charitas eſt (§. 620. *part. 1. Jur. nat.*); ut charitatem acquiramus, amor univerſalis ingignendus. Quæ igitur ad amorem univerſalem ingignendum faciunt, media charitatis ſunt (§. 937. *Ontol.*). *De medio charitatis.*

Fieri non poteſt, ut quis homines diligat in univerſum omnes, niſi polleat habitu alios diligendi tanquam ſeipſum, ut, quoties videt hominem indigentem auxilio alieno ſive ad bonum quoddam conſequendum, ſive ad malum depellendum, ex templo voluntas ejus feratur in felicitatem ejus, ita ut vellet auxilium ferre, modo poſſet, &, ubi id in poteſtate ſua deprehendit, ad ferendum quoque paratus ſit. In hoc habitu cum charitas conſiſtat (§. 620. *part. 1. Jur. nat.*); qui alios promiſcue diligere vult tanquam ſeipſum, ut charitatem conſequatur, operam dare tenetur. Stimulus ad dilectionem amor eſt, qui in appetitu ſenſitivo reſidet, ſed intellectus regimine ad conſenſum cum rationali redigendus (§. 52.).

52.). Quodſi is abſuerit, appetitus ſenſitivus erit contrarius rationali, ut, ſi vel maxime agnoſcas, rationi conſentaneum eſſe, ſi alteri auxilio tuo indigenti te facilem præbeas, rationes tamen, quæ appetitum ſenſitivum alio trahunt, voluntatem quoque in partem contrariam flectant. Enimvero ſi amor univerſalis, qualem exigit lex naturæ, fuerit ingenitus, quæ confuſe percepta appetitum ſenſitivum movent, ea quoque diſtinctius evoluta voluntatem determinabunt, ita ut appetitus ſenſitivus atque rationalis eodem tendant. Non igitur opus eſt, ut alia præſcribantur media conſequendi charitatem, quam amorem univerſalem, regimini intellectus ſubjectum. Immo amor univerſalis ne quidem concipi poteſt, niſi qui ab intellectu regitur, ut ad veram felicitatem promovendam & infelicitatem veram depellendam tendat, ſicque cum dilectione conſpiret. Quamobrem quoque in amore univerſali ingignendo veram hominis perfectionem promovendam ſuppoſuimus (§. 49.), atque oſtendimus, quod, qui alterum amare vult, diſtinctam felicitatis veræ notionem habere debeat, quæ ſine voluptate vera ex perfectione vera percipienda (§. 514. *Pſych. empir.*) non concipitur (§. 638. *Pſych. empir.*). Nihil in hiſce difficultatis eſt, modo terminos, quibus per inconſtantiam loquendi promiſcue vulgo utimur, amorem nempe, dilectionem & charitatem ad ſignificatum fixum & determinatum reduxeris, quemadmodum a nobis factum.

§. 40.

De nexu indivulſo amoris univerſalis & charitatis.

Quoniam quæ ad amorem univerſalem ingignendum faciunt, media charitatis ſunt (§. 53.), conſequenter amor univerſalis & charitas eodem medio acquiruntur; *amor* quoque *univerſalis & charitas ſororio vinculo copulantur.*

Nimirum iisdem exercitiis, quibus amor univerſalis efficitur habitualis, charitas quoque acquiritur, ideoque fieri nequit, ut amor univerſalis, qualem ſcilicet exigit lex naturæ, inhæ-

inhæreat appetitui ſenſitivo, niſi ſimul charitas inſit rationali, ſeu voluntati. Accedit, quod charitatis rectitudo requirat uſum omnium facultatum conſentientem, ideoque etiam conſenſum appetitus ſenſitivi cum rationali, ut amor univerſalis indivulſo nexu cohæreat charitati.

§. 55.

Quod dilectio aliorum dilectionem ſui ſupponat.

Qui alios diligere vult, ſeipſum diligat neceſſe eſt. Alterum enim diligere debemus tanquam nos ipſos (§. 618. *part.* 1. *Jur. nat.*), ideoque dilectio alterius metienda ex dilectione ſui: quod cum fieri non poſſit, niſi quis ſeipſum diligat, ut dilectionis ſui ſibi conſcius notionem ejus habeat (§. 31. 34 *Log.*), qui alios diligere vult, ſeipſum diligat neceſſe eſt.

Lex naturæ præcipit, ut unusquisque alterum diligat tanquam ſeipſum (§. 618. *part.* 1. *Jur. nat.*), conſequenter dilectionem ſui ſupponit, dum dilectionem aliorum præcipit. Qui ſeipſum diligit, felicitatem ſuam promovere ſtudet (§. 606. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem ex ſeipſo diſcit, in quibusnam ſe utilem præbere debeat aliis. Experientia ſatis comprobat, quod multi exiſtiment ſe alios diligere, dum ſtatum jucundum cum felicitate vera confundentes eos reddunt infelices. Pertinet huc indulgentia parentum in liberos, qua nervos omnes & mentis, & corporis frangi dudum obſervavit *Quintilianus.* Amor inordinatus ducit ad eandem, & a dilectione abducit. Quodſi vero in fontem aberrationis inquiras, omne tandem vitium ex defectu dilectionis ſui promanare deprehendes. Neque enim fieri poteſt, ut parentes putent ſe diligere liberos, niſi ſibi perſuadeant, ſe ipſis facere, quod ſibi fieri vellent, ſi eorum eſſent loco. Non provocamus ad exempla alia, quibus facile evincitur, in dilectione aliorum falli, qui ſeipſos diligere nondum didicerunt. Cum dilectio ſupponat amorem, quem intellectus regit (§. 52.); quæ ſupra annotata ſunt de amore ſui ab amore alio-

 rum

rum præſuppoſito (*not.* §. 42.), dependentiæ quoque dilectionis aliorum a dilectione ſui lucem uberiorem affundunt.

§. 56.

Ex dilectione aliorum oritur ſtudium perfectionem eorum & ſtatus eorundem promovendi.

Qui alios diligit perfectionem eorum atque ſtatus eorundem promovere ſtudet. Qui enim alios diligit, felicitatem eorum promovere ſtudet (§. 617. *part. i. Jur. nat.*), conſequenter operam omnem dat, ut eum conſequatur ſtatum, quo voluptate vera conſtanter fruitur (§. 636. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum ex perfectione vera voluptas vera percipiatur (§. 559. *Pſych. empir.*), eademque animus perfundatur, quando nobis ejusdem conſcii ſumus (§. 511. *Pſych. empir.*); qui alios diligit perfectionem eorum atque ſtatus eorundem promovere ſtudet.

Quodſi objicias experientiam contrariari propoſitioni præſenti, quod videas homines, qui alios diligunt, perfectioni tamen eorum atque ſtatus eorundem minime ſtudent; idem tenendum eſt, quod alias monuimus, cum idem objiceretur ſtudio ſe ſtatumque ſuum perficiendi ex dilectione ſui derivato (*not.* §. 58. *part.* 4. *Eth.*). Ignorant nimirum, quid ſit dilectio aliorum, propterea quod neſciunt, in quonam vera felicitas conſiſtat. Naſcitur dilectio aliorum ex amore, qui ab intellectu regitur (§. 52.), & qui alios amare vult, diſtinctam felicitatis veræ notionem habere debet, atque dare operam, ut voluptatem veram ab apparente dividere diſcat, ſibique cavere, ne ſtatum jucundum cum vera felicitate confundat (§. 44. Solent autem homines plerique omnes ſtatum jucundum cum felicitate vera confundere. Quamobrem non eſt, quod miremur, ſi qui putent ſe diligere alios, quamvis de eorum perfectione promovenda parum ſolliciti ſint. Cum ſtatum jucundum æſtiment ex voluptate, qua fruuntur (§. 105. *part.* 2. *Eth.*), ſua autem unumquemque trahat voluptas; ſe alios diligere putant tanquam ſeipſos, ſi alios reddant compotes

potes voluptatis, quam ipſi magnificiunt. Vides igitur, quomodo error de felicitate dilectionem pervertat, ut de perfectione vera non cogitetur.

§. 57.

Quoniam qui alios diligit, perfectionem eorum atque ſtatus eorundem promovere ſtudet (§. 56.), vires autem hominis non ſunt inexhauſtæ, ut omnium perfectioni promovendæ ſufficiant, qui alieno auxilio & conſilio indigent, quin potius admodum limitatæ, ut ſubinde parum aut nihil ad aliorum perfectionem conferre poſſis, neque etiam in poteſtate noſtra eſt efficere, ut alii in ſe perficiendo auxilio & conſilio noſtro utantur; *qui alios diligit, perfectionem aliorum atque ſtatus eorundem promovere ſtudet, quantum datur*, conſequenter *dilectioni aliorum minime repugnat, ſi quis efficere nequit, quod facere maxime vellet*, ideoque *ſufficit, ut qui homines in univerſum omnes diligit tanquam ſeipſum, promovere vellet perfectionem omnium, ſi fieri poſſet, & occaſionem, qua fieri poteſt, avide arripiat, immo ſtudioſe quærat.* *Quousque extendatur ſtudium iſtud.*

Propendet diligentis voluntas in perfectionem omnium hominum, neque ullos admittit limites, ſive ſpectes eos, quorum perfectio promovenda, ſive ipſam perfectionem; actus vero, quibus promovenda, limitat curta, quæ nobis eſt, ſupellex & aliorum voluntas a nobis cogi neſcia, nec imperio noſtro ſubjecta. Naſcitur dilectio ex amore (§. 52.); quemadmodum itaque qui homines omnes amat, omnes reddere mallet felices, modo in poteſtate ſua eſſet (§. 50.) & facta omnia felicitati aliorum adverſa odio habet atque deteſtatur (§. 51.); ita quoque qui homines omnes diligit, perfectionem omnium promovere vellet, ſiquidem in poteſtate ſua eſſet, factaque omnia perfectioni aliorum adverſa odit & deteſtatur. *Poſita hac voluntate ponuntur quoque actus*, quibus

bus aliorum perfectio promovetur, quamprimum occaſio offertur: immo cum enixa ſit voluntas inſerviendi aliis, non demum expectatur, donec occaſio ſua ſponte offeratur, ſed impatiens deſiderium aliorum perfectionem promovendi diligentem impellit ad occaſionem quærendam & attentionem excitat, ne forte oblatam præterlabi patiatur. Atque hæc probe ponderanda ſunt, ut, qualis ſit diligentis animus, intimius perſpiciatur. Inde nimirum agnoſcimus, quantum in dilectione aliorum, ſeu charitate profecerimus; ne videamur attigiſſe metam, a qua procul adhuc remoti ſumus: id quod periculoſum eſt. Qui enim in ſtudio charitatis non continuo progreditur, ab eadem facile deficit.

§. 58.

Studium promovendi perfectionem aliorum charitatis ſignum.

Qui perfectionem aliorum atque ſtatus eorundem promovere ſtudet, quantum datur, alios diligit. Etenim qui perfectionem aliorum atque ſtatus eorundem promovere ſtudet, quantum datur, cum ex perfectione vera percipiatur voluptas vera (§. 559. *Pſych. empir.*), animus autem voluptate perfundatur, quando nobis perfectionis conſcii ſumus (§. 511. *Pſych. empir.*), qui perfectionem aliorum atque ſtatus eorundem promovere ſtudet, quantum datur, is ad voluptatem alterius conferre conatur, quicquid in poteſtate ſua eſt. Enimvero quicquid voluptatem veram homini creat, id ad felicitatem ejus quidpiam confert (§. 638. *Pſych. empir.*). Quamobrem qui alios atque eorum ſtatum pro virili perficere ſtudet, omni ſtudio id agit, ut alii ſint felices. Quoniam itaque alterum diligit, qui omni ſtudio id agit, ut ſit felix (§. 617. *part. 1. Jur. nat.*); qui perfectionem aliorum atque ſtatus eorundem promovere ſtudet, quantum datur, alios diligit.

Studium itaque promovendi aliorum perfectionem & ſtatus eorundem, quantum datur, ſignum charitatis eſt. Ne

vero quis ſibi imponat, neceſſe eſt, ut veræ perfectionis notionem diſtinctam habeat. Ex promptitudine inſerviendi aliis, non attenta utilitate inde ſperanda, colligitur, quantum in charitate profecerimus. Opera charitatis fructus ſunt, ex quibus de ea fertur judicium, quemadmodum bonitas arboris ex fructibus, quos edit, agnoſcitur.

§. 59.

De charitate officiorum omnium fonte.

Præſtatio omnium officiorum ex charitate fluit. Qui enim alterum diligit, perfectionem ejus & ſtatus ejusdem promovere ſtudet, quantum datur (§. 56. 57.). Quamobrem cum lex naturæ præcipiat, ut omnem faciamus facultatum noſtrarum uſum, qui ad perficiendum animum, corpus & ſtatum hominum aliorum & ad arcendum omnem imperfectionem ab eorum anima, corpore & ſtatu requiritur, quatenus id absque neglectu officii erga nos ipſos fieri poteſt (§. 609. *part. 1. Jur. nat.*), atque in hisce actionibus præſtatio officiorum, quæ debentur aliis, conſiſtat (§. 225. 226. *part. 1. Phil. pract. univ.*); qui alios diligit, ad officium quodcunque alteri præſtandum paratus eſt. Quoniam itaque charitas conſiſtit in habitu alios diligendi, quemadmodum ſeipſum (§. 620. *part. 1. Jur. nat.* & §. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*); præſtatio omnium officiorum ex charitate fluit.

Non abſimili modo demonſtratur, *præſtationem omnium officiorum erga ſeipſum fluere ex charitate propria*, cum qui ſeipſum diligit, perfectionem ſui ſtatusque ſui promovere ſtudeat, quantum datur (§. 58. *part. 4. Eth.*), & lex naturæ nos obliget ad nos ſtatumque noſtrum perficiendum, quantum datur (§. 152. *part. 1. Phil. Pract. univ.*), impendendo omnem facultatum noſtrarum uſum (§. 173. *part. 1. Jur. nat.*). Conferantur, quæ annotata ſunt, cum influxum charitatis propriæ in omnem virtutem demonſtraremus (*not.* §. 59. *part. 4. Eth.*).

Eth.). Qui amorem a charitate non diſtingvunt, amorem fontem omnium officiorum erga alios eſſe affirmant: quorum etſi opinio a veritate non prorſus aliena ſit, in unum tamen confunduntur, quæ dividenda erant. Nimirum amor ſtimulus eſt diligendi alios (*not.* §. 53.), regendus tamen ab intellectu, ut alterum vere diligamus, non vero ſaltem eum diligere nobis videamur (§. 52.). Dilectio in actu conſiſtit, qui habitum præcedere poteſt & ſequi: charitas vero in habitu. Atque hæc in praxi dividenda ſunt, ſi charitatem acquirere ac continuo perficere velimus. Excitandus ante omnia ſtimulus dilectionis, ingignendo ſcilicet amorem univerſalem, ut per eum voluntas determinabilis efficiatur ad aliorum perfectionem promovendam (§. 48. 49.). Data deinceps occaſione inſerviendi aliis, officia ipſis præſtanda ſunt, ut repetito ſæpius actu habitus comparetur (§. 430. *Pſych. empir.*), & probe obſervandum, ne amor exorbitet, ut actus ab omni labe purgetur, conſequenter nec habitus aliquam contrahat. Denique continuo exercitio habitus perficiendus (§. 431. *Pſych. empir.*). Hoc demum pacto fieri poterit, ut in charitate indies proficiamus. Quæ hic de charitate dicuntur, ad virtutes ceteras omnes facile transferuntur. Habent enim ſingulæ motiva, quæ ſtimuli vice funguntur, nec difficulter ad ſtimulos naturales reducuntur, ſi quis nexum veritatum moralium a nobis demonſtratarum intimius perſpexerit. Habent ſingulæ actiones lege naturali præceptas, circa quas verſantur, nec acquiruntur niſi ſæpius repetitis actionibus iisdem.

§. 60.

Cur præparatio ad praxin officiorum erga alios conducat.

Quoniam præſtatio omnium officiorum ex charitate fluit (§. 59.), in charitate autem lege naturali præcepta ſpectanda venit obligatio naturalis (§. 621. *part.* 1. *Jur. nat.*), ideoque charitas exigit, ut officia aliis præſtentur animo ſatisfaciendi obligationi naturali; *qui charitatem conſequi ſtudet, animum*

rum diſponere debet ad præſtandum officia aliis, ut ſatisfaciat obligationi naturali. Quamobrem cum ad praxin officiorum erga alios præparemur, ſi animus diſponitur ad officia erga alios præſtandum ea intentione, ut obligationi noſtræ naturali ſatisfaciamus (§. 1.); *quæ de præparatione ad praxin officiorum demonſtrata ſunt, ad charitatem conſequendam faciunt.* *cat ad charitatem.*

Dum ad praxin officiorum erga alios animum præparamus, eo revera tendimus, ut is charitate impleatur. Ea igitur, quæ de præparatione ad praxin officiorum erga alios & de charitate acquirenda demonſtrantur, utiliter conjunguntur, ſi cui curæ cordique fuerit charitas, quemadmodum eſſe debet. Nec eſt, quod dubitemus, praxin charitatis fore multo faciliorem, ſi ea ſollicite obſerventur, quæ de præparatione illa præcipiuntur. Sed præſtat id ipſum in ſeipſo experiri.

§. 61.

Homo ſeipſum diligere debet propter alios. Quodſi enim alios diligere vult, ſeipſum diligat neceſſe eſt (§. 56.). Quoniam igitur alios diligere debet (§. 618. *part. 1. Jur. nat.*), ſeipſum diligere tenetur, ut obligationi diligendi alios ſatisfacere poſſit, ideoque ſeipſum diligere debet propter alios. *De dilectione ſui propter alios.*

Convenit hoc cum eo, quod ſupra demonſtravimus, nos non nobis ſolis vivere, ſed etiam aliis (§. 19.). Quamobrem hic repetenda ſunt, quæ ibidem uberius annotavimus (*not. §. cit.*). Inprimis autem tenendum eſt, ad juſtitiæ univerſalis praxin pertinere modum, quomodo nos propter alios diligere debeamus. Convenit hoc quoque univerſæ rerum naturæ: ea enim deprehenditur rerum ſeries in hoc univerſo, ut unum ſemper ſit propter alterum, nec quicquam exiſtat ſui ſaltem ipſius cauſa. Huc etiam pertinet, quod determinationi appetitus ad ſui conſervationem, perfectionem & multiplica-

tiplicationem inſit determinatio ad inſerviendum aliis (§. 39. *part. 2. Eth.*), ita ut natura etiam inſcios ducat ad inſerviendum aliis, dum in conſervationem & perfectionem ſui fertur appetitus (*not. §. cit.*), ideoque hominibus nihil magis naturale ſit, quam ut unus ſe utilem præbeat aliis (§. 17.). Quo natura hominem ducit, eo quoque ducere debet ratio, ut rationi convenienter vivat non ſolum parens neceſſitati naturæ, cui reſiſtere nequit, ſed eidem quoque conformans actiones liberas, de quibus ſuo arbitrio ſtatuere valet, & quod natura neceſſarium fecit in voluntarium convertens: quo ipſo obtinetur, ut non proſimus aliis propter nos, ſed nobis potius propter alios. Ut hæc rectius intelligantur, demus exemplum. Qui certum vitæ genus eligit, ut acquirat ea, quibus ipſemet indiget, natura huc ducitur, ut, dum ſibi prodeſſe vult, proſit etiam aliis, qui ipſius opera & labore indigent (*not.* §. 40. *part. 2. Eth.*). Natura invitum ducit: aſt ſi agnoſcat, ſe non ſibi vivere, ſed etiam aliis, labore ſuo aliorum utilitatem intendit, ita ut eodem fungeretur, etiamſi eundem non urgeret propria indigentia, nec commendaret utilitas propria, conſequenter utilitatem aliorum primario, non vero ſecundario intenderet, ſi rationis judicio ſtandum eſſet (§. 619. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Atque ita patet, quomodo neceſſarium vertatur in voluntarium, ut, quod erat neceſſitatis, jam ſit virtutis, fructus nimirum charitatis. *Puto* hoc modo quoque intelligi, quomodo nemo quod ſuum eſt, ſed quod alterius quærere debeat, 1 Cor. X, 24. Vulgo laudi ducitur, ſi quis inſtar candelæ accenſæ aliis inſerviendo conſumatur, vires nimirum ſuas impendens in utilitatem aliorum; aſt non agnoſcitur, id eſſe virtutis, nec ſine eo charitatem ab omni labe immunem ſubſiſtere poſſe. Plurimum itaque refert, ut propoſitio præſens ſatis intelligatur, atque dilectio ſui tanquam homini naturalis in dilectionem aliorum vertatur: ita nimirum dilectio quoque ſui, quæ naturalis ſaltem videbatur, abit in officium, quale eſſe deſinit, ſi dilectio aliorum ab ea dividatur. Niſi enim nos diligamus,

Digitized by Google

quemadmodum lex naturæ præſcribit, dilectio quoque ſui officii nomen minime meretur (§. 225. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 62.

Quoniam homo ſeipſum diligere debet propter alios (§. 61.), habitus autem ſe diligendi charitas ſui (§. 51. *part. 4. Eth.*), & habitus diligendi alios tanquam ſeipſum charitas aliorum eſt (§. 620. *part. 1. Jur. nat.*); *ſi nos diligimus propter alios, charitas ſui cum charitate aliorum coaleſcit, ut fiat una virtus.*

Quomodo charitas ſui & aliorum in unam virtutem coaleſcant.

Charitas ſui & aliorum non ſpectantur tanquam partes unius ejusdemque virtutis, ſed tanquam una virtus, quatenus actus ſe ſtatumque ſuum perficiendi, qui charitatis ſui eſt (§. 58. 51. *part. 4. Eth.*), continet intentionem aliorum perfectionem atque perfectionem ſtatus eorundem promovendi, ut abſque ea actus charitatis ſui dici nequeat, deficiente nimirum neceſſario quodam requiſito. Qui ſeipſum diligit propter alios, non ſolum ſimul ſatisfacit obligationi, qua ſibi & qua aliis tenetur, verum ipſi obligationi, qua ſibi tenetur, ineſt obligatio, qua tenetur aliis, inſeparabiliter, ita ut priori ſatisfeciſſe non intelligatur, niſi ſimul ſatisfaciat poſteriori. Utraque igitur obligatio in unum coaleſcit. Hæc probe perpendenda ſunt, ſi charitatem ſui recte intelligere velis. Ceterum notandum eſt, charitatem aliorum ſtylo ſcripturæ a Theologis dici charitatem proximi, ſicuti amor & dilectio aliorum amor & dilectio proximi appellatur, quamvis ſermone vago ipſa charitas amor quoque proximi dicatur. Differentiam vero, quæ attendenda venit, ſi a vago loquendi uſu recedere volueris, quemadmodum in diſciplinis debemus, methodo accurata uſi, alias jam expoſuimus (*not.* §. 51. *part. 4. Eth.*).

§. 63.

De dilectione aliorum propter Deum.

Homo alium quemcunque diligere tanquam ſeipſum debet propter Deum. Qui enim alium quemcunque diligit tanquam ſeipſum, cum in habitu alios tanquam ſeipſum diligendi conſiſtat charitas (§. 620. *part. 1. Jur. nat.*), charitate pollet. Quoniam itaque ex charitate præſtatio omnium officiorum fluit (§. 59.), habitu præſtandi officia quævis aliis gaudet. Enimvero habitus hic hominem Deo aſſimilat (§. 38.), quatenus nimirum bonitatem Dei repræſentat (*not. §. cit.*), conſequenter homo alium quemcunque diligens tanquam ſeipſum gloriam Dei manifeſtat (§. 917. *part. 1. Theol. nat.*). Quoniam itaque a Deo conditus, ut gloriam ipſius promoveat (§. 115. *part. 3. Eth.*), Deusque non minus vult, ut homo actiones ſuas liberas ad manifeſtationem gloriæ divinæ dirigat (§. 918. *part. 1. Theol. nat.*), quam ut alios diligat tanquam ſeipſum (§. 618. *part. 1. Jur. nat.*), ac mundum ideo condidit, ut gloria ſua manifeſtetur (§. 629. *part. 1. Theol. nat.*); homo diligere debet alium quemcunque tanquam ſeipſum, ut ad finem univerſi a Deo intentum conferat, quicquid in poteſtate ſua eſt. Atque ita patet, quod alium quemcunque diligere debeat propter Deum.

Dudum inculcatum fuit, nos proximum, hoc eſt, hominem quemcunque alium diligere debere propter Deum, aſt pauci intelligunt, quid ſit dilectio aliorum propter Deum. Quamobrem oſtendendum nobis erat, quomodo homines propter Deum diligere poſſimus. Magnum enim momentum ſitum eſt in praxi morali, ut diſtinctam dilectionis hujus notionem habeamus: fieri enim alias nequit, ut vera ſit intentio in diligendis aliis & ut eam perfectionem acquiramus, quam lex naturæ tanquam finem omnium actionum humanarum præſcribit (§. 28. *part. 2. Phil. pract. univ.*), conſe-

quen-

quenter genus humanum eam felicitatem conſequatur, cujus particeps fieri debebat voluntate Dei (§. 706. *part.* 1. *Theol. nat.*).

§. 64.

Dilectio aliorum propter Deum eſt directio dilectionis eorundem in finem, propter quem Deus hoc univerſum ipſumque hominem condidit, nimirum ut homo qua liberum agens ſit ſpeculum perfectionum divinarum, quemadmodum una cum creaturis ceteris eſt propter perfectionem eſſentialem (§. 798. *part.* 1. *Theol. nat.*).

Quid ſit dilectio aliorum propter Deum.

Notio dilectionis hominum aliorum derivatur ex demonſtratione propoſitionis præcedentis & cum dilectione ſui propter Deum conſpirat (§. 54. *part.* 4. *Eth.*). Quemadmodum itaque falluntur, qui putant, ſe diligere ſeipſos propter Deum, ſi ſe diligant animo obediendi Deo (*not.* §. 54. *part.* 4. *Eth.*); ita etiam falluntur, qui exiſtimant, ſe homines alios diligere propter Deum, ſi eos diligant, propterea quod Deus vult. Quamvis enim hominem alium quemcunque diligere debemus tanquam nosmetipſos, ut nos Deo obedientes præbeamus (§. 5.); obedientia tamen debita confundenda non eſt cum dilectione propter Deum. Quando alios diligimus propter Deum, neceſſe eſt ut aliquid faciamus Dei cauſa, quod ſpectari poteſt quaſi quædam utilitas, quam Deus a nobis capit, quatenus nimirum ad finem univerſi conferimus, quicquid in poteſtate noſtra eſt, inſtar ſervi fidelis utilitati domini ſervientis, ne ſimus inutilia terræ pondera. Atque ita demum intimius perſpicitur, quomodo dilectio univerſalis omnium hominum cum natura divina atque humana & natura rerum univerſa cohæreat, modo in ſyſtemate veri nominis ſatis fuerimus verſati. Relegenda igitur hic quoque ſunt, quæ, cum de pietate ageremus, de directione actionum humanarum ad finem totius univerſi & de harmonia

nia earundem atque actionum naturæ demonſtravimus & uberius explicavimus (§. 118. 120. *part. 3. Eth.*).

§. 65.

Quod unionem cum Deo ſupponat.

Quoniam qui alios diligit propter Deum, dilectionem aliorum ad finem totius univerſi dirigit (§. 64.), Deus autem vult ut actiones liberas ad finem totius univerſi dirigamus (§. 629. *part. 1. Theol. nat.*); qui alios diligit propter Deum, ejus voluntas eadem eſt cum voluntate divina, conſequenter cum in hac identitate voluntatis unio cum Deo conſiſtat (§. 287. *part. 3. Eth.*), *dilectio aliorum propter Deum unionem cum Deo ſupponit, ſeu ex unione cum Deo fluit.*

Qui cum Deo unitus eſt, eadem vult, quæ vult Deus (§. 287. *part. 3. Eth.*). Vult Deus, ut homines actiones ſuas omnes, conſequenter etiam mutuam dilectionem dirigant ad finem totius univerſi (§. 629. *part. 1. Theol. nat.*). Ex unione igitur cum Deo neceſſario fluit dilectio propter Deum, ita ut unio cum Deo integra ſubſiſtere nequeat, niſi hominem quemcunque diligamus propter Deum. Dilectio igitur propter Deum ſignum eſt unionis cum Deo. Vide, quæ uberius explicavimus, cum de unione hominis cum Deo ageremus (*not.* §. 287. *part. 3. Eth.*).

§. 66.

Nexus dilectionis propter Deum cum dilectione Dei.

Cum dilectio aliorum propter Deum ex unione cum Deo fluat (§. 65.), charitas vero Dei hominem cum Deo uniat (§. 288. *part. 3. Eth.*); *dilectio aliorum propter Deum a charitate Dei dependet* (§. 851. *Ontol.*), conſequenter *qui alios diligere vult propter Deum, idem quoque Deum diligere tenetur.*

Patet itaque, dilectionem aliorum propter Deum & dilectionem Dei indivulſo nexu cohærere, ita ut deficientis dilectionis Dei ſignum ſit abſentia dilectionis propter Deum, ideo-

ideoque multo magis odium hominum aliorum. Qui homines alios non diligit propter Deum, multoque magis qui eos odit, Deum diligere nequit. Fieri equidem poteſt, ut quis non diſtinctam notionem dilectionis propter Deum habeat, qui Deum diligit; dilectio tamen aliorum propter Deum tacite ineſt dilectioni Dei, tumque dilectio aliorum defectu quodam laborat, qui ignorantiæ debetur, & eam imperfectam reddit, non vero labe quadam inficit.

§. 67.

De concordia pietatis & dilectionis aliorum propter Deum.

Similiter quoniam qui alios diligit propter Deum, actiones ſuas omnes ad finem totius univerſi dirigit (§. 64.), pius autem itidem eosdem ad eundem finem dirigit (§. 118. *part.* 3. *Eth.*); *dilectio aliorum propter Deum cum pietate concordat, & cum eadem facile copulatur.*

Monuimus jam alias, ſine dilectione aliorum propter Deum pietatem mancam eſſe, & ex adverſo fieri non poſſe, ut aliter quam propter Deum amemus alios, ſi pietatem colamus (*not.* §. 57. *part.* 4. *Eth.*). Quodſi ergo quis pius fuerit, ei dilectio aliorum propter Deum non erit difficilis. Quamobrem ſi eam adhuc difficilem experiamur, id indicio eſt, quod pietas a perfectione ſua procul adhuc abſit. Laborat autem hac imperfectione, propterea quod directio actionum ad finem univerſi ignoratur, aut ſaltem non perſpicitur, quantum ſatis eſt. Vide igitur, quæ de eadem alibi diximus (*not.* §. 118. *part.* 3. *Eth.*). Pietas dilectionem aliorum ad ſublimem gradum elevat, & maximam ei pulchritudinem conciliat, quam non videt niſi qui ex Theologia naturali & parte tertia Ethicæ didicit, quomodo omnia in hoc univerſo cohæreant & qualis eſſe debeat homo, ut qua liberum agens ſit civis dignus hujus univerſi. Docebit autem analyſis demonſtrationum, quam multa præſupponantur, ut hæc intime perſpiciantur. Vellem in eo exercerent acumen ſuum, qui cete-

ris omnibus oculatiores ſibi videntur, ſi religionem omnem atque virtutem evertere ſtudent.

§. 68.

Quid ad finem univerſi conferat dilectio aliorum propter Deum.

Qui propter Deum hominem quemcunque alium diligit tanquam ſeipſum, ad finem totius univerſi confert, quantum debet. Qui enim propter Deum hominem quemcunque alium diligit tanquam ſeipſum, dilectionem aliorum dirigit in finem, propter quem Deus hoc univerſum ipſumque hominem condidit, ut nimirum qua liberum agens ſit ſpeculum perfectionum divinarum, quemadmodum una cum creaturis ceteris eſt propter perfectionem eſſentialem (§. 64.). Et quoniam perfectionem aliorum promovere ſtudet quantum datur (§. 57.), eos quoque aptos efficere conatur ad repræſentandum perfectionem Dei ſummam (§. 917. *part.* 1. *Theol. nat.*), ut & ipſi fiant perfectionum divinarum ſpeculum (§. 784. *part.* 1. *Theol. nat.*). Patet itaque, quod hominem quemcunque alium tanquam ſeipſum diligens propter Deum ad finem totius univerſi conferat, quantum poteſt, conſequenter cum Deus velit ut hoc faciat (§. 920. 673. *part.* 1. *Theol. nat.*), quantum debet (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Oſtendimus, hominem quoque ſeipſum diligere debere propter Deum (§. 53. *part.* 4. *Eth.*), quemadmodum propter eundem diligere debet alios (§. 63.), & dum ſeipſum diligit propter alios (§. 61.), non aliud intendere debet, quam ut & ipſe, & alii ad finem univerſi conferant, quantum poſſunt ac debent. Nimirum ſeipſum perficere ſtudet, ut ſit aptus ad ſummam Dei perfectionem repræſentandam (§. 917. *part.* 1. *Theol. nat.*), & ad perfectionem aliorum promovendam confert, quantum poteſt, ut & ipſi aptitudinem iſtam conſequantur. Atque ita officiis tam erga alios, quam erga ſeipſum ultimo non intenditur, niſi quod Dei eſt. Et hoc demum

demum pacto penitus intelligitur, quomodo homo factus ſit propter Deum.

§. 69.

Dilectio ſui & aliorum propter Deum ad perſonam ſibi impoſitam recte gerendam requiſita.

Si quis perſonam ſibi impoſitam recte gerere velit, ſeipſam & alios homines tanquam ſeipſum diligere debet propter Deum. Quoniam enim homo eſt creatura Dei (§. 782. *part. 1. Theol. nat.*), ideoque perinde ac creaturæ omnes quoad determinationes eſſentiales eſt ſpeculum perfectionum divinarum (§. 795. *part. 1. Theol. nat.*), ut per eas colligi poſſint perfectiones divinæ (§. 794. *part. 1. Theol. nat.*); quatenus eſt creatura Dei eam quoque perfectionem accidentalem acquirere debet, ut qua agens liberum perfectionem Dei ſummam repræſentet, ſeu gloriam ipſius manifeſtet (§. 917. *part. 1. Theol. nat.*), conſequenter actiones ſuas liberas in finem totius univerſi dirigat (§. 629. *part. 1. Theol. nat.*). Quoniam itaque ad perſonam homini a Deo impoſitam etiam pertinet, quod ſit creatura Dei; ſi perſonam ſuam ſibi impoſitam recte gerere vult, neceſſe quoque eſt, ut actiones ſuas omnes, conſequenter omnia officia tam erga ſeipſum, quam erga alios in finem totius univerſi dirigat (§. 225. 226. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero præſtatio omnium officiorum ex charitate, conſequenter ex dilectione ſui & aliorum (§. 51. *part. 4. Eth.* & §. 620. *part. 1. Jur. nat.*) fluit (§. 59. *part. 4. Eth.* & §. 59. *h.*), &, ſi nos ipſos atque alios diligimus propter Deum, officia iſta in finem totius univerſi dirigimus (§. 54. *part. 4. Eth.* & §. 64. *h.*). Quamobrem ſi quis perſonam ſibi impoſitam recte gerere velit, ſeipſum & alios homines tanquam ſeipſum diligere debet propter Deum.

Si quis vivere conſtituit, quemadmodum ſe decet, ei motivum eſt dilectionis ſui atque aliorum propter Deum, quod

ea ad perſonam ſibi impoſitam recte gerendam requiratur. Cum vero pauci perpendant, quænam perſona ſibi ſit impoſita & quamnam gerere debeant, quantumque interſit, ut perſonam nobis impoſitam recte geramus; non eſt quod miremur, quod de ea gerenda parum ſint ſolliciti, conſequenter nec permoveantur ad ſeipſum atque alios propter Deum diligendum, ut perſonam ſuam recte gerant. Ad notitiam ſui inprimis requiritur, ut modum recte gerendi perſonam nobis impoſitam probe cognoſcamus (§. 17. *part. 4. Eth.*). Perperam igitur cognitio rei adeo neceſſariæ negligitur, ad quam a primis ungviculis eramus adducendi.

§. 70.

Dilectione aliorum propter Deum gloria Dei per alios promovetur.

Qui alios diligit propter Deum, per alios quoque gloriam Dei promovere ſtudet. Qui enim alios diligit propter Deum, ad finem univerſi confert, quantum poteſt ac debet (§. 68.), conſequenter cum finis ultimus univerſi ſit manifeſtatio gloriæ divinæ (§. 629. *part. 1. Theol. nat.*), ad gloriam divinam promovendam confert, quantum poteſt ac debet (§. 1148. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum perfectio hominis conſiſtat in aptitudine manifeſtandi gloriam divinam (§. 917. *part. 1. Theol. nat.*), qui vero alterum diligit perfectionem ejus promovere ſtudet (§. 56.); qui alterum diligit propter Deum, per eum quoque gloriam Dei promovere ſtudet.

Qui ſeipſum diligit, perfectionem ſui promovere conatur, quantum datur (§. 58. *part. 4. Eth.*), & qui alios diligit, perfectionem eorundem promovere ſtudet, quantum in ſe eſt (§. 57.): aſt utrumque fieri poteſt abſque intentione promovendi gloriam Dei. Enimvero ſi quis ſeipſum atque alios diligit propter Deum, accedit intentio promovendi per ſuam atque aliorum perfectionem gloriam Dei, quatenus nimirum homo perfectione accidentali efficitur aptus ad repræſentandum perfectionem Dei ſummam (§. 917. *part. 1. Theol. nat.*),

nat.), ſicque & diligens, & dilectus evadit ſpeculum perfectionum divinarum (§. 784. *part.* 1. *Theol. nat.*), quale per eſſentiam & naturam ſuam ſunt creaturæ omnes (§. 785. *part.* 1. *Theol. nat.*), ipſe etiam homo totumque univerſum (§. 786. *part.* 1. *Theol. nat.*). Quemadmodum vero creaturæ rationis minime participes perfectionum divinarum ſpecula ſunt, ideoque gloriæ Dei promovendæ inſerviunt, etiamſi in eas non cadat cognitio repræſentationis perfectionum divinarum, cujus ſunt participes; ita quoque homo ignorare poteſt, quod ob perfectionem acquiſitam ſit ſpeculum perfectionum divinarum, quemadmodum ignorat, quod ob perfectionem naturalem iſtiusmodi ſpeculum ſit. Quando igitur diligens alios propter Deum, per eos quoque gloriam Dei promovere ſtudet, non ſolum id agit, ut homines alii actiones ſuas dirigant ad manifeſtationem gloriæ divinæ eas determinando per motiva ab attributis divinis deſumta (§. 919. *part.* 1. *Theol. nat.*), verum etiam ut ex accidentali eorum perfectione colligi poſſint attributa divina, quemadmodum ex eſſentiali colliguntur (§. 784. *part.* 1. *Theol. nat.*). Sicuti ergo qui alios amat, omnes homines redderet felices, ſi in poteſtate ſua eſſet (§. 50.); ita qui alios diligit propter Deum, perfectionem omnium promovere vellet, ſi fieri poſſet, ut eſſent perfectionum divinarum ſpecula, ſicque genus humanum in eo creaturis ceteris aſſimilaretur, quatenus homines ſunt ſubjecta libere agentia. Quamvis enim Deus agnoſcatur ex eſſentia & natura hominum, cui potentia ineſt perfectio accidentalis acquiſitu poſſibilis; diſpoſitiones tamen naturales, quales revera ſint, a nobis non cognoſcuntur, niſi quando ad habitum evehuntur, & quo major fuerit habitus acquiſiti gradus, eo magis quoque intelligitur, quales ſint diſpoſitiones naturales hominis. Qui ad hæc animum non attendunt, dilectionem propter Deum non ſatis intelligunt, & dilectionem ſui atque aliorum ab omni labe immunem minime ſervant, multo minus in eadem proficiunt, quantum

peterant, nec dignitatem hominis proſpiciunt, qua ceteris animantibus præſtat.

§. 71.

Quod in dilectione propter Deum non attendatur ullus perſonarum reſpectus.

Qui alios diligit propter Deum, hominem omnem diligit, qualiſcunque tandem fuerit. Etenim qui alios diligit propter Deum, dilectione aliorum intendit, ut ſit ſpeculum perfectionum divinarum qua liberum agens, quemadmodum una cum creaturis ceteris eſt propter perfectionem eſſentialem (§. 64.), conferre ſtudens ad finem totius univerſi, quantum poteſt ac debet (§. 68.). Quoniam itaque diligens finem hunc conſequi poteſt, qualiſcunque tandem fuerit dilectus, cum nullo modo dependeat ab hujus conditione, ſed in totum a diligente; qui alios diligit propter Deum, non conſiderat, qualis ſit homo, quem diligit, ſed ipſi ſufficit eſſe hominem. Quamobrem hominem omnem diligit, qualiſcunque tandem fuerit.

Patet hinc, cur in dilectione non attendatur ullus reſpectus perſonarum, & quomodo fieri poſſit, ne attendatur. Dilectioni ſatisfacit voluntas, ſi quis phyſice vel moraliter impeditur, quo minus agat, quod vult (*not. §. 615. part. i. Jur. nat.*). Quamvis itaque in exercitio dilectionis, quatenus ad actum voluntatis accedit actus externus propter obligationem arctiorem illa univerſali, quæ promiſcue ad homines omnes æque extenditur, ratio prælationis deſumatur a perſona dilecta, id tamen non impedit, quo minus ab amore ac dilectione univerſali excludatur omnis perſonæ reſpectus & homo ideo diligatur, quia homo eſt, qualiſcunque tandem fuerit. Nemo diffitebitur, in dilectionis exercitio filium præferendum eſſe homini extraneo. Eo ipſo tamen nihil immutatur in voluntate. Manet animus præſtandi hominibus in univerſum omnibus, quod præſtas filio, modo id fieri poſſet. Quoad amorem itaque & dilectionem non diſtingvis inter filium & ho-

Digitized by Google

& hominem extraneum; aſt cum agnoſcis, quam curta tibi ſit ſupellex, ut omnibus æque prodeſſe non poſſis, filium præfers extraneo, propterea quod arctior obligatio eſt, qua filio, quam qua extraneo teneris ad ipſum ſtatumque ejus perficiendum. Hæc ponderanda ſunt, ne inanes difficultates faceſſas circa amorem ac dilectionem univerſalem aliorum, quando inde excluditur omnis perſonarum reſpectus. Charitas, quæ in habitu diligendi conſiſtit (§. 620. *part. 1. Jur. nat.*), virtus eſt: virtus autem omnis æſtimanda ex voluntate, non ex actu externo. Quamobrem fieri poteſt, ut actus externus multis modis reſtringatur, cum voluntas ab omni reſtrictione libera ſit eamque prorſus reſpuat. Immo fieri propterea poteſt, ut actus externus idem ſit, qui eſt virtutis, quamvis a virtute non procedat.

§. 72.

Quoniam qui alios diligit propter Deum, hominem omnem diligit, qualiscunque tandem fuerit (§. 71.), conſequenter ſive fuerit amicus, ſive inimicus, ſive indifferenti erga ipſum animo (§. 625. 626. 629. *part. 1. Jur. nat.*); *qui alios diligit propter Deum, inimicos etiam ſuos diligit*, conſequenter *qui inimicos diligere vult, omnem operam dare debet, ut alios diligere diſcat propter Deum*, cumque inimicus nos odio proſequatur (§. 626. *part. 1. Jur. nat.*), *qui alios diligit propter Deum, eos quoque diligit, qui ſe oderunt.* *De medio diligendi inimicos.*

Dilectio inimicorum ardua & difficilis habetur: immo & olim ea fuit gentium communis opinio, & hodienum animos gentium barbararum occupavit, quaſi diligendi ſint ſaltem amici, qui nos diligunt, odio vero habendi inimici, qui nos odio habent. Atque hæc perverſa opinio & olim eo usque extenſa fuit, & hodienum a gentibus barbaris extenditur, ut pro inimicis habeantur, qui non in eadem nobiſcum ſocietate civili vivunt. Non inquirere jam lubet in fontem

fontem erroris, quem ex ignorantia Juris naturæ profluxiſſe deprehendet, qui intimius idem perſpexerit. Nobis enim ſufficit, quod ſuo loco demonſtraverimus, eſſe utique Juris naturæ, ut etiam inimicum diligamus & amemus tanquam nos ipſos, nequaquam vero oderimus (§. 632. *part. 1. Jur. nat.*). Monuimus quoque, nos alterum diligere debere, non quia amicus eſt, ſed quia homo eſt, ut ideo obligatio diligendi, utpote rationem in ipſa natura humana habens, prorſus immutabilis ſit (*not.* §. *cit.*). Quamobrem in præſenti ſaltem docendum, quomodo fieri poſſit, ut ipſos etiam inimicos amemus ac diligamus. Nullum igitur præſtantius medium reperio, quam dilectionem aliorum propter Deum. Hoc ſane modo dilectio inimicorum tacite inſinuatur animo diligentis, ut is ad eam proclivis efficiatur, etiamſi de ea non cogitet. Quando enim quis alios diligere adſueſcit propter Deum, eum init ardor ad finem univerſi conferendi, quantum in poteſtate eſt, ut ſit & ipſe ſpeculum perfectionum divinarum (§. 68.) & ut efficiantur alii (§. 70.): quod cum ſubſiſtat, ſi inimicum diligamus, eidem vero adverſetur, ſi eundem oderimus, facile agnoſcitur, odium inimici non tollere dilectionem. Quamobrem cum alios diligens propter Deum perſonam ſibi impoſitam recte gerere velit, ſine dilectione vero propter Deum recte gerere nequeat (§. 69.); odio quoque inimici ab ejus dilectione ſe dimoveri minime patitur. Ardor ille ad finem univerſi conferendi, quicquid in poteſtate eſt, vincit odium, immo in ipſo ortu extingvit, ſi forte adhuc ſuboritur (§. 440. *part. 2. Eth.*). Quando vero adſueſcere ſtudemus dilectioni aliorum propter Deum, cum tunc animum nulla ſubeat cogitatio de amico & inimico, & quamdiu dilectionem aliorum propter Deum in abſtracto expendimus, perſonam diligendam nobis ſaltem repræſentemus tanquam hominem, creaturam Dei ac partem hujus univerſi, odium aliorum nullum nobis impedimentum objicit, quod ſit removendum, ut dilectioni atque amori locus relinquatur. Patet itaque, dilectione propter Deum dilectionem inimi-

Digitized by Google

eorum facilem reddi. Si quis adhuc dubitet, ſe dubitare de eo haud difficulter animadvertet, quod nondum expertus eſt: veniendum igitur in rem præſentem. Quodſi moleſtum accidat, dubitatio ejus nihil valebit contra demonſtrationem, quam dedimus, & contra experientiam eorum, qui dilectioni propter Deum ſedulam operam navarunt.

§. 73.

Diligentia inimicorum fovetur obedientia erga Deum. Qui enim Deo obedit, prompte facit, quod Deus vult (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter quod lege naturæ præcipitur (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum lege naturali præcipiatur, ut etiam inimicos diligamus (§. 632. *part. 1. Jur. nat.*), obedientia erga Deum hominem ad dilectionem inimicorum impellit. Quodſi ergo ea dilectione aliorum propter Deum conciretur (§. 72.); obedientia erga Deum fovetur. *Quomodo dilectio inimicorum foveatur.*

Non eſt quod objicias, obedientiam erga Deum eſſe medium ſufficiens dilectionis inimicorum, ut non opus ſit dilectione aliorum propter Deum. Cum enim odium inimicorum, ad quod homines nimis proclives ſunt, dilectionem inimicorum moleſtiſſimam reddat; ſi quis vel maxime agnoſcit velle Deum, ut inimicos diligat, hæc ipſa tamen dilectio jugum intolerabile videtur: quæ opinio amori Dei multum detrahit & obedientiam labefactat (§. 188. *part. 3. Eth.*). Moleſtiam vero dilectioni inimicorum demit & obedientiam intactam relinquit dilectio aliorum propter Deum. Qui Deo [illegible] ſe præbet, non ſine gaudio hoc facit (§. 194. *part. 3.* [illegible]), atque hoc gaudium ſubſiſtit, ſi inimicos diligamus propter Deum, & ſic perſonam a Deo nobis tanquam creaturæ [illegible] recte gerere ſtudeamus (§. 69.). Ita nimirum in[illegible]s, nos Dei cauſa diligere inimicos, & noſtra intereſſe ut eos diligamus. Qui enim inimicos non diligit,

perſonam ſibi per creationem impoſitam recte non gerit, nec civem mundi dignum ſe præſtat: facit igitur, quod hominem maxime dedecet. Quodſi probe perſpexerimus, quod in dilectione aliorum propter Deum contineatur dilectio inimicorum, nec ab ea divelli poſſit; nec fieri poterit, ut dilectio inimicorum videatur jugum intolerabile nobis a Deo impoſitum, ac durum videatur obedire Deo illam præcipienti. Urget eam finis totius univerſi, ex quo etiam dilectio propter Deum derivatur. Quamobrem cum is ſit omnium optimus, quem Deus ſibi conſtituere potuit (§. 619. *part. 1. Theol. nat.*); ideo quoque fieri non potuit, ut Deus odium inimicorum permitteret. Immo cum omne Jus naturæ independenter a voluntate Dei ex ipſa eſſentia & natura hominis deduxerimus, ideo quoque etiam dilectionem inimicorum ex hoc tandem fonte derivaverimus (§. 632. *part. 1. Jur. nat.*), odium inimicorum naturæ humanæ repugnat, dilectio vero eorum eidem maxime convenit, conſequenter nec illud permittere potuit, hanc vero præcipere debuit Deus (§. 282. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 74.

De ſtudio perfectionis inimicorum & ſtatus eorundem promovendo.

Qui inimicos diligit, perfectionem eorum atque ſtatus eorundem promovere ſtudet, quantum datur. Qui enim alios diligit, perfectionem eorum atque ſtatus eorundem promovere ſtudet (§. 56), quantum datur (§. 57.). Quamobrem ſi quis inimicos diligit, inimicorum quoque perfectionem atque ſtatus eorundem promovere ſtudet, quantum datur.

Dilectio inimicorum caſus ſpecialis eſt dilectionis aliorum. Quamobrem quod de dilectione aliorum in genere demonſtratum fuit, id etiam valet de dilectione inimicorum. Non attenditur hic obligatio, quæ dilectionem inimicorum, vel in genere aliorum facit debitam (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ſed tantummodo quæritur, quid ex dilectione aliorum conſequatur. Utrum enim, nec ne, alios ipſosque inimicos

micos diligere & quantum diligere debeamus, in Jure naturæ demonſtratur & in Ethica ſupponitur (§. 9. *part. 1. Eth.*). Quamvis itaque dilectio inimicorum non eſſet præcepta lege naturali; propoſitio tamen præſens vera foret. Ex ſtudio autem inimicorum perfectionem & perfectionem ſtatus eorundem promovendi colligitur dilectio eorundem, atque ita hoc ſtudium ipſius ſignum eſt (§. 259. *Ontol.*). Docet præterea propoſitio præſens, quænam facere teneatur qui inimicos diligere voluerit. Patet ex anterioribus, nos alios diligere debere propter Deum (§. 63.), ac ideo dilectionem aliorum excludere omnem reſpectum perſonarum (§. 71.), & ſic extendi ad ipſos quoque inimicos (§. 72.). Quamobrem ſi dilectio aliorum non deſtituitur ſua rectitudine, nec caret neceſſario quodam requiſito, nulla intercedit differentia inter actus ad eam pertinentes, ſive in genere, ſive in ſpecie ſpectentur, quando diligitur amicus & quando inimicus, aut qui indifferenti erga nos animo eſt.

§. 75.

Inimicos diligens ipſis benefacit.

Quoniam qui inimicos diligit, perfectionem eorum atque ſtatus eorundem promovere ſtudet, quantum datur (§. 74), quæ vero hominem ejusque ſtatum perficiunt, bona ſunt (§. 554. *Pſych. empir.*), & quidem bona animi, quæ ad animam ſpectant, bona vero corporis ac fortunæ, quæ ad corpus & ſtatum externum pertinent (§. 556. *Pſych. empir.*); *qui inimicos diligit, alios, quantum poteſt, juvat, ut conſequantur animi, corporis & fortunæ bona*, cumque abſentia mali etiam bonum ſit (§. 756. *part. 1. Jur. nat.*), *mala* quoque *tam animi, quam corporis atque fortunæ ab iis avertere ſtudet*, conſequenter cum omnis actus, quo ad alterius bona quæcunque, ſive animi, ſive corporis, ſive fortunæ, gratis quid conferimus, vel malum quoddam animi, corporis ac fortunæ ab altero

 aver-

avertimus, beneficium ſit (§. 21. *part. 4. Jur. nat.*), *inimicis benefacit.*

Cum actus omnis beneficium ſit, quo perfectionem alterius ac ſtatus ejusdem gratis promovemus, aut imperfectionem præcavemus (§. 22. *part. 4. Jur. nat.*), ex propoſitione præcedente quoque ſine ulla ambage inferri poterat, quod qui inimicos diligit, iis benefacere quocunque modo ſtudeat. Non tamen ambages, per quas incedere libuit, cenſendæ ſunt inutiles, cum ſic beneficiorum inimicis dandorum materia ſimul fuerit demonſtrata, quæ cognita & perſpecta eſſe debet, ſi inimicis benefacere velimus, ne beneficia intra limites arctiores coarctemus, quam fieri debebat, conſequenter per ignorantiam aut incogitantiam benefacere negligamus. Quoniam vero ſtudium benefaciendi alteri ad dilectionem aliorum in genere pertinet, minime autem dilectioni inimicorum peculiare eſt; non inconſultum videtur, ut propoſitionem ſequentem addamus.

§. 76.

De ſtudio benefaciendi dilecto.

Qui alios diligit, ipſis benefacere ſtudet. Etenim qui alios diligit, perfectionem eorum atque ſtatus eorundem promovere ſtudet, quantum datur (§. 56. 57.). Et quoniam hic non ſupponitur, perfectionem aliorum atque ſtatus eorundem ideo promoveri, ut viciſſim quicquam recipias, gratis vero præſtatur, pro quo nihil viciſſim recipitur (§. 18. *part. 4. Jur. nat.*); facile intelligitur, diligentem alios aliorum perfectionem atque ſtatus eorundem gratis promovere. Quamobrem cum actus omnis beneficium ſit, quo perfectionem alterius ac ſtatus ejusdem gratis promovemus, aut imperfectionem præcavemus (§. 22. *part. 4. Jur. nat.*); qui alios diligit, ipſis benefacere ſtudet.

Officia,

Officia, quæ debentur aliis, non ſunt mercenaria, non præſtanda ſunt aliis, ut ab iis pro iiſdem viciſſim quidpiam recipias, ſed ut indigentiæ ipſorum ſuccurras. Natura nihil fecit mercenarium, ſed indigentiæ ſaltem humanæ conſulit, quia nemo hominum ſolus ſe ſtatumque ſuum perficere poteſt, ſed unusquisque aliorum indiget auxilio, ut nonniſi conjunctis viribus perfectio iſta obtineri poſſit (§. 220. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), quam ut conſequamur ſtudere debemus (§. 152. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Poſtquam vero dominia rerum introducta ſunt, & propterea quoque operæ, quæ præſtantur aliis, æquiparantur rebus, quæ ſunt in dominio præſtantis (§. 437. *part.* 2. *Jur. nat.*); fieri minime potuit, ut omnes præſtationes manerent gratuitæ, ideoque nemo alteri gratis dare, vel facere tenetur ei, qui viciſſim quid dare vel facere poteſt (§. 268. *part.* 4. *Jur. nat.*). Cumque ſic præſtationes quædam mutuæ factæ ſint mercenariæ, quatenus gratis præſtari non poterant absque neglectu officii erga ſeipſum (§. 608. *part.* 1. *Jur. nat.*); actus mercenarii officiis contradiſtingvi cœperunt, & hæc ſola in beneficiorum numero ſubſtiterunt. Et quoniam præſtatio omnium officiorum ex charitate fluit (§. 59.), opera charitatis dicuntur, quamvis hæc ſubinde arctiori ſignificatu reſtringantur ad opem, quæ fertur miſeris.

§. 77.

Qui inimicos diligit, Deum imitatur. Etenim qui inimicos diligit, ipſis benefacere ſtudet (§. 75.), cumque eos diligere debeat propter Deum (§. 63.), ad finem totius univerſi confert, quantum debet (§. 68.), ut perſonam ſibi impoſitam recte gerat (§. 69.). Enimvero Deus ſapientia, bonitate ac potentia ſua providet creaturis omnibus in hoc univerſo (§. 928. *part.* 1. *Theol. nat.*), ideoque omni homini tantundem boni confert, quantum ſalva ſapientia ipſius fieri poteſt (§. 698. 696. *part.* 1. *Theol. nat.*), omnia dirigens ad *Dilectio inimicorum imitatio Dei.*

 finem

finem totius univerſi (§. 626. *part.* 1. *Theol. nat.*), nec quicquam volens, niſi quod ſe decet (§. 335. *part.* 1. *Theol. nat.*). Quamobrem qui inimicos diligit, actiones ſuas, quibus ſe utilem præbet aliis, ad actionem Dei hominibus omnibus in univerſum providentis conformat. Quoniam itaque alterum imitatur, qui actionem ſuam ad alterius actionem conformat (§. 204. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*); qui inimicos diligit, Deum imitatur.

Probe conſiderandum eſt, quod & quomodo dilectio inimicorum ſit imitatio Dei, ut ejus pulchritudo clarius eluceſcat & ipſa dilectio aliorum intimius perſpiciatur. Deus providentia ſua generali æque benefacit hominibus omnibus, citra ullum perſonarum reſpectum. Solem ſuum, ait Chriſtus Math. V. 45. oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos. Providentia ſua ad finem univerſi confert, quantum neceſſe eſt, ut eundem conſequatur, & in providendo ſe ſapientiſſimum, potentiſſimum & ſumme bonum probat, quemadmodum creatorem & conſervatorem hujus univerſi decet, qui hominum felicitatem vult (§. 706. *part.* 1. *Theol. nat.*), infelicitatem velle nequit (§. 707. *part.* 1. *Theol. nat.*). Atque hinc apparet, quomodo Deus diligat homines in univerſum omnes, & ipſe ſe nobis præbet exemplar dilectionis univerſalis omnium hominum, quod imitari debemus. Videmus itaque, nos ex dilectione inimicorum demum addiſcere, qualis eſſe debeat dilectio univerſalis omnium hominum. Si quis ſaltem diligit amicos, hoc eſt, eos qui ſe diligunt, cum ſupponat, ſe ab aliis diligi, ſi ipſos diligere debet, aut intendat, ut viciſſim ab ipſis diligatur, quia ipſos diligit; vix ac ne vix quidem præcavetur, ne dilectio fiat mercenaria, certe refertur ad utilitatem ſui tanquam ad finem ultimum. Diligens itaque ſe non gerit tanquam creaturam rationalem, quæ agere debet propter finem a Deo in creatione intentum, & cujus perfectio accidentalis

ſtudio

ſtudio acquirenda cum naturali concordare ideoque in aptitudine repræſentandi perfectionem Dei ſummam conſiſtere debet. Aſt ſi dilectio extenditur ad inimicos, omnis utilitatis ex dilectione ſperandæ cogitatio procul a mente arcetur, nec per eam aliud intenditur, quam ut perſonam tibi in creatione impoſitam recte geras, nimirum ut ad finem univerſi conferas, quantum potes ac debes. Atque ita demum intelligis, quomodo Deum imitatus perfectus evadere poſſis, ſicut Deus perfectus eſt. Convenit hoc cum doctrina Chriſti, qui ex dilectione inimicorum infert: Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt, *Math.* V. 48. Dilectio univerſalis omnium hominum, quæ amicos ab inimicis non dividit, eſt imitamentum providentiæ divinæ generalis; aſt dilectio quorundam ſpecialis, quos ob rationes particulares aliis præferre tenemur, imitamentum providentiæ divinæ ſpecialis eſt: quod etſi uberius explicari hoc loco nequeat, notandum tamen eſt, ne quis perverſe interpretetur ea, quæ in præſenti dicta ſunt de dilectione univerſali.

§. 78.

Quoniam dilectio inimicorum eſt imitamentum Dei (§. 72.), Deus vero eſt ens perfectiſſimum, abſolute tale (§. 14. *part. 2. Theol. nat.*), cumque non velit niſi quod ipſum decet (§. 335. *part. 1. Theol. nat.*), ſummæ ſuæ perfectioni convenienter agat (§. 332. *part. 1. Theol. nat.*), conſequenter modus agendi excellentior concipi nequit, quam qui imitamentum Dei eſt; *dilectio* quoque *excellentior concipi nequit dilectione inimicorum, ſeu ea, quæ promiſcue ad omnes homines, ipſos etiam inimicos æque extenditur.* Quamobrem *qui ad præclara nituntur, iis motivum diligendi inimicos eſt, quod eorum dilectio ſit imitamentum Dei.* *Quibusnam hoc præbeat motivum diligendi inimicos.*

Animi generoſi eſt niti ad præclara. Quodſi ergo iſtiuſmodi quid agnoſcunt, qui generoſi ſunt animi, ad ipſum determina-
tur

tur eorum voluntas. Aſt qui ſordidis ingeniis præditi ſunt, cum mentes habeant monſtroſas, dignitatem ejus, quod in virtute ſublime eſt, non proſpiciunt. Malunt igitur cupiditatibus pravis fræna laxare, quam ut virtute præſtent inhibere. Non tamen quod hic de inimicorum dilectione aſſeritur a notionibus communibus abhorret, ut facile absque probatione admittatur, modo quis non habeat mentem præconceptis opinionibus obſeſſam. Ecquis enim eſt, qui neſciat, quod vulgo generoſi animi eſſe prædicetur, ſi quis veterum injuriarum oblitus officium præſtat alteri maxime utile, veluti ſi eum commendat Patrono, ut dignitas & fortunæ ipſius augeantur? Nonne vero hic ipſe actus eſt dilectionis inimicorum? Immo tanto laudabilius hoc cenſetur, & dilectionem inimici tanto apertius prodit, ſi ne rogatus quidem hoc facit, ſed ipſo inimico inſcio. Virtuoſus actiones legi naturæ conformes cum gaudio facit (§. 348. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo agnoſcat, quam ſublimis virtutis ſit ipſos inimicos diligere; eos cum gaudio diligit, atque tum ipſum gaudium arcet odium inimici & pravas cupiditates, quæ ortum inde trahunt.

§. 79.

Quod dilectio inimicorum purificet dilectionem aliorum.

Dilectio inimicorum purificat dilectionem aliorum. Dilectio enim inimicorum oritur ex dilectione propter Deum (§. 72.) & fovetur obedientia erga eundem (§. 73.). Quamobrem diligens inimicos non aliud intendit, quam ut ad finem totius univerſi conferat, quantum debet (§. 68.), & ut faciendo, quod Deus vult (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*), perſonam a Deo ſibi impoſitam recte gerat (§. 69.). Quoniam itaque alios propter Deum diligere (§. 63.) & ipſi obedire debemus (§. 1165. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque dilectio aliorum tunc demum recte ſe habet, ſi excludatur omnis reſpectus perſonarum, quando hæc ad ipſos inimicos extenditur, nulla pror-

prorſus labe inficitur (§. 598. *part. 2. Eth.*). Enimvero animus purus eſt, ſi fuerit ab omni prorſus labe immunis (§. 599. *part. 2. Eth.*). Inimicos igitur æque diligens ac amicos, aut homines, qui indifferenti erga ipſum animo ſunt, cum animo puro diligat alios, dilectio aliorum nulla labe inficitur, ideoque dilectionem aliorum purificat.

Quamdiu quis inimicos nondum diligere didicit, motiva dilectionis petit a perſonæ dilectæ conditione ad ſeipſum relata, conſequenter dilectio nondum ea eſt, quam lex naturæ requirit & quæ intentioni Dei eam præcipientis reſpondet. Quamdiu autem hanc normam reſpuit, dilectioni quoque adhuc aliquid vitioſi inhæret, quod legi naturæ parum convenit. Motiva nimirum ſupponunt appetitiones, vel averſiones vitioſas, quæ ſaltem tacite influunt in dilectionem, quemadmodum in caſu dato deprehenditur, ſi quidem latebras & receſſus in animis hominum detegere didicerimus. Quoniam de eo non cogitatur, vitioſum quoque, quod dilectioni adhæret, non agnoſcitur. Quotus quisque eſt, qui inquirere ſuevit, num appetitioni, vel averſioni inhæreat aliquid vitioſi, quando diligit alios? Nonne pervulgatum eſt, quod homines dicant ſe amare alios, nec dicere poſſe *quare?* Cum tamen conſtet, fieri haud quaquam poſſe, ut amemus aliquem, niſi detur ratio ſufficiens amoris (§. 70. *Ontol.*), conſequenter intelligi poſſit, quare eum amemus (§. 56. *Ontol.*); ſatis hinc manifeſtum eſt, quantum negligatur ſtudium inquirendi in rationem dilectionis, & quam parum ſolliciti ſint diligentes, utrum legitima ſint dilectionis motiva, nec ne. Aſt ſi inimicorum dilectio recte ſe habet, verendum non eſt, ne dilectio aliorum vitium quoddam contrahat. Quodſi enim recte ſeſe habet, dilectionem aliorum propter Deum ſupponit & obedientiam erga eum, ita ut homo inimicos non aliam ob rationem diligat, quam ut ad finem, ob quem Deus hoc univerſum ipſumque hominem

condidit, conferat, quantum debet, ſicque voluntatem ſuam voluntati divinæ conformet. Quando igitur inimicos diligere didicit, dilectio inimicorum omnem dilectionem aliorum tuetur adverſus omnes appetitiones & averſiones vitioſas, quæ alias tacite in eandem irrepunt, & omne vitioſum in motivis arcet, ſicque illam purificat. Non eſt quod objicias, dilectionem aliorum purificari, ſi alios propter Deum diligamus, hanc vero a dilectione inimicorum ſupponi, conſequenter purificationem dilectionis non poſſe tribui dilectioni inimicorum. Etenim hæc demum objectio pondus quoddam haberet, ſi habitus morales a ſe invicem ſejuncti ſtatim conſummari poſſent. Aſt cum hoc fieri nequeat, habitus unus prodeſt ad acquirendum alterum, & ubi acquiſitus fuerit illum ulterius perficit. Obtinet idem in habitibus aliis a ſe invicem dependentibus: quod uberius declarare non eſt hujus loci. Status animi præteriti influunt in præſentem, qui & ipſe influit poſtea in ſequentes & influxum præteritorum alterat, prout fert concurrentium conditio. Quodſi latebras & receſſus in animis hominum altius ſcrutari adſueverint philoſophi, multa patebunt, quæ nunc vel non agnoſcuntur, vel audita paradoxa videntur.

§. 80.

Dilectio inimicorum non involvit approbationem pravorum factorum.

Qui inimicos diligit, prava ipſorum facta propterea non approbat. Quoniam enim inimicos diligit, qui alios diligit propter Deum (§. 72.), conſequenter eos diligendo ad finem totius univerſi conferre ſtudet, quantum datur (§. 68.); omnem perſonarum reſpectum ſeponit, conſequenter qualia ſint ejus facta non conſiderat. Quamobrem prava ipſorum facta propterea non approbat.

Amor, unde pendet dilectio, equidem concitatur, ſi quid in altero obſervamus, quod nobis placet (§. 645. *Pſych. empir.*), non tamen ideo neceſſe eſt, ut nobis placeant prava facta

facta inimicorum, ſi eos amare atque diligere velimus. Eorum enim nulla hic habetur ratio, conſequenter perinde eſt, ac ſi abeſſent. Hominem, quem diligere debemus, nobis repræſentamus tanquam ſubjectum, cui benefaciendo perſonam nobis impoſitam recte gerere poſſumus (§. 69. 76.). Id igitur, quod nobis placet in homine quolibet, ipſo etiam inimico, in eo conſiſtit, quod nobis præbeat occaſionem perſonam nobis a Deo per creationem impoſitam recte gerendi. Accedit, quod inimicum diligentes perfectionem ejus & ſtatus ejusdem promovere ſtudeamus (§. 74.). Quodſi ergo eam nobis repræſentemus tanquam inexiſtentem, quemadmodum fieri debet, ſi in dato caſu voluntas ad eam promovendam determinari debet (§. 47.), per præviſionem in ipſo etiam inimico deprehendimus quod nobis placet. Qui inimicos diligere didicit, in ſeipſo hoc experiri poterit. Dilectio tamen inimicorum cum rara ſit, præſertim ſi omnimodam rectitudinem habere debeat; facilius idem experiri datur in dilectione hominum nobis minime notorum, & qui indifferenti in nos ſunt animo, omnium autem optime, ſi fingamus ſaltem hominem, de quo nihil ſumimus, quam quod ejus quædam perfectio, aut perfectio ſtatus ejusdem nobis promoveri poſſit, & quod poſſibile putatur ſumatur tanquam factum: iſtiusmodi enim conſiderationes magnum momentum habent in experimentis moralibus, quibus in intimiorem rerum moralium ſcientiarum deducimur.

§. 81.

Dilectio malorum non continet approbationem factorum malorum.

Immo in genere *qui alios diligit propter Deum, bonos & malos æque diligens, non tamen propterea mala horum facta approbat.* Oſtenditur ſimili modo, quo propoſitionem præcedentem demonſtravimus. Qui enim alios diligit propter Deum, dilectionem eorundem in eum finem dirigit, propter quem hoc univerſum ipſumque hominem Deus condidit (§. 64.). Æque igitur bonos & malos diligit, ut ad

finem univerſi conferat, quantum poteſt ac debet, conſequenter cum hoc intendat, nullum reſpectum perſonarum attendit, ideoque facta eorum inſuper habens, nec de iis in præſenti cogitans, propterea quod malos diligit, mala eorum facta minime approbat.

Pertinent etiam huc, quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus. In genere autem adhuc notandum eſt, qui rectitudini actionum ſtudet, eum adſueſcere debere, ut in iis determinandis animum non advertat niſi ad ea, quæ vi legis naturæ per naturam animæ ad eas determinandas requiruntur. Supponit hoc utique rerum moralium ſcientiam, quæ non admittit niſi propoſitiones determinatas vi demonſtrationis diſcernendas. Hoc tamen non obſtante fieri poteſt, ut etiam rudiores aſſueſcant, in determinandis actionibus animum abducere ab iis, quæ in earum determinationem influere minime debent. Sane cum dilectio univerſalis hominum omnium abſolute præcipiatur, oblata occaſione benefaciendi ope noſtra, vel conſilio indigenti, non aliud conſiderandum eſt, quam num ſit homo ope noſtra, vel conſilio indigens, cumque ab obligatione noſtra non liberemur, ſi alter eidem non ſatisfecerit (§. 631. *part. 1. Jur. nat.*), non attendendum, quonam in nos ſit, vel fuerit animo. Et ſimili modo procedendum in aliis actionum generibus. Quodſi animus attendatur ad talia, quæ in determinationem voluntatis influere minime debent, ſi actio legi naturæ conformanda, prætextus vitiorum inde petuntur, & virtuti impedimenta objiciuntur. Ea de cauſa jam alias innuimus, conſultum eſſe, ut de propoſito bene ac recte agendi ſtatuamus, quando agendi occaſio nondum adeſt. Indies ſane experimur tam in nobis, quam in aliis, judicandi facultatem tum non modo maxime liberam eſſe, minime impeditam, ut quod verum eſt facilius videamus, verum etiam voluntatem & noluntatem judicio recte conformato facilius obſequi.

§. 82.

Digitized by Google

§. 82.

Quoniam qui alios diligit propter Deum, bonos & malos æque diligens non tamen propterea mala horum facta approbat (§. 81.), ſicque perſonam amat, facta ejus odit; *dilectione aliorum propter Deum obtinetur, ut facta malorum odio habeamus, perſonam tamen amemus ac diligamus.*

Medium obtinendi, ut perſonam amemus, factum oderimus.

Nihil frequentius accidit, quam ut odium factorum extendatur in perſonam. Immo longe plurimi ſunt, qui ſibi perſuadent, malos odio habendos eſſe: id quod cum amore univerſali omnino pugnat, cui conveniens eſt, ut neminem odio habeamus (§. 624. *part. 1. Jur. nat.*), immo ne quidem indifferenti in alios animo ſimus (§. 630. *part. 1. Jur. nat.*). Odium ſtimulus eſt ad lædendum alios tam poſitive, quam privative (*not.* §. 308. *part. 2. Eth.*). Quamobrem qui putant, malos odio habendos eſſe, religioni quoque ſibi minime ducunt iisdem male facere, immo rectum eſſe ſibi perſuadent, ne ipſis benefaciant tanquam beneficio indignis. Hoc tamen non obſtante inculcari audias, nos perſonam amare, facta odiſſe debere. Sermone patrio dicimus: der Perſon Freund, der Sache Feind. Veritatem facile agnoſcunt homines, quamdiu ipſis indifferens videtur, utra contradictionis pars vera ſit: aſt quando ſua referre putant, ut hæc potius vera ſit, quam altera, eam amplectuntur, quam ſibi favere experiuntur, falſas opiniones adverſus veritatem defendere annisi, ubi hujus admonentur. Virtute præditus vitium odit (§. 368. *part. 1. Phil. pract. univ.*), immo cum virtutem colere, vitium fugere debeamus (§. 278. *part. 1. Jur. nat.*), vitium quoque odiſſe debemus, conſequenter etiam mala facta aliorum, quæ ex vitio proficiſcuntur (§. 322. *part. 1. Phil. Pract. univ.*). Enimvero hominem quemcunque diligere tanquam nos ipſos (§. 618. *part. 1. Jur. nat.*), neminem vero odiſſe debemus (§. 624. *part. 1. Jur. nat.*). Legi naturæ itaque maxime convenit, ut malos etiam homines ame-

 mus

mus ac diligamus, amantes nimirum perſonam, odio habentes actiones illorum malas. Non amamus malos, quia mali ſunt, ſed quia homines, quos ipſa natura ejusque autor Deus nobis amandos commendat, & quia absque hoc amore in nosmetipſos peccamus non recte gerendo perſonam nobis a Deo impoſitam, nec enitentes in perfectionem, ad quam dirigendæ ſunt omnes noſtræ actiones, vi eorum, quæ in anterioribus abunde explicata et demonſtrata ſunt. Mala ipſorum facta ſaltem non impediunt, quo minus obligationi noſtræ ſatisfaciamus, quo una tenemur & aliis, & nobis, quatenus in univerſali dilectione aliorum continetur officium erga nos ipſos. Quodſi perpendamus, quomodo officium erga nos ipſos in amore ac dilectione univerſali omnium hominum contineatur, evidentiſſimum eſt, cur adverſus univerſalem dilectionem aliorum nullam exceptionem facere poſſint eorum facta, qualiacunque fuerint, cum hac exceptione ſubverteretur fundamentum totius Juris naturæ, quod directionem actionum omnium ad noſtram perfectionem urget (§. 152. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Maximum autem momentum tam in praxi morali, quam civili habet factorum odium cum amore perſonæ concurrens. Rei ergo adeo arduæ ſtudium minime negligendum. Ejus medium certiſſimum cum ſit dilectio aliorum propter Deum; vel inde quoque motivum dilectionis propter Deum ſumi poteſt.

§. 83.

Quomodo felicitas totius generis humani promoveatur.

Si unusquisque hominem quemcunque alium diligeret tanquam ſeipſum, totum genus humanum foret felix. Etenim cum dilectio alterius ſit conſtans & perpetua voluntas felicitatem alterius promovendi, omni nimirum ſtudio id agendi, ut alter ſit felix, ac cavendi, ne fiat infelix (§. 617. *part. 1. Jur. nat.*); ſi unusquisque hominem quemcunque alium diligeret, quilibet omni ſtudio ad felicitatem aliorum prompte conferret, quicquid in poteſtate ſua eſt, & ab iis averteret, quæ felicitati

tati

Digitized by Google

tati ipſorum quomodocunque adverſantur. Cumque alios diligeret tanquam ſeipſum, ſeipſum quoque diligens omni ſtudio id ageret, ut & ipſe ſit felix, ſibique caveret, ne reddatur infelix (§. 606. *part.* 1. *Jur. nat.*), ideoque nec propria, nec communis felicitas ullo modo negligeretur. Quodſi obligationi huic naturali ſatisfacerent omnes, ſtudium iſtud communem felicitatem promovendi ſubſiſteret quoque inter gentes, quæ eadem obligatione erga ſe invicem tenentur, qua ſinguli ſibi invicem (§. 161. 162. *Jur. Gent.*). Totum igitur genus humanum eam felicitatem conſequeretur, quæ conjunctis viribus obtineri poterat, nemini ſcilicet id negligente, quod ad communem felicitatem conferre poterat. Quamobrem totum genus humauum foret felix, ſi unusquisque hominem quemcunque alium diligeret tanquam ſeipſum.

Vult Deus, homines eſſe felices (§. 706. *part.* 1. *Theol nat.*), ut ſint infelices velle nequit (§. 707. *part.* 1. *Theol nat.*). Vult vero etiam, ut & ſeipſos diligant (§. 607. *part.* 1 *Jur. nat.*) & alios tanquam ſeipſum (§. 618. *part.* 1. *Jur nat.*). Atque ideo patet, dilectionem univerſalem a Deo *præcipi*, ut totum genus humanum ſit felix. Amor univerſalis unire debet hominum animos, ut in mutuam felicitatem conſpirent. Et quoniam tam nosmetipſos (§. 53. *part.* 4. *Eth.*), quam ceteros homines omnes diligere debemus propter Deum (§. 63.), ideoque dilectionem tam ſui (§. 54. *part.* 4. *Eth.*), quam aliorum dirigere in eum finem, propter quem Deus hoc univerſum ipſumque hominem condidit (§. 64.); felicitatem totius humani generis a Deo ſerio intendi, nec aliud ejus medium dari, quam dilectionem univerſalem, manifeſtum eſt. Absque igitur eadem felicitas totius generis humani concipi nequit. Illa cum ſperanda non ſit, nec hanc ſperare licet. Non tamen propterea inutilis exiſtimari debet

debet propoſitio præſens. Etenim hinc intelligimus, ex parte Dei nihil deeſſe, quod ad promovendam felicitatem totius generis humani facere poſſit, ideoque infelicitatem omnem culpæ hominum imputandam eſſe. Et quamvis nemo efficere poſſit, ut homines in univerſum omnes utantur medio, quo communis totius generis humani felicitas promovetur; unusquisque tamen, qui officio ſuo deeſſe non vult, ſibi cavere diſcit, ne univerſalis dilectio in ſe deficiat, conſequenter ne ipſe quid ad infelicitatem aliorum ſive poſitivam, ſive privativam conferat, ut culpa ſua homines alii reddantur infelices, aut felicitate careant, qua frui poterant. Immo ſi ſerio expendamus, a quonam felicitas totius generis humani dependeat; plus in ea promovenda præſtari poſſe, quam putatur, deprehendemus. Diſcimus quoque hinc, amore univerſali animum noſtrum eſſe imbutum & nos revera diligere totum genus humanum, ſi in nobis deprehendamus ardorem homines omnes reddendi felices & vellemus, ut totum humanum genus felicitate perpetua fruatur, modo id fieri poſſet, impoſſibilitate non prævalente adverſus vota, cum virium defectus terminet equidem actionem, non vero voluntatem: in hoc vero caſu voluiſſe ſat eſt, nec propterea notatur defectus in virtute, quoniam nemo obligatur ultra id, quod in poteſtate ſua eſt (§. 176. *part. 1. Jur. nat.*). Sequitur etiam hinc, ut dilectionem univerſalem inculcare ſatis aliis nunquam poſſimus, ac præcipuum quoddam officium ſit eorum, qui educationi & formandis moribus aliorum præſunt, ipſorum animis dilectionem univerſalem inſinuare.

§. 84.

Cur totum genus humanum felix eſſe nequeat.

Quoniam totum genus humanum foret felix, ſi unusquisque hominem alium quemcunque diligeret tanquam ſeipſum (§. 83.); *dilectioni univerſali deficienti tribuendum, quod totum genus humanum felix eſſe nequeat.*

Conti-

Digitized by Google

Continuæ ſunt hominum de infelicitate querelæ. Quamvis vero non omnes ſint juſtæ, propterea quod veræ felicitatis notione diſtincta deſtituti ſtatum jucundum cum felicitate confundunt (§. 106. *part. 2. Eth.*); non tamen in totum injuſtæ ſunt, cum ea ſit hominum conditio, quæ multis modis impedit, quo minus vera felicitate fruantur, nec uno modo infelicitatis cauſa exiſtit. Contingit hinc, ut multi bonitatem Dei in dubium vocent, nec ſeriam Dei voluntatem de felicitate hominum, neque noluntatem de infelicitate ipſorum concipere valeant. Aſt qui hiſce dubitationum fluctibus immerguntur, animum non advertunt ad fontem omnis infelicitatis tam poſitivæ, quam privativæ in carentia felicitatis conſiſtentis. Vidimus dari medium, quo omnes homines reddi poſſent felices, ſi eodem uti vellent (§. 83.). Vidimus quoque Deum velle, ut eodem medio utamur (*not.* §. *cit.*). Immo vidimus, aliud medium non convenire fini a Deo per creationem intento, modo antea demonſtrata expenderimus, quemadmodum debemus, conſequenter cum finem hunc conſtituerit naturæ ſuæ convenienter, nec aliud medium felicitatis ordinare potuit. Accedit, quod nec aliud poſſibile ſit per ipſam naturam humanam, quemadmodum ex principiis ſyſtematis noſtri abunde conſtat. Sanctitatem igitur Dei agnoſcere ac prædicare debemus (§. 1063. *part. 1. Theol. nat.*), & accuſare homines, quod ipſimet ſint infelicitatis cauſa. Quæ indies cumulantur de temporis atrocitate & difficultate quærelæ, earum cauſa tandem in carentiam charitatis reſolvitur. Dura & aſpera tempora faciunt homines, qui de perſona ſibi impoſita recte gerenda parum ſolliciti ſunt, quo cupiditates ſuæ eos trahunt, & omne jus ſuum potentia metientes charitati nullum locum relinquunt.

§. 85.

Quoniam totum humanum genus foret felix, ſi unusquisque hominum quemlibet alium diligeret tanquam ſeip- *Quod dilectio univerſalis natura*

humanæ maxime conveniat.

ſum (§. 83.), deficienti autem dilectioni univerſali tribuendum, quod felix eſſe nequeat (§. 84.), attamen quilibet homo per naturam ſuam felicitatem appetit (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), infelicitatem averſatur (§. 325. *part. 2. Phil. pract. univ.*); *naturæ humanæ maxime convenit dilectio univerſalis*, conſequenter *qui naturæ humanæ convenienter, ideoque vitam hominis vivere decrevit, omnem animi contentionem adhibebit, ut alium quemcunque amare ac diligere diſcat tanquam ſeipſum.*

Qui vult finem, media etiam velit neceſſe eſt (§. 941. *Ontol.*). Nemo eſt, qui hoc in dubium vocare auſit, cum ſatis exploratum ſit, nos non poſſe conſequi finem ſine mediis. Felicitatem appetunt omnes; infelicitatem averſantur. Quamobrem qui felicitatem conſequi, infelicitatem vitare vult, uti etiam debet mediis. Ipſa natura, quæ appetitum felicitatis, averſationem infelicitatis homini indidit, amorem quoque ac dilectionem univerſalem conſtituit medium illam conſequendi, hanc vitandi, & Deus, qui homines felices eſſe vult, infelices ut ſint velle nequit, vult etiam ut hoc medio utamur. Aſt homines diſtincta veræ felicitatis notione deſtituti, dum ſtatum jucundum cum felicitate confundunt, dilectionem univerſalem medium felicitatis communis eſſe non agnoſcunt. Ex Jure naturæ, quod ex natura humana deducitur, ſi ejus nexum intime perſpicias, cognoſcitur, quænam naturæ humanæ conveniant, quænam diſconveniant. Defectui igitur ſcientiæ hujus juris tribuendum, quod non agnoſcatur, dilectionem univerſalem eſſe medium communis omnium hominum felicitatis, nec ea ſe hoc nomine omnibus commendet. Quoniam vero hæc ipſa naturæ humanæ maxime convenit, naturam humanam exuit, qui dilectionem univerſalem inſuper habet, aut prorſus contemnit. Quamvis itaque fieri non poſſit, ut omnes in univerſum homines ad dilectionem univerſalem adducantur; non tamen ideo ſibi vivendum ad ſimilitudinem eorum, qui vitam hominis

minis vivere nolunt. Tanto majori laudi ducitur vivere vitam hominis, quo plures fuerint, qui ab hoc tramite deflectunt. Non igitur eſt quod dubitemus convenientiam dilectionis univerſalis cum natura humana eſſe motivum efficax omnem animi contentionem adhibendi, ut alium quemcunque diligere tanquam ſeipſum diſcat, ſi quis vitam hominis vivere decreverit. Ad notitiam ſui quoque requiritur, ut nobis conſtet, ad quænam tanquam homines obligamur (§. 15. *part. 4. Eth.*). In ſe igitur noſcendo negligentes ſunt, qui ignorant convenientiam dilectionis univerſalis cum natura humana, nec eadem ſe ad diligendum hominem quemcunque tanquam ſeipſum commoveri patiuntur. Non neganda eſt motivorum efficacia, quam ipſis detrahit veri ignorantia.

§. 86.

De convenientia dilectionis inimicorum cum natura humana.

Cum naturæ humanæ maxime conveniat dilectio univerſalis, qua nimirum hominem quemcunque tanquam nosmetipſos diligimus (§. 85.), hæc vero ad ipſos quoque inimicos extendatur, quoniam alias non foret univerſalis, quod ſane implicat; *dilectio* quoque *inimicorum naturæ humanæ maxime convenit.* Unde porro conſequitur, ut ſicuti dilectionis univerſalis cum natura humana convenientia eſt motivum omnem animi contentionem adhibendi, ut alium quemcunque amare ac diligere diſcat tanquam ſeipſum, qui vitam hominis vivere decreverit, (§. *cit.*), *convenientia* quoque *dilectionis inimicorum cum natura humana* ſit *motivum omnem animi contentionem adhibendi, ut inimicos tanquam ſeipſum diligere diſcat, ſi quis vitam hominis vivere decreverit.*

Equidem non deſunt, qui contendunt, naturæ humanæ nihil magis repugnare, quam amorem & dilectionem inimicorum; eorum tamen ſententia propoſitioni a nobis demon-

Digitized by Google

ſtratæ minime contradicit: naturam enim ſumunt, non qualis in ſe eſt, & ad autorem Deum originem ſuam refert, ſed quatenus pravis cupiditatibus corrupta, aut ipſas haſce cupiditates, quas ignorantia & error peperit, naturæ nomine compellant. Repugnantia igitur adverſus dilectionem inimicorum, quam in ſe experiuntur homines, & quæ eandem arduam atque difficilem reddit, non naturæ humanæ, ſed ejus depravationi tribuenda. Homo a brutis ratione potiſſimum differt & quo magis ſe rationalem probat, eo excellentius hominis dignitatem tuetur. Vita rationi & vita naturæ humanæ conveniens iisdem regulis continetur (§. 57. *part. 2. Phil. pract. univ.*), nec a ſeinvicem differunt. Dilectio itaque inimicorum ſicuti naturæ humanæ, ita etiam rationi maxime convenit, ita ut ſe maxime rationalem probet, qui inimicos diligit. Ipſa ſane ratio nos docet convenientiam dilectionis inimicorum cum natura humana, quam niſi beneficio rationis perſpicere minime poſſumus. Quicquid enim demonſtratur, id rationi conforme eſt (§. 486. *Pſych. empir.*) & beneficio rationis cognoſcitur (§. 483. *Pſych. empir.*). Qui contra rationem declamant, aut odium inimicorum eidem conforme pronunciant, aut ſaltem dilectionem eorumdem rationi minime probari contendunt. Enimvero nemo eſt qui neſciat, declamatores iſtos diſtinctam & determinatam notionem rationis non habere, & quando contra rationem declamant vocabulum non ſumere in eo ſignificatu, quem ipſi vindicavimus (§. 483. *Pſych. empir.*) & communi uſui loquendi conformem oſtendimus (§. 484. *Pſych. rat.*), ſed nunc hoc, nunc aliud, prout fert occaſio, rationis nomine compellare, ut, ſi mentem ipſorum diſtincte explicaveris, vera quidem dicant ſuo ſenſu, minime autem quod aſſerto noſtro contradicit. Qui dilectionem aliorum ſecundum rationem determinat, eam ad inimicos neceſſario extendit. Immo dilectio aliorum, niſi rationi vim inferre velis, absque extenſione ad inimicos ne quidem concipi poteſt (§. 63. 72.). Si dilectio aliorum rationalis eſſe debet, neceſſe eſt ut cum nexu omnium veritatum univerſalium conſentiat

Digitized by Google

tiat (§. 485. *Pſych. empir.* & §. 257. *Part, 1. Theol. nat.*), ſicque per modum partis in mundo rationali contineatur, quemadmodum quodlibet factum naturæ in ſerie rerum, quæ mundum ſenſibilem conſtituit (§. 48. *Coſmol.*) & cui mundus rationalis immerſus eſt (§. 260. *part. 1. Theol. nat.*), continetur. Cohærere igitur quoque debet cum fine totius univerſi (§. 63. 64.), quo ipſo ad hominem quemcunque (§. 71.), ipſum etiam inimicum extenditur (§. 72.), & naturæ humanæ ex aſſe conformis efficitur (§. 85. & *præſ.*). Cui ea, ad quæ hic provocamus, ſatis perſpecta ſunt, obſervata demonſtrationum analyſi ad convictionem neceſſaria (§. 991. *Log.*), ei nihil obſcuritatis circa dilectionem univerſalem ſupererit, notio vero ejusdem erit quantum ſufficit adæquata. Vides itaque defectui rationis tribuendum eſſe, ſi quis convenientiam dilectionis inimicorum cum natura humana non agnoſcit, nec hanc intimius perſpicit.

§. 87.

Quod dilectio univerſalis ad felicitatem noſtram faciat.

Dilectio univerſalis facit ad felicitatem noſtram. Quoniam homines omnes diligere debemus tanquam nosmet ipſos propter Deum (§. 63.), conſequenter dilectionem aliorum dirigere in finem totius univerſi, propter quem Deus hoc univerſum & nos ipſos condidit, ut quatenus libere agimus ſimus ſpeculum perfectionum divinarum, quemadmodum una cum creaturis ceteris ſumus propter perfectionem eſſentialem (§. 64.), in aptitudine autem repræſentandi perfectionem Dei ſummam conſiſtit perfectio hominis accidentalis (§. 917. 912. *part. 1. Theol. nat.*), ad quam tendere debent omnes ipſius actiones (§. 905. *part. 1. Theol. nat.*), ut ad perfectionem totius univerſi dirigantur (§. 920. *part. 1. Theol. nat.*); qui homines omnes tanquam ſeipſum diligit, perfectionis ſuæ ſibi conſcius eſt, conſequenter animus voluptate perfunditur (§. 511. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque

 dilectio

dilectio univerſalis veram voluptatem nobis creat, quicquid vero voluptatem veram nobis creat id ad felicitatem noſtram quidpiam confert (§. 638. *Pſych. empir.*); dilectio univerſalis ad felicitatem noſtram facit.

Perfectio noſtra ad ſummum gradum evehitur, ubi eam ex aptitudine repræſentandi perfectionem Dei ſummam æſtimamus. Tum enim intime perſpicitur, & ultimum acquirit complementum. Quamobrem cum eo major ſit voluptas, quo major fuerit perfectio (§. 516. *Pſych. empir.*); voluptas, quam dilectio univerſalis, rectitudine ſua minime deſtituta, creat, ſumma eſt, conſequenter cum a gradu voluptatis dependeat gradus felicitatis (§. 107. *part. 2. Eth.*), dilectio univerſalis ad felicitatem noſtram plurimum confert. Qui voluptatem hanc experti ſunt, eos facile habiturus ſum conſentientes. Si qui vero de eo, quod experti non ſunt, judicium ſibi ſumere audent & non tam nobis, quam veritati contradicunt, illorum judicium merito contemnendum. Dolendum vero eſt, tam paucos eſſe, qui agnoſcunt, quantum dilectio univerſalis ad felicitatem noſtram faciat.

§. 88.

Dilectio itidem inimicorum.

Cum dilectio univerſalis ad felicitatem noſtram faciat (§. 87.), ea autem ad inimicos extendatur (§. 632. *part. 1. Jur. nat.*); *inimicorum* quoque *dilectio ad felicitatem noſtram facit.*

Quoniam dilectio univerſalis ad felicitatem noſtram facit, quatenus nobis ſumus vi ejuſdem perfectionis noſtræ conſcii, per demonſtrationem propoſitionis præcedentis (§. 87.), ex dilectione inimicorum autem intelligimus, dilectionem univerſalem omni labe carere (§. 79.), & perfectionis noſtræ per eandem maxime convincimur (§. 77. 78.); ideo manifeſtum eſt, dilectionem inimicorum non eſſe acerbam, ſed dul-

dulciſſimam, modo eam intime perſpiciamus. Felicitati ſuæ adverſatur, qui inimicos odit, cum ſe privet voluptate amœniſſima & puriſſima, quæ adverſus plurimas moleſtias animum tuetur.

§. 89.

Motivum dilectionis universalis & inprimis inimicorum.

Quoniam dilectio univerſalis (§. 87.), ideoque etiam dilectio inimicorum ad felicitatem noſtram facit (§. 88.), homo autem per naturam ſuam felicitatem appetit (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*); *ſi quis veræ felicitatis notionem & dilectionis univerſalis ad ipſos inimicos extenſæ ſatis adæquatam notionem habet, ei motivum dilectionis univerſalis & ipſorum inprimis inimicorum eſt, quod ad felicitatem noſtram plurimum faciat* & ex adverſo, *ſi quis inimicos nondum diligere didicit, aut veræ felicitatis notionem nullam habet, aut dilectionis inimicorum non ſatis adæquatam, aut ignorantia utriusque laborat.*

Vix opus eſſe judico, ut moneam, nos ſupponere cognitionem vivam & felicitatis, & dilectionis omnium hominum, inprimis inimicorum, ad quam ducunt demonſtrationes præcedentes: neque enim alia cognitio in appetitum influit (§. 244 *part. 2. Phil. pract. univ.*). Cum pauci ſint, qui cognitionem vivam utriusque habent; ideo non eſt quod miremur, motivi, quod hic commendamus, efficaciam perpaucos experiri.

§. 90.

Dilectionem univerſalem & inimicorum a natura nobis commendari.

Similiter quia dilectio univerſalis (§. 87.), atque inprimis dilectio inimicorum ad felicitatem noſtram facit (§. 88.), per naturam vero noſtram felicitatem appetimus (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*); *natura homini ſua dilectionem univerſalem, ac inprimis dilectionem inimicorum commendat.*

Quoniam

Quoniam nihil appetimus, niſi quatenus voluptatem ex eo percipimus (§. 165. *part.* 2. *Eth.*); natura quoque noſtra nobis dilectionem univerſalem & in ſpecie dilectionem inimicorum aliter commendare nequit, quam quod voluptatis veræ perceptionem cum ea conjunxit, conſequenter quatenus felicitatis veræ creatricem fecit. Non eſt quod excipias, eodem modo dicendum eſſe, quod natura nobis commendet odium inimicorum, cum vindictæ cupido cum voluptate conjuncta ſit. Etenim quod non venit niſi a non uſu & abuſu facultatum noſtrarum, id non tribuendum eſt naturæ. Appetitus regendus ab intellectu, qui verum a falſo dividit, & a quo is dependens eſt. Quod igitur erroribus tuis pravas cupiditates concitantibus debetur naturæ humanæ perperam adſcribitur. Naturam humanam a natura brutorum rationalitas dividit. Quicquid ergo rationi adverſatur, id non a natura humana deducendum. Vulgo hoc agnoſcitur, quando homines, quorum actiones rationi manifeſto contrariantur, cum brutis comparant, immo brutorum nomine compellant, quaſi naturam humanam exuerint & brutorum naturam induerint. Qualis ſit natura humana, ex parte ſecunda Ethicæ diſcimus, unde etiam conſtat, quomodo ea depravetur non in ſe, ſed quoad facultatum, per quas concipitur, uſum. Natura in ſe ſpectata, qualis in ideis divinis continetur, mala non eſt, nec malum nobis commendat: determinationes facultatum naturales per ſe ad bonum tendunt, non uſu autem & abuſu gignuntur opiniones falſæ, quibus voluntas & noluntas corrumpitur, & appetitus ſenſitivus atque averſatio in malam partem trahitur, ut homo ſecundum deſideria erroris corrumpatur *Eph.* IV. 22. Aſt cum hæc omnia ſatis perſpecta ſint ei, qui in expendendis demonſtrationibus in parte ſecunda Ethicæ datis induſtriam ſuam deſiderari paſſus non eſt; ut hiſce diutius immoremur neceſſe non eſt. Da operam, ut cognoſcas dilectionem univerſalem, quæ dilectionem inimicorum continet, qualem demonſtravimus & qualis revera eſt, nec ullus dubito fo-

to fore, ut in te ipſo experiaris, quomodo tibi eandem natura tua commendet. Ceterum uſui hic ſunt, quæ de differentia perfectionis eſſentialis & accidentalis hominis demonſtravimus (§. 912. & *not.* §. 920. *part. 1. Theol. nat.*). Natura humana æſtimanda eſt ex determinationibus eſſentialibus, quarum vi homo tanquam creatura Dei perfectus eſt; corruptio vero ex determinationibus accidentalibus, quæ tendentiam illarum pervertunt & hominem imperfectioni obnoxium reddunt, ut natura humana in animalem, immo hac pejorem verti videatur, etſi in ſe non mutetur, quatenus facultates naturaliter homini inſunt per modum potentiæ, non vero per modum actus, quemadmodum in Deo (§. 163. 356. *part. 1. Theol. nat.*).

§. 91.

Cur Deus dilectionem præcipiat, odium prohibeat.

Denique quia dilectio univerſalis (§. 87.), ac inprimis dilectio inimicorum ad felicitatem noſtram facit (§. 88.), Deus autem vult ut homines ſint felices (§. 706. *part. 1. Theol. nat.*), ut ſint infelices velle nequit (§. 707. *part. 1. Theol. nat.*); *dilectionem omnium hominum* (§. 618. *part. 1. Jur. nat.*), *ipſorumque inimicorum præcipit* (§. 632. *part. 1. Jur. nat.*), *odium vero prohibet* (§. 624. 632. *part. 1. Jur. nat.*), *ut conſulat felicitati noſtræ & adverſus infelicitatem nos tueatur.*

Præceptio dilectionis univerſalis & in ſpecie inimicorum atque prohibitio odii cum deſideratione felicitatis indivulſo nexu cohæret tanquam medium cum fine (§. 941. *Ontol.*), ut Deus dilectionem omnium in univerſum hominum ipſorumque inimicorum præcipiens, odium prohibens ſe amantiſſimum generis humani probet, ſicque amor Dei, quo nos complectitur, ad dilectionem univerſalem ac inprimis inimicorum nos invitet atque obedientiam jucundam præſtet. Quemadmodum in genere oſtendimus, Deum legislatorem induere perſonam patris ſaluti liberorum ſuorum præceptis

ac prohibitionibus ſuis conſulere ſtudentis, (§. 189. *part. 3. Eth.*); ita nec eam perſonam mutat, dum dilectionem hominum in univerſum omnium ipſorumque inimicorum præcipit, odium prohibet, & quod in genere de præceptis & prohibitionibus divinis demonſtravimus, idem nunc quoque in ſpecie independenter a demonſtratione generali de præceptione dilectionis univerſalis & inprimis etiam inimicorum atque prohibitione odii luculenter conſtat. Dolendum vero tam paucos eſſe, qui veritatem tanti momenti intime perſpiciunt, ut dum felicitatem avide inhiant, tantopere ſibimetipſi contrarientur, dum dilectionem univerſalem turpiter negligunt, & odio inimicorum indulgentes non modo eximia felicitatis parte ſeſe privent, verum etiam animum multiplici moleſtia torqueant, a qua liberi eſſe poterant. Ego, qui genus humanum amo, nihil magis in votis habeo, quam ut ab omnibus ſerio perpendantur, quæ de dilectione aliorum demonſtrata ſunt, ut eam medium felicitatis non ſolum communis, ſed & domeſticæ agnoſcant, & rationi, cui lege naturæ ſubjecti ſunt, obſequantur, ſicque dignitatem naturæ humanæ, quam ratio ultra ſortem animalium brutorum evehit, tueantur, minime autem proſtituant.

§. 92.

Adjumentum dilectionis univerſalis.

Ad dilectionem univerſalem plurimum conducit animum attendere ad bona, quibus alii quicunque imbuti ſunt, & ad eadem ab omni alia cogitatione traducere. Quodſi enim nobis repræſentamus bonum, quod alteri ineſt, amor oritur (§. 646. *Pſych. empir.*). Quamobrem ſi adſueſcamus animum attendere ad bona, quibus alii quicunque imbuti ſunt; amor eorum in nobis concitatur. Et ſi ad eadem animum ab omni alia cogitatione avocamus, verendum non eſt, ne affectibus contrariis concitatis extingvatur, aut ne iidem obſtent, quo minus is oriatur (§. 440. *part. 2. Eth.*). Hoc igitur modo ad-

Digitized by Google

ſueſcimus amare alios nullo habito ad ſe reſpectu. Cum amor tendat ad promovendam felicitatem & depellendam infelicitatem amati (§. 292. *part. 2. Eth.*); voluntas quoque diſponitur ad felicitatem ipſius promovendam, conſequenter cum in hac voluntate dilectio conſiſtat (§. 617. *part. 1. Jur. nat.*), eum diligimus, cujus bono delectamur. Ad dilectionem itaque univerſalem conducit animum attendere ad bona, quibus alii quicunque imbuti ſunt, & ad eadem ab omni alia cogitatione traducere.

Diſtingvimus adjumentum a medio. Medium ſufficit ad finem conſequendum (§. 937. *Ontol.*); adjumentum vero ſaltem prodeſt ad eum conſequendum, etſi ſolum non ſufficiat: id quod non uno modo fieri poteſt pro varietate circumſtantiarum. In praxi morali plurimum refert juxta media uti adjumentis, tum ut habitus morales facilius conſequamur, tum ut eos conſervemus & perficiamus atque emendemus, tum ut præcaveamus, ne in caſibus emergentibus contra eos agamus. Dilectio univerſalis in diligendo non ſupponit niſi communem humanitatem: neque enim alium quemcunque diligere debemus, quam quia homo eſt, ita ut ſola humanitas eum reddat amore ac dilectione dignum. Humanitatis conſideratio ſola ut amorem concitet ac inde dilectio derivetur, intimiorem ejus cognitionem requirit, quæ pauciſſimorum eſt, immo de qua vix ullus cogitat, quemadmodum ex anterioribus abunde conſtat, modo omnia, quæ a nobis demonſtrata & expoſita ſunt, ſatis ponderentur. Accedit, quod præter humanitatem alia multa in hominibus obſerventur, quorum conſideratio fortius movet appetitum & averſationem, ut ab amore & dilectione avocetur animus. Quamobrem conſultum eſt, ut nobis repræſentemus bona tam animi, quam corporis, quibus alii imbuti ſunt, ſicque amorem concitemus, quando de communi humanitate cogitandi occaſio deeſt, aut ea appetitum parum movet. Natura nemini

mini adeo noverca eſt, ut nihil prorſus boni in eum contulerit, nec quisquam adeo malus eſt, ut nihil prorſus boni acquiſiverit, immo ex ipſis actionibus hominum malis haud raro elucent egregiæ dotes naturales, quas in abuſum vertunt. Hæc igitur bona, ſi rite expendantur, homines alios commendant amori noſtro, quem lex naturæ humanitati ſubjecit. Bona naturalia cum referenda ſint ad Deum tanquam autorem naturæ ac datorem omnis boni; ecquis indignum eum judicabit, ut in ipſum bona pro viribus noſtris conferamus, in quem Deus bona conferre voluit? Hoc itaque modo adſueſcimus hominem quemcunque amore noſtro dignum habere: quod plurimum ad amorem & dilectionem univerſalem conferre, non eſt quod dubitemus. Patet hinc adjumentum, quod hic commendamus, majorem vim acquirere, ſi accedat ardor imitandi Deum (§. 77.), qui & ipſe conſideratione iſta excitari & ubi jam adfuerit ſuſtentari poteſt. Neque vero opus eſt, ut de concurſu eorum, quæ vel in conſiderationem præſentem, vel cum ipſa in appetitum ſimul influunt, multum ſimus ſolliciti: modo enim iis ſtudeamus, quæ paſſim inculcantur, nobis non cogitantibus ad actum animæ præſentem ſua veluti ſponte concurrunt, cum ea ſit natura animæ, ut ſtatus præteriti influant in præſentem prout fert facultatum uſus certis legibus ſubjectus. Velim hæc perpendant, qui de praxi morali, quam tradimus, judicium ferre volunt, ne eam ultra vires humanas extendi ſibi perſuadeant. Quodſi iis, quæ præcipiuntur, ſedulam operam navaremus, majorem utilitatem omnium experiremur, quam quæ oſtendi poteſt vi præſentis inſtituti, & multa facilia deprehenderentur, quæ pro nimis difficilibus, immo pro impoſſibilibus habentur.

§. 93.

Quidnam ad uſum ejus requiratur.

Quoniam ad dilectionem univerſalem plurimum conducit animum attendere ad bona, quibus alii imbuti ſunt (§. 92.),

(§. 92.), bona vero tam animi, quam corporis ipſa natura homini largitur, & bona, ſive natura inſint, ſive ſtudio acquiſita rectius æſtimantur, ſi ea, quibus caremus, ad nos referantur, & tanquam nobis inexiſtentia conſiderentur, ac præterea ex ipſis hominum actionibus malis elucent haud raro egregiæ dotes naturales, ac habitus quidam acquiſiti, quos in abuſum trahunt; *qui dilectionem univerſalem conſideratione boni, quo alii imbuti ſunt, adjuvare voluerit, operam dare debet, ut non modo vera bona ab apparentibus diſcernere poſſit, verum etiam bona naturalia agnoſcere diſcat (§. 9. part. 4. Eth.), & ut dotes naturales, quarum abuſus in actionibus malis conſpicuus, eruere vacat, quæque in aliis deprehendit bona ad ſe referre adſueſcat probe perpendens, qualis foret ſtatus ſuus, ſi iisdem gauderet.*

Quæ hic inculcantur, ad noſcentiam ſui ipſius requiruntur. Quodſi ergo quis notitiæ ſuæ vacaverit, quemadmodum debet, ei notitia ſui multum otii faciet in noſcentia aliorum, quatenus ad amorem & dilectionem univerſalem conducit. Homini naturale eſt, ut velit ab aliis amari propter bona, quæ ſibi ſunt. Nonne igitur æquiſſimum exiſtimandum, ut alios etiam amet propter bona, quæ ipſis ſunt? Quamvis vero noſcentia aliorum non minus ad notitiam ſui, quam ad dilectionem univerſalem requiratur, non tamen utrobique idem intenditur. Etenim dum nos ex aliis noſcere ſtudemus, id potiſſimum intenditur, ut diſcamus, quantum in bono profecerimus, quantum adhuc deficiamus, quidque nobis mali adhuc inhæreat, quod emendandum, & ut habeamus exempla imitandorum atque fugiendorum: quando vero dilectionis univerſalis cauſa conſideramus bona, quæ aliis inſunt, amorem citra ullum ad nos reſpectum, nec attento reſpectu perſonæ concitare intendimus. Quamobrem in caſu priore animus advertitur non minus ad bona, quam ad mala, & inprimis ad ea, quæ non ſine ſtudio acquiſita; in poſteriore autem ſaltem ad bona, ſive naturalia, ſive acquiſita fuerint,

qua de cauſa etiam bonum dividimus a malo in ipſis actionibus malis, animum avocantes ab abuſu, in quod tractum eſt bonum. Quodſi vero quis ex aliis ſe noſcere ſtuduit, is jam contraxit conſuetudinem obſervandi bona, quæ inſunt aliis, ut non demum dilectionis cauſa his obſervationibus aſſueſcere teneatur, ſed obſervata ſaltem attenta mente perpendere. Unum idemque in moralibus ad diverſa conducit, eo tamen utendum non eſt eodem modo.

§. 94.

Cauſa dilectionis univerſalis & inimicorum deficientis.

Deficientis dilectionis univerſalis ac inprimis inimicorum cauſa eſt carentia notionis ſatis adæquatæ. Qui enim dilectionis univerſalis ac inprimis inimicorum notionem non ſatis adæquatam habet; ignorat, quod homines diligere debeat propter Deum (§. 63.) & quod eos diligendo propter Deum ad finem, propter quem is hoc univerſum ipſumque hominem condidit, conferat, quantum debet (§. 68.), perſonam ſibi a Deo per creationem impoſitam recte gerens (§. 69.), Deumque imitans (§. 77.), neque etiam novit, dilectionem univerſalem ac inprimis inimicorum facere ad felicitatem noſtram (§. 87. 88.), & charitatem, quæ in habitu diligendi conſiſtit (§. 620. *part. 1. Jur. nat.*), magnam perfectionis noſtræ partem abſolvere (*not.* §. 68.), Deumque dilectionem præcepiſſe, odium prohibuiſſe, ut conſulat felicitati noſtræ & adverſus infelicitatem nos tueatur (§. 91.). Horum igitur cum nulla cogitatio ſubeat mentem ipſius, dilectionem reſtringit ad ſolas actiones externas, quibus ſe utilem præbet aliis, conſequenter ſibi perſuadet, alterius ſaltem intereſſe, ut ipſum diligat, ſi nihil viciſſim ab eo expectet, ſua parum referre, utrum eum diligat, nec ne, immo ubi deſunt vires, vel deeſt occaſio ſe utilem præbendi alteri, perinde eſſe, utrum eum amet, an indifferente erga ipſum ſit animo.

Hanc

Digitized by Google

Hanc vero opinionem impedire, quo minus dilectioni univerſali, præſertim inimicorum, aſſueſcamus, haud obſcure intelligitur. Patet itaque dilectionem univerſalem ac inprimis inimicorum deficere, propterea quod notione ſatis adæquata ejusdem careant homines.

Si ignoratur, qualis revera ſit dilectio univerſalis, quæ ad homines omnes promiſcue ipſosque inimicos extenditur; non eſt quod miremur, ſi ſtudium dilectionis univerſalis ac inprimis inimicorum negligitur, nec pulchritudine hujus virtutis capiuntur, qui eam perſpicere nequeunt. Quamobrem cum nemo eorum, quæ hactenus demonſtravimus, gnarus in dubium vocare poſſit, pleroſque omnes ignorare, qualis revera ſit ac eſſe debeat dilectio univerſalis; quam rara admodum eſſe debeat, ſatis manifeſtum eſt. Sane plerique ſibi videntur amare alios, ſi non habeant animum ipſis nocendi, nec eorum damno delectentur animum indifferentem cum amore confundentes (§. 629. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque non agnoſcunt, legi naturæ repugnare, ut indifferenti erga alios animo ſimus (§. 630. *part. 1. Jur. nat.*). Ac propterea quoque ipſis durum videtur amare ac diligere inimicos, ita ut facile ſibi perſuadeant, amorem inimicorum rationi eſſe impervium, a *Chriſto* autem præcipi ſuis, tanquam medium exercendi patientiam.

§. 95.

Quomodo impedimentum iſtud tollatur.

Quoniam deficientis dilectionis univerſalis ac inprimis inimicorum cauſa eſt carentia notionis ſatis adæquatæ (§. 94.); *quæ de dilectione omnium hominum ipſorumque inimicorum demonſtrata ſunt, probe expendenda, & ab ineunte ætate ab iis, qui aliorum mores formare debent, ſedulo inculcanda, nec unquam ſatis urgeri poſſunt.*

Satis

Digitized by Google

Satis exploratum eſt, ad notionem rei pertinere omnia, quæ de eadem cognoſci poſſunt. Quodſi ergo adæquata eſſe debet, neceſſe eſt, ut non modo horum omnium notiones diſtinctas habeamus, verum etiam plenarie convicti ſimus, conſequenter cum ad hoc requiratur, quod de analyſi demonſtrationum oſtendimus (§. 992. *Log.*), quam ardua & difficilis ſit ſatis adæquata dilectionis univerſalis notio manifeſtum eſt. Quoniam vero non omnium eſt rationis lumine colluſtrari, omnium tamen intereſt, ut quomodo homines in univerſum omnes ipſosque inimicos diligere debeant non ignorent & ejus pulchritudinem atque utilitatem agnoſcant; ſcientiæ defectus reductione eorum, quæ demonſtravimus, ad ſenſum communem ſupplendus (§. 422. *part. 1. Eth.*). Plurimum peccatur ab iis, qui educationi puerorum præſunt, quod officiorum non ſatis diſtinctas notiones & quantum datur adæquatas tenellis animis inſinuent, antequam depravetur cupiditatibus perverſis voluntas. Hujus autem peccati quoque rei ſunt, quod genuinam dilectionis univerſalis ad ipſos inimicos extenſæ notionem iisdem ingignere negligant. Difficulter autem hoc ipſum fieri poteſt, ubi voluntas jam fuerit depravata, ut multi errores tacite influant in appetitum & averſationem, & cupiditates dilectioni univerſali atque inprimis inimicorum adverſæ, præſertim cum adulti mores ſuos ipſimet emendare teneantur, non vero iisdem formandis incumbant alii, qui ſaltem ipſos ſaniora docere & ut ſequantur, relictis deterioribus, adhortari poſſunt. Si vel maxime enim efficiant, ut meliora videant, quæ tamen plerumque ipſis difficulter perſuadentur, præſertim ſi non opinione, ſed ad veritatem ſint perſuadenda, deteriora tamen ſequi malunt.

§. 96.

De opinione indignitatis impedimento dilectionis.

Si quis alterum dilectione indignum judicat, eum diligere nequit. Qui enim alterum diligit, ad officium quodcunque ipſi præſtandum paratus eſt (§. 59.). Quodſi ergo quis alterum

Digitized by Google

terum dilectione indignum judicat; eum non mereri exiſtimat, ut officium quoddam ipſi præſtetur. Quamobrem cum non habeat animum ad perfectionem & per conſequens ad felicitatem ejus conferendi, quantum poteſt (§. 655. *part. 1. Jur. nat.*), qui vero alterum diligit, perfectionem ejus atque ſtatus ipſius, & per conſequens felicitatem (§. 652. *part. 1. Jur. nat.*), promovere pro virili ſtudeat (§. 37.); ſi quis alterum dilectione indignum judicat, eum diligere nequit.

Inter impedimenta amoris atque dilectionis recenſenda eſt opinio, qua eos, qui ope ac auxilio, vel conſilio noſtro indigent, indignos judicamus, quibus officium quoddam præſtetur. Videmus enim indies officia humanitatis denegari ea de cauſa, quod petentes non mereri exiſtimetur, ut officium, quo indigent, ipſis præſtetur. Immo videmus, hanc denegationis rationem etiam allegari ab iis, qui ſibi videntur alios amare ac diligere tanquam ſeipſum, nec habent animum ab amore ac dilectione univerſali alienum, quamdiu non adeſt occaſio certæ cuidam perſonæ inſerviendi, ſed de aliorum perfectione promovenda & felicitate eorundem ſaltem in genere cogitatur. Hi igitur legem dilectionis limitant, ut alios diligendos eſſe opinentur, ſi mereantur, conſequenter quoties officium quoddam alicui præſtandum, ſe ſatis excuſatos arbitrantur, ſi quam allegare poſſint rationem, ob quam non mereri videatur, cur ipſi præſtetur, veluti quod ſit malus, vel quod nos quocunque modo læſerit, aut lædat alios. Notandum vero eſt, nos in propoſitione præſente ſumere, alterum indignum judicari dilectione; non vero, quod indignus judicetur officio humanitatis, quod petit. Dantur enim utique rationes ſufficientes, cur petenti officium denegetur, quia id non meretur, ſalva dilectione, quemadmodum mox demonſtraturi ſumus. Qui vero in confuſis notionibus acquieſcunt, nec ſatis a ſe invicem diſtingvunt, quæ diverſa ſunt; confundere quoque hæc duo ſolent,

lent, utrum aliquis indignus cenſeatur officio aliquo, quod petit, an dilectione, propterea quod nec officium æſtimant, quemadmodum debent, cum unus idemque actus externus nunc officium eſſe poſſit, nunc ſaltem ſpeciem ejus mentiatur, nec dilectionem a præſtatione, quæ officii rationem habere poteſt, diſcernunt, quemadmodum lex naturæ jubet. Notiones confuſæ, eædemque vagæ, nec ſatis determinatæ, multas aberrationes in praxi pariunt, & veritatem ſatis perſpicue exprimendi difficultatem ſæpiſſime faceſſunt. Multa igitur circumſpectione opus eſt, ne quæ vera ſunt in dubitationem adducantur, & ne ad ea exceptiones adſcribantur & addantur, cum rite intellecta exceptionem non admittant. Ab hac præcipitantia ſibi facile cavebit, qui veritatis cupidus animum diſcendi affert, non vero carpendi.

§. 97.

Quomodo impedimentum iſtud tollatur.

Quoniam alterum diligere nequit, qui eum dilectione indignum judicat (§. 96.), lege tamen naturæ præcipitur, ut alium quemcunque, ipſum etiam inimicum (§. 632. *part. 1. Jur. nat.*), diligamus tanquam nos ipſos (§. 618. *part. 1. Jur. nat.*), cumque lex naturæ ſit immutabilis (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nec ab obligatione connata, qualis eſt naturalis (§. 34. *part. 1. Jur. nat.* & §. 129. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nullo modo liberari poſſimus (§. 68. *part. 1. Jur. nat.*), ad legem naturæ nullam exceptionem adſcribere atque addere licet; *ne falſa opinio, quaſi diligendus non ſit, qui dilectione indignus cenſetur, dilectioni univerſali* & per conſequens *inimicorum impedimento ſit, neceſſe eſt, ut* per ea, quæ demonſtrata ſunt, *dilectionem univerſalem intimius perſpicere diſcamus, ac inprimis ponderemus, quod alios diligere debeamus propter Deum* (§. 63.) *& quid ſibi velit dilectio propter Deum* (§. 64.), *quod in dilectione propter Deum non attendantur facta mala alterius, quæ improbantur meri-*

meritoque odio habentur, ad perſonam tamen non extendendo (§. 81. 82.) *& quod dilectione inimicorum Deum imitemur* (§. 78.): *id quod etiam de hominibus malis intelligitur, etſi nos minime læſerint* (*not.* §. *cit.*).

Quodſi quis ea, ad quæ hic provocamus, recte perpendit, haud difficulter intelliget, neminem dilectione indignum judicari poſſe, ut legi naturæ dilectionem aliorum præcipienti ſatisfeciſſe nobis videamur, ſi indifferente erga ipſos fuerimus animo, & modo iis non noceamus, opem tamen ferre, qua indigent, negligamus. Quoniam vero innumeræ ſunt rationes, ob quas hic vel iſte dilectione indignus habetur; in caſu particulari expendendæ quoque ſunt rationes particulares, quæ tales eſſe poſſunt, ut, ſi vel maxime quis dilectione indignus eſſe poſſit, eædem tamen non ſufficerent ad ſe dilectione indignum reddendum. Accedit, quod generalia non præcipiantur eo fine, ut in caſu particulari nonniſi ea ſint urgenda, ſed potius ut ad ſpecialia, quæ offeruntur, ſint applicanda. Generalia non magnæ ſunt efficaciæ, ubi appetitus vel averſatio movetur rationibus particularibus in contrarium, & rationes particulares, attentionem omnem in ſe trahentes, non ſolum influxui generalium in appetitum vim ſuam detrahunt, verum etiam veritati generalium evidentiam, qua nititur aſſenſus. Probe hæc notanda ſunt, ne veritatem in dubitationem adducamus, dum circumſtantiis particularibus in caſu emergente confundimur, nec generalia inutiliter didiciſſe videamur. Ceterum ex propoſitione præſente luculenter apparet neceſſitas ab ineunte ætate veram dilectionis univerſalis notionem tenellis educandorum animis inſinuandi eandemque in ætate adulta continuo fovendi.

§. 98.

Dilectioni univerſali minime repugnat, ſi petenti officium denegamus, quod præſtare non poteramus niſi cum neglectu officii cu- *Quando denegatio officii*

vero quarta poterat reduci ad colliſionem officiorum erga ſeipſum & erga alios.

Facile patet, quod de officio petenti denegato demonſtratur, idem valere de ejus omiſſione, occaſione præſtandi oblata: id quod ideo notandum, quia etiam non petentibus inſervire pro virili aliis tenemur, neque enim obligatio dependet a precibus alterius, cum ab his independenter demonſtretur. Me autem vel tacente patet, ſermonem hic eſſe de officio, conſequenter de actione legi naturæ conformi (§. 225. *part. 1. Phil. pract. univ.*), minime autem de actione legi naturæ contraria, quæ inter officia locum nullum obtinet. Cum nemo facere debeat, quod legi naturæ repugnat; abſurda omnino foret quæſtio, num dilectioni univerſali repugnet illicitum petenti denegare, quod petit. Notandum vero eſt, ſi alter petit, quod juxta legem naturæ ipſi recte denegatur, id ſemper induere formam illiciti. Manet ſalva voluntas alterius felicitatem promovendi, in qua dilectio conſiſtit (§. 617. *part. 1. Jur. nat.*), etiamſi petenti deneges, quod petit, ne committas, quod propter circumſtantias præſentes illicitum efficitur, etſi in ſe ſpectatum foret debitum. Colliſio enim officiorum, quæ evitari nequit, quod in ſe ſpectatum foret debitum, ob circumſtantias in caſu emergente in illicitum convertit. Ita minus recte faceret, qui daret eſurienti panem, nec ipſe deinceps haberet, quo ſtomachi latrantis deſideria expleret, aut qui eleemoſyna alterius ignaviam aleret, qua ſuccurrere poterat iis, quos vel deficiunt vires laborandi, vel occaſio, ſi vel maxime laborare vellent. Ceterum non opus eſſe judicamus, ut partes ſingulas propoſitionis exemplis illuſtremus. Nihil enim obſcuritatis in iis remanet, modo notentur, quæ modo monuimus. Dilectio univerſalis aliud meritum non ſupponit, quam indigentiam (§. 667. *part. 1. Jur. nat.*), quæ ratio eſt, cur conjunctis viribus perfectionem ſuam promovere obligentur homines (§. 220. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamvis vero in caſu dubio judi-

Digitized by Google

judicium de indigentia ſit petentis (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*); in caſu tamen manifeſto præſtantis quoque eſt, cum in præſtatione habenda ſit ratio indigentiæ (§. 608. *part. 1. Jur. nat.*). Difficile videtur judicium, utrum officium aliquod ſalva dilectione univerſali denegetur, nec ne. Enimvero ſi quis noverit, quænam ſint officia aliis debita, & quomodo exceptio in caſu colliſionis facienda, in caſu autem prælationis ſpecialis obligatio attendatur (§. 668. *part. 1. Jur. nat.*); difficultas iſta non tanta deprehenditur, quanta putatur. Non eſt quod verearis, quaſi nimium ſcrupuloſi actionum humanarum determinationem ultra ſortem humanam extendamus: in Philoſophia enim morali habenda eſt ratio omnimodæ rectitudinis actionum, ad quam adſpirare debemus (§. 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quamvis in praxi detur infirmitati humanæ, quod culpa condonanda, vel infortunium excuſat. Ne vero infirmitati humanæ nimium adſcribamus, ea probe conſideranda ſunt, quæ de theoria culpæ in parte prima & de culpa vitanda in parte altera Philoſophiæ practicæ univerſalis demonſtravimus.

§. 99.

De opinione, quod liceat negligere dilectionem univerſalem, quia eandem negligunt alii.

Dilectioni univerſali officit opinio, quod nobis liceat eam negligere, quia alii eandem negligunt. Quodſi enim quis putet, quod ſibi liceat dilectionem univerſalem negligere, quia alii eandem negligunt; cum videat pleroſque omnes hominem quemcunque alium minime diligere tanquam ſeipſum, malos indignos beneficiis judicare, &, ſi quis ipſis ægre fecit, par pari referre, quantum poſſunt, quod alii ſibi licitum putant, id quoque ſibi licitum eſſe arbitratus, quos diligere debebat, diligere non vult. Quoniam itaque non conſiderat, alterum eſſe diligendum, quia homo eſt, nec aliam dari dilectionis univerſalis rationem quam communem humanitatem abſque omni reſpectu alio (§. 81.); dilectio univer-

univerſalis prorſus ſupprimitur. Officit itaque eidem opinio, quod nobis liceat eam negligere, quia eandem negligunt alii.

Hanc opinionem gignit & alit conſuetudo vivendi ad ſimilitudinem aliorum, quæ quo magis increbuit, eo plus nocet dilectioni univerſali. Parit autem hæc opinio errores plurimos alios, ob quos in Jure Gentium multis nugari videtur Philoſophus, dum veritatem profitetur, ad quam ducunt demonſtrationes liquidiſſimæ. Vulgo autem objicitur, Philoſophum alios ſupponere homines, quam quales in mundo exiſtunt. Sed de hisce diſertius dicendi locus erit in Philoſophia civili. Tenendum autem in genere, quod in Philoſophia recte ſupponatur homo, qualis natura eſt, ac inde deduci, qualis eſſe debeat, ut officiorum ratio intime perſpiciatur. Enimvero ubi deinceps ſumitur, qualis ſit homo, voluntate pravis cupiditatibus ac falſis opinionibus, quibus mens imbuta eſt, depravata, quomodo officia ipſi ſint attemperanda, ne quicquam committatur, quod labe quadam inficit animum, oſtendendum eſt. Caſtiſſimam legem naturæ accuſare, quod præcipiat, quæ obſervari nequeunt, niſi cum diſpendio ſuæ ſalutis, & quæ contradictoria ſunt, ut ſimul obſervari nequeant, nimis temerariam audaciam ſapit. Uberior lux hisce affulget per ea, quæ mox demonſtrabuntur. Ceterum experientia propoſitionem præſentem ſatis confirmat. Quodſi enim dilectionem univerſalem, ac inprimis inimicorum urgeas; in dubium quidem vocari non audias, quod homines omnes qualescunque ſint diligendi, nec par pari referendum, attamen excipi, quod cum alii te non diligant, quemadmodum dilectio univerſalis exigit, neque te lædere, vel tibi ægre facere vereantur, nec a te exigi poſſe, ut ipſos diligas, & ne iisdem viciſſim ægre facias: immo non deſunt qui arbitrantur ex non facto, vel facto aliorum ſibi naſci jus non diligendi alterum, vel ægre ipſi faciendi, cum æquiſſimum judicent, ut eodem jure utantur in alterum, quod

quod is adverſus ſe ſtatuit. Niſi hoc admittatur, ſe fore deterioris conditionis, quam alios, cum tamen natura homines omnes faciat æquales, nec ulli tribuat prærogativam quandam præ aliis. Miſcent complures errores homines, quibus ſub veritatis quadam ſpecie ſibimetipſis imponunt, quamdiu veritatem non intime perſpiciunt.

§. 100.

Quoniam dilectioni univerſali officit opinio, quod eam nobis negligere liceat, quia eandem negligunt alii (§. 99.), ea extirpanda eſt, conſequenter *ſi quis dilectionem univerſalem ac inprimis inimicorum negligit, quia eam negligunt alii, is non modo convincendus eſt, quod naturaliter obligemur diligere alios* (§. 618. *part.* 1. *Jur. nat.*), *ipſos etiam inimicos* (§. 632. *part.* 1. *Jur. nat.*), *nec ideo, quod alter non ſatisfacit obligationi naturali, nobis permiſſum ſit eidem non ſatisfacere* (§. 631. *part.* 1. *Jur. nat.*), *verum etiam quod dilectio univerſalis, ipſorumque inimicorum faciat ad felicitatem noſtram* (§. 87. 88.), *nec ſine ea obligationi, qua nobis ipſis tenemur, ſatisfacere valeamus* (§. 68. 69.). *Quomodo impedimentum iſtud tollatur.*

Non ſufficit falſam opinionem refutare, a qua derivandus eſt neglectus dilectionis; ſed tollenda quoque eſt corruptio voluntatis, quæ in ſegnitie diligendi hominem quemcunque alium ipſumque inimicum & in proclivitate ad malos & inimicos odio habendum conſiſtit (§. 10. *part.* 2. *Eth.*). Dilectio igitur univerſalis ad ipſos inimicos extenſa amabilis quoque efficiatur neceſſe eſt, atque pro certo habendum, quod noſtra maxime interſit, ut hominem quemcunque, ipſum inimicum, tanquam nos ipſos diligamus.

§. 101.

Quoniam dilectioni univerſali officit opinio, quod nobis liceat eam negligere, quia alii eam negligunt (§. 99.), qui *Quæ conducant ad opi-*

nionem iſtam miſſam faciendam. qui vero ita ſentiunt, ad ſimilitudinem aliorum vivere adſueverunt, *ut quis miſſam faciat opinionem, quod ſibi liceat negligere dilectionem univerſalem, quia eam negligunt alii, non ſolum docendus non eſſe vivendum ad conſuetudinem aliorum, ſed ad rationem*, cum actiones juxta legem naturæ, quod per rationem nobis innoteſcit (§. 259. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque dictamen rationis dici ſuevit, determinare debeamus, ipſo Deo volente (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *ſed & convincendus, eos curam animæ negligere, ſine qua nemo felix eſſe poteſt* (§. 142. *part. 4. Eth.*), *qui ad ſimilitudinem aliorum vivunt, & quantum ſibi noceat in caſibus particularibus, qui hoc vel illud facit, quia facere videt alios* (§. 164. *part. 4. Eth.*).

Nemo eſt qui neſciat, homines ad conſuetudinem aliorum vivere, quia neſciunt, quomodo vivendum ſit. Docere vero hoc ipſos poterat ipſa natura humana: neque enim facile homo ſanæ mentis in dubium vocare poterit, vivendum eſſe homini vitam hominis, etſi adhuc ignoret qualis ſit vita hominis. Hominem ab animantibus brutis diſtingvit ratio. Vita igitur hominis eſt, quæ rationi conformis, conſequenter legi naturæ, quæ inſtar partis in catena veritatum continetur: aſt cœca imitatio aliorum non hominis, ſed ſimiarum eſt, quibus aſſimilantur infantes & pueri rationis uſu adhuc deſtituti. Quamvis hæc admodum clara videantur, nec captu difficilia ſint; non tamen ignoro has rationes adverſus morem vivendi ad ſimilitudinem aliorum apud plerosque nihil proficere, nec defuturos, qui ſimilitudinem cum brutis non ſine indignatione in injurias referent. Rationes jam inſinuavi alias (*not.* §. 164. *part. 4. Eth.*). Quamobrem conſultum judico, ut ex circumſtantiis, per quas determinantur caſus particulares, convincantur qui ad ſimilitudinem aliorum vivunt, quantum noceant ſibi, qui ad ſimilitudinem aliorum vivere ſolent: id quod duplici modo fieri poteſt, tum quatenus mos vivendi ad ſimilitudinem aliorum in genere

nere ſpectatur, ideoque exempla quæcunque ad eum referenda huic inſtituto inſerviunt, tum inprimis quantum ſibi noceant, qui ad ſimilitudinem aliorum dilectionem univerſalem negligunt. Ipſum autem nocumentum quoque duplici modo evincitur, tum quatenus neglectus dilectionis univerſalis nos privat bono, quo frui poteramus, tum quatenus infert malum, quo poteramus carere. Non opus eſt, ut inquiramus in rationes, quibus utrumque evincendum. Cum enim huic inſtituto inſervire debeant caſus particulares, quos exempla ſuppeditant, aut qui nobis ipſis ſeſe offerunt; nocumenta per ſe agnoſcuntur, non vero demum a priori demonſtranda ſunt. Apud eos, qui ad ſimilitudinem aliorum vivunt, plus valet ſenſus, quam ratio.

§. 102.

De iis, qui omnia utilitate metiuntur.

Qui omnia utilitate metiuntur, dilectionem univerſalem inſuper habent, ac omnium minime inimicos diligunt. Qui enim omnia utilitate metiuntur, nihil faciunt, niſi quod ſibi utile exiſtimant, conſequenter nullum officium aliis præſtant, niſi vel ab iis viciſſim quid recipiant, aut quod ſe ſibi utiles præbere poſſint arbitrentur, vel ut præcaveant ne ſibi noceant. Quamobrem facile patet, quod minime habeant aliorum quorumcunque felicitatem promovendi voluntatem conſtantem & perpetuam. Quoniam itaque in hac voluntate conſiſtit dilectio alterius (§. 617. *part. 1. Jur nat.*), quam procul abſint a dilectione univerſali, ac inprimis a dilectione inimicorum abunde manifeſtum eſt. Dilectionem igitur univerſalem inſuper habent ac omnium minime inimicos diligunt, qui utilitate metiuntur omnia.

Dilectionis univerſalis ad ipſos inimicos extenſæ ratio ſufficiens eſt communis humanitas (*not.* §. 92.). Qui igitur rationem dilectionis convertunt in utilitatem ſuam, dilectio-

nem univerſalem tollunt: neque enim ſemper obtinet, ut ſe tibi viciſſim utilem præbeat, cui tu officium quoddam præſtare debes, utpote ope tua indigenti. Ab eo autem, qui tibi ægre fecit, aut ſaltem habet animum ægre faciendi, multo minus utilitatem quandam expectas. Cum ingens ſit ea hominum multitudo, qui utilitate metiuntur omnia; veritas propoſitionis præſentis experientia abunde confirmatur. Quodſi non otioſus ſpectator in hoc univerſo ſingula, quæ obſervas, accurata mentis lance ponderes, potiſſimam fere deficientis dilectionis univerſalis cauſam agnoſces conſuetudinem omnia utilitate ſua metiendi: neque enim hac quicquam magis adverſatur dilectioni univerſali. Dudum invaluit pervulgatum iſtud: utilitate regi homines, ut non deſint, quibus paradoxum videtur, ſi quis affirmet, ſe non utilitatis ſuæ cauſa quid facere, immo qui hoc aſſerentem rident, ſi ſerio dictum putant. Me expertum loqui non eſt quod dubites: ſit ita quod non ſemper experientiam domeſticam appellem, quando ad eandem provoco. Immo quis eſt qui neſciat, jam olim non defuiſſe, qui contenderunt, jus ſolummodo ex utilitate conſtitutum ab hominibus: quem ideo errorem refutavimus, cum fontem juris naturæ oſtenderemus (§. 266. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Et quamvis non multi videantur, qui hanc opinionem defendunt; ſi tamen plerorumque actiones rite perpendas, eas opinioni huic maxime conformes deprehendes. Neque deſunt, qui putant ſe diligere alios ſincero humano, qui tamen aliis non inſerviunt niſi propriæ utilitatis cauſa.

§. 103.

Quomodo impedimentum iſtud tollatur.

Quoniam dilectionem univerſalem inſuper habet, qui omnia utilitate metitur ac omnium minime inimicos diligit (§. 102.); *ſi ſtudium utilitatis propriæ dilectionem univerſalem impedire minime debet, nec dilectioni inimicorum adverſari*, cum jus naturale homini utile ſit (§. 263. *part. 1. Phil. pract. univ.*),

quam-

quamvis ſola utilitas non ſit ratio ſufficiens juris, ut ideo jus habeas ad id, quod tibi utile (§. 265. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), *legi naturæ convenienter determinandum & ipſa utilitas ex officiis erga nos ipſos æſtimanda.*

Legem naturæ regere omnes actiones humanas, qualescunque fuerint, & quicquid ad earum rectitudinem facit determinare, ſatis ſuperque patet per ea, quæ in Jure naturæ demonſtravimus. Hæc ipſa quoque lex nos docet, quænam nobis vere utilia ſint, ne vana quadam ſpecie deludamur. Non vero multa diſquiſitione opus eſt, ut quod apparet ab eo, quod eſt, dividamus: modo enim actiones omnes juxta legem naturæ determinemus, & puritati animi ſtudeamus, quæ cum rectitudine actionis firmiſſimo vinculo cohæret (§. 603. *part.* 2. *Eth.*), vere utilia conſequemur, ſi vel maxime de utilitate nulla mentem ſubeat cogitatio. Cum Jus naturale hominibus utile ſit (§. 263. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); qui actiones legi naturæ convenienter determinat, nihil appetit, niſi quod revera utile eſt. Proſpicit autem lex naturæ, quæ conjunctis viribus communem perfectionem promoveri jubet (§. 221. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), communi hominum utilitati. Vulgo homines de utilitate ex cupiditatibus ſuis ſtatuunt, ut quæ ad eas explendas faciunt utilia ſibi videantur, cumque horum comparandorum cauſa pecunia opus habeant, pecunias inhiant atque officia aliis præſtanda in quæſtum convertunt. Quoniam non omnes iisdem reguntur cupiditatibus; ideo nec omnes de eo, quod ſibi utile, idem ſtatuunt. Maxime autem negligitur utilitas, quæ reſpicit animam, quamvis hæc præcipue attendenda eſſet. Vere utilia in bonorum numero ſunt, aut ad ea obtinenda, vel conſervanda faciunt. Dependet utilitas a mutua dependentia rerum a ſe invicem, ad quam animum attendere tenetur, qui eam agnoſcere voluerit. Quodſi vero utilitas ex officiis erga nos ipſos æſtimetur, & ſtudium utilitatis propriæ juxta legem naturæ determinetur, utilitas propria non amplius obſtabit dilectioni

Digitized by Google

univerſali ad ipſos inimicos extenſæ, videbimusque in ipſis officiis, quæ præſtantur aliis, noſtram contineri utilitatem. Patet hoc vel inde, quod dilectio univerſalis ac inprimis inimicorum perfectionem naturæ humanæ ad ſummum gradum evehat, ut Deum imitantes perfecti evadamus, quemadmodum ipſe perfectus eſt (*not.* §. 77.). Multa occurrunt in antecedentibus, quæ lucem pleniſſimam hisce, quæ dicuntur, affundunt, a nobis jam non repetenda. Diximus in ſuperioribus, ſi dilectio ad inimicos extenditur, omnis utilitatis ex dilectione ſperandæ cogitationem procul a mente arceri, nec per eam aliud intendi, quam ut perſonam tibi impoſitam recte geras, nimirum ut ad finem univerſi conferas, quantum potes ac debes (*not.* §. 77.). Facile autem patet, ſermonem hic eſſe de utilitate, quæ tanquam merces officii præſtiti expectatur ab aliis, ideoque ipſa præſtatione intenditur, quæ hoc modo efficitur mercenaria: vera enim utilitas, de qua diximus, quamvis non intendatur, ſequitur ſua ſponte. Immo præſtationes officiorum erga alios vi nexus rerum influunt in utilitatem noſtram ab aliis promovendam, quæ non ſperatur. Modum vero æſtimandi utilitatem ex officiis erga ſeipſum facile capiet, qui ad animum revocat ea, quæ de utilitate in genere annotavimus (*not.* §. 262. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ceterum quamvis in dilectione aliorum ſeponenda ſit omnis utilitatis ab iis ſperandæ cogitatio; non tamen propterea ignorare poſſumus, quomodo ſtudium utilitatis ſit determinandum & vera utilitas æſtimanda: neque enim ſolum plurimi occurrunt caſus, in quibus de utilitate ſtatuendum eſt, veluti ſi eroganda pecunia; verum etiam ad ea, quæ hactenus dicta ſunt, reſpiciendum, ſi utilitatis ex præſtatione ſperandæ cogitatio mentem invadit, dilectioni obicem poſitura. Atque hic caſus eſt propoſitionis præſentis.

§. 104.

De ingratitudine beneficiariorum.

Ingratitudo beneficiariorum dilectionem aliorum languidiorem facit, aut prorſus delet, ſi quis putat eum non eſſe diligendum, qui dilectio-

lectione indignus eſt. Ingratus enim benefactorem ob beneficia ſibi tributa non diligit, immo iis non obſtantibus prorſus odit (§. 46. *part. 4. Jur. nat.*), conſequenter de beneficio reddendo non cogitat (§. 32. *part. 4. Jur. nat.*), immo bonum malo referre non veretur (§. 800. *part. 1. Jur. nat.*). Cum homines plerique indignos judicent ut diligantur, qui animum reddendi beneficium non habent, aut prorſus non verentur bonum malo referre, animum autem gratum prævidere ſi non impoſſibile, ſaltem admodum difficile ſit; tædium ex ingratitudine perceptum facit, ut dilectionem aliorum ſi non tanquam malam, ſaltem tanquam minus bonam ſibi repræſentent (§. 5. *part. 2. Eth.*). Quoniam itaque averſamur, quod tanquam malum nobis repræſentamus (§. 907. *Pſych. empir.*), nec appetimus, quod nobis minime repræſentamus tanquam bonum (§. 904. *Pſych. empir.*); ſi putamus eum non eſſe diligendum, qui dilectione indignus eſt, ingratitudo dilectionem aliorum delet, aut langvidiorem facit.

Indies experimur, quod ingratitudo dilectionem aliorum nunc deleat, nunc langvidiorem faciat. Pertædet homines benefacere aliis, ſi beneficiarios ingratos experiantur. Ideo ingratus unus omnibus miſeris nocere dicitur, hoc eſt, iis, qui aliorum ope, aut conſilio indigent. Qui enim beneficiarium ingratum expertus eſt, in caſu dubio ideoque plerumque ſumit, ingratum quoque fore, qui nunc officium quoddam petit. Non vero hoc ſufficeret ad avertendum animum a dilectione, niſi tacite inhæreret menti ea opinio, quod diligendus non ſit, qui dilectione indignus eſt.

§. 105.

Quoniam ingratitudo beneficiarii dilectionem aliorum langvidiorem facit, aut prorſus delet, ſi quis putat eum *Quomodo impedimen-*

non

tum iſtud tollendum. non eſſe diligendum, qui dilectione indignus eſt (§. 104.); *ſi ingratitudo beneficiarii dilectioni aliorum nocere minime debet, eradicanda eſt falſa hæc opinio, quod diligendus non ſit, qui dilectione indignus putatur* (§. 97.). Et cum in caſu præſenti particulari indignus beneficio cenſeatur, qui ingratus eſt, aut propter ingratitudinem alterius ingratus, aut ſaltem minime gratus futurus præſumitur; *probe perpendendum eſt, beneficiarium obligari ad gratias agendum benefactori* (§. 45. *part. 4. Jur. nat.*), *& erga eundem animum gratum habere* (§. 43. *part. 4. Jur. nat.*), *ingratum vero eſſe non debere* (§. 47. *part. 4. Jur. nat.*), *nos vero obligari ad dilectionem univerſalem* (§. 618. *part. 1. Jur. nat.*), *ipſorum etiam inimicorum* (§. 632. *part. 1. Jur. nat.*), *&, quamvis beneficiarius ingratus non ſatisfaciat obligationi ſuæ, non tamen ideo nobis permiſſum eſſe, ut noſtræ quoque obligationi non ſatisfaciamus* (§. 631. *part. 1. Jur. nat.*), cumque factum alienum nemini imputari poſſit, a cujus voluntate nullo modo dependet (§. 650. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *abſurdum eſſe, ut ingratus unus vel alter noceat miſeris aliis, ſeu ope, vel conſilio noſtro indigentibus.* Immo cum ex hac ratione ſola nulla probabilitate colligatur, alios fore ingratos, quia hic, vel ille ingratus fuit (§. 578. *Log.*), præſumtio autem collectio probabilis ſit (§. 244. *part. 2. Jur. nat.*); *hoc quoque conſiderandum eſt, alios quoscunque nulla ratione ingratos præſumi, propterea quod hic, vel iſte ingratus fuit.*

Aliud eſt non mereri beneficium, aliud eſſe indignum dilectione (*not.* §. 96.), quamvis vulgo hæc confundantur. Quando officium non præſtatur alteri, quia ingratus cenſetur, aut præſumitur, ſive recte præſumatur, ſive minus, quod jam ſeponitur; dilectione indignus cenſetur (§. 76.), tuncque obligationi noſtræ ſatisfacere nolumus (§. 618. 632. *part. 1. Jur. nat.*), quia eidem non ſatisfacit, aut non ſatisfactu-

factūrus videtur alter (§. 47. *part.* 4. *Jur. nat.*). Triplex itaque caſus eſt, qui hic attendendus. Aut enim certi ſumus, alterum eſſe ingratum, aut non falſo præſumitur eum fore ingratum, aut ſaltem vanus metus eſt, ne forte ingratus ſit. In caſu primo ſaltem urgenda eſt indiſpenſabilitas obligationis naturalis diligendi homines in univerſum omnes, a qua facto alieno, quale eſt ingratitudo, liberari non poſſumus, & imitatio Dei in dilectione malorum & inimicorum (§. 77. & *not. ej.*), qui agit quod ſuum eſt tanquam creatoris atque conſervatoris hujus univerſi & entis ſumme boni, felicitatem generis humani ſerio volentis. Non deſinit is benefacere hominibus ob plerorumque ingratitudinem. In caſu ſecundo expendenda quoque venit præſumtio, quam fallere poſſe nemo eſt qui neſciat, ut ideo dudum pervulgatum ſit, præſumtionem vinci a veritate. Cum enim dilectio nullam admittat exceptionem, etiamſi de ingratitudine certo conſtet, multo minus exceptionem pariet, ſi ſaltem probabiles habuerit rationes. Sane ſi vel maxime ingratitudo exceptionem adderet ad legem dilectionis; in caſu tamen dubio, qualis omnino eſt is, pro quo ſaltem militat præſumtio, eligendum foret quod eſt tutius, conſequenter qui ingratus ſaltem præſumitur, diligendus potius foret, quam non diligendus. In caſu denique tertio non tantum conſideranda venit metus vanitas, quæ nulla ratione probabili nititur, ſed & inprimis abſurditas imputandi alteri factum alienum, ad quod nullo prorſus modo concurrit. Quodſi quis excipiat, omnia illa argumenta nihil valitura adverſus bene multos; ultro concedo, quod non valeant adverſus eos, qui ſordidis ingeniis præditi mentes monſtroſas habent, nec rationes ponderant, nec dignitatem virtutis proſpiciunt, quamvis etiam non ignorem, vulgum ſubinde excuſatius refragari, quando cupiditates, quibus voluntas depravatur, vincere nequit. Aſt quis a Philoſopho requiſiverit, ut immedicabile vulnus ſanet, aut ut ſanet vulnus, ſi quis medicamentis, quæ proſunt, uti noluerit? Id enim foret velle, ut faceret impoſſibilia.

§. 106.

De opinione, quod, ſi malum bono referamus, inimicos & malos ad lædendum audaciores reddamus.

Dilectioni univerſali ad ipſos inimicos extenſæ officit opinio, quod nos lædentes, aut injuria afficientes ad lædendum, aut injuriam afferendam reddamus audaciores, ſi malum bono referre conſueverimus. Negari omnino non poteſt, ſi quis ſibi perſuadet, ſe impune nos lædere poſſe, eum ad nos lædendum, vel injuria quacunque afficiendum, eſſe faciliorem, cum metus mali ſive poſitivi, ſive privati, quod viciſſim a nobis pati poteſt, ipſum a propoſito lædendi abſtrahere poſſit. Quodſi igitur quis putet, ſe malum bono referendo lædenti, aut injuriam afferenti eam ingignat opinionem, quaſi ſe impune lædere poſſit, ut ipſi nihil mali a nobis ſit metuendum; ſi bono malum referre adſueſcat, alios ad ſe lædendum audaciores fieri opinatur. Quamobrem cum nemo velle poſſit, ut ab aliis lædatur, vel injuria afficiatur; conſultius utique judicabit, aut malum malo referre, aut ſaltem non referre bono, conſequenter aut nocere alteri, aut ſaltem nullum præſtare officium, quo vel maxime indiget. Quoniam itaque charitas, quæ diligendi habitus eſt (§. 620. *part. 1. Jur. nat.*), in præſtatione officiorum conſiſtit (§. 654. *part. 1. Jur. nat.*); dilectioni univerſali officit opinio, quaſi bono malum referendo alios ad lædendum nos efficiamus audaciores.

Abſurdum omnino foret negare, quod periculo injuriarum exponatur, qui impune lædi poſſe creditur, cum experientia id abunde teſtetur, nec obſcura ſit ratio (§. 1057. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem nec defuerunt, qui dilectionem inimicorum abſurdam pronunciarunt, defendentes Remp. ſubſiſtere non poſſe, ſi ſinguli cives eo fuerint animo, ut injurias patienter tolerantes habeant animum ab omni vindictæ cupidine alienum ipſisque inimicis benefaciant malum bono referentes. Enimvero ſumitur, quod probatum non eſt, eum, qui

qui ipſos inimicos diligit & malum bono referre ſtudet, lædentibus concedere debere impunitatem lædendi. Infertur ex dilectione inimicorum, quod ex ea minime ſequitur. Falſa igitur hinc nata opinio eidem officit, qua quamdiu mens imbuta eſt, fieri omnino nequit, ut ipſos inimicos diligamus.

§. 107.

Quoniam dilectioni univerſali ad ipſos inimicos extenſæ officit opinio, quaſi malum bono referendo alios ad nos lædendos faciamus audaciores (§. 106.), hæc autem opinio inde naſcitur, quod homines quoscunque omnes ipſosque inimicos diligens pati teneatur, ut impune lædatur ab aliis; falſum eſſe, oſtendendum eſt, ex dilectione univerſali ad ipſos inimicos extenſa ſequi impunitatem lædendi. *Quodſi* ergo *dilectioni univerſali ad ipſos inimicos extenſæ officere non debet opinio, quaſi malum bono referentes alios ad nos lædendum efficiamus audaciores, perpendendum eſt, ipſa lege naturali, quæ dilectionem univerſalem præcipit, nobis dari jus defendendi nos* (§. 973. part. 1. *Jur. nat.*), *res noſtras* (§. 691. *part.* 2. *Jur. nat.*) *& famam noſtram* (§. 1045. *& ſeqq. part* 1. *Jur. nat.*), *dari etiam jus puniendi eum, qui nos læſit* (§. 1061. *part.* 1. *Jur. nat.*) *& jus belli in eum, qui jus perfectum nobis competens tribuere non vult* (§. 1104. *part.* 1. *Jur. nat.*), *& jus hoc omne eſſe infinitum* (§. 978. 1063. 1107. *part.* 1. *Jur. nat.*), *atque exerceri poſſe absque ullo odio ac vindictæ cupidine* (§. 996. *& ſeqq.* 1077. *& ſeqq.* 1119. *& ſeqq. part.* 1. *Jur. nat.*). *Immo* in genere *conſiderandum eſt, lege naturali nobis dari jus non patiendi, ut alius nos lædat* (§. 913. *part.* 1. *Jur. nat.*), ſeu *jus ſecuritatis* (§. 917. *part.* 1. *Jur. nat.*), ut ideo toto cœlo aberrent, qui ſumunt dilectionem univerſalem tollere ſecuritatem.

Quomodo impedimentum iſtud tollatur.

Facile patet, defectui notionum diſtinctarum tribuendum eſſe, ut omnia confundantur & fingantur contradictiones, ubi

nullæ dantur. Deficiunt autem notiones diſtinctæ, ſi Jus naturæ non redigatur in ſyſtema veri nominis, ut omnium inter ſe nexus appareat & quænam in ea ſit concordia perſpiciatur. Inde nimirum eſt, ut quæ eadem præcipiuntur, & prohibentur, vel etiam permittuntur, non ſatis intelligantur, & falſis interpretationibus caſtiſſimæ huic legi imputentur, quæ a mente ejus alieniſſima ſunt. Præcipit ea dilectionem univerſalem felicitatis hominum cauſa (§. 83. 84. 87. 88.), tanquam naturæ humanæ maxime convenientem (§. 85. 86.), & ſecuritati eorum optime proſpiciens non modo prohibet, ne quis lædatur ab altero (§. 695. *part. 1. Jur. nat.*), verum etiam & ſingulis dat jus perfectum non patiendi, ut alius ipſum lædat (§. 913. *part. 1. Jur. nat.*), & omnes univerſim obligat ad impediendum, ne quis lædatur ab aliis, quantum in poteſtate eſt (§. 988. *part. 1. Jur. nat.*). Qui hæc inter ſe conciliare non poſſunt, ex eo, quod vulgo fit, definiunt, quid fieri poſſit, quaſi vero quod vulgo faciunt homines tantæ ſit neceſſitatis, ut aliter fieri nequeat. Et quamvis in ſe ipſo experiantur, ſe abſque inimico animo ſe & res ſuas famamque adverſus aggreſſorem, vel raptorem ac calumniatorem defendere, aut jus ſuum perſequi minime poſſe; ex ſe tamen judicare alios non licet, multo minus ex eo, quem quis facere poteſt, facultatum uſu definiri poteſt, quænam facultatum humanarum uſu fieri poſſint. Equidem maxime ſolennis eſt hominibus hæc in judicando præcipitantia; dudum tamen quoque agnitum, multitudinem errantium non parere errori patrocinium. Velim igitur, ut omnia, ad quæ in propoſitione præſente provocamus, probe perpendantur, obſervatis iis, quæ analyſis demonſtrationum ad convictionem exigit (§. 991. *Log.*). Et ut animi ab omni vindictæ cupidine alieni notio nihil obſcuritatis retineat, non inconſultum erit ea legere, quæ in horis ſubſecivis Marburgenſibus A. 1729. trim. Vern. n. V. de eodem commentati ſumus, ubi oſtendimus, quomodo Chriſtus ipſi vulgo eandem perſpicuam reddidit. Quodſi quis dilectionem univerſalem ipſorumque

rumque inimicorum conſequi ſtuduerit, in ſeipſo experietur, quomodo animo prorſus tranquillo & ad inſerviendum alteri compoſito jura iſta adverſus læſiones ſive intentatas, ſive factas natura competentia exercere poſſit. Non exiſtimandum eſt, quaſi lex naturæ malorum & inimicorum dilectionem præcipiens patrocinetur aliorum malitiæ, aut ſibimetipſi contraria ſit, dum prohibet lædere alios & tamen præcipit diligere lædentes. Altius ſcrutanda ſunt omnia, ut concordiam legum naturalium unumque earundem concentum luculenter perſpiciamus.

§. 108.

De odio diſſentientium.

Qui diſſentientes ferre non poſſunt, homines quoscunque tanquam ſeipſum diligere nequeunt. Qui enim diſſentientes ferre non poſſunt, cum nihil averſemur, niſi quatenus moleſtiam inde percipimus (§. 156. *part. 2. Eth.*), ex diſſenſu aliorum moleſtiam percipiunt. Quamobrem cum diſpliceat diſſenſus (§. 542. *Pſych. empir.*), odium vero concitetur, ſi in altero obſervamus, quod nobis diſplicet (§. 674. *Pſych. empir.*); diſſentientem odio habet. Quoniam itaque odium tendit ad promovendam infelicitatem & impediendam, vel depellendam felicitatem alterius (§. 308. *part. 2. Eth.*), qui vero alterum diligit, voluntatem conſtantem & perpetuam felicitatem ipſius promovendi habere debet (§. 617. *part. 1. Jur. nat.*); qui diſſentientes ferre non poſſunt, homines quoscunque alios tanquam ſeipſos diligere nequeunt.

Odium diſſentientium familiare vitium eruditorum eſt, quod veritatem propoſitionis præſentis abunde confirmat. Diſſenſus injuriæ æquiparatur, quæ cupiditatem vindictæ concitat. Qui ex diſſenſu alterius moleſtiam percipit, cum in rationem non inquirat, ob quam ex eo moleſtiam percipit, aut eam pervidere nequeat, facile ſibi perſuadet, diſ-

 ſentien-

ſentientem ſibi ægre facere, ipſum conſiderans tanquam moleſtiæ ſuæ cauſam. Malum igitur malo referendi animum habet, & quamvis deſint vires ægre faciendi diſſentienti, ut tamen ægre fiat alio quocunque modo in votis habet atque gaudet, ſi quid moleſti eidem accidat. Quodſi fuerit faſtoſus atque ſuperbus ſibi tribuens plus perfectionis, quam revera convenit (§. 583. *part. 1. Jur. nat.*), & ſupra alios ſeſe efferens (§. 888. *part. 1. Jur. nat.*), ſi ſuperi flecti nequeant, acheronta movet, ut vindicta animum ſatiet. Cupiditates indomitæ in rabiem vertuntur, ut nihil intentatum relinquatur, quo diſſentienti noceri poſſe putatur, cumque ſævire non detur in perſonam, fama illius laceratur audacter calumniando & quovis modo impediendo, ne ſe adverſus calumnias defendere poſſit. Eruditus faſtoſus & ſuperbus monſtroſum animal eſt, quod parum humanitatis poſſidet, rationis quippe uſum ejurans, ubi eodem maxime erat opus. Non clarius hoc perſpicitur, quam ſi fortuna iſtiusmodi hominibus favet, ut cupiditatibus ſuis fræna laxare liberius poſſint, cum in aliis vana ſit ſine viribus ira, quæ in actus externos erumpere nequit, ſed inter præcordia occluſa manet. Referri huc quoque poteſt diſſenſus in religione, qui quantum adverſetur dilectioni univerſali noto notius eſt. Ita conſtat tempore Chriſti Judæis eam fuiſſe opinionem communem, quod odio habendi ſint a ſacris ipſorum alieni, vel non eadem prorſus cum ipſis ſentientes, veluti Samaritani, quam Chriſtus ex animis ipſorum evellere ſtuduit Luc. XI. 30. & *ſeqq.*

§. 109.

Ejus abſurditas.

Abſurdum eſt diſſentientes odio habere. Etenim ſi quis a te diſſentit, aut ipſe falſam fovet opinionem, aut tua falſa eſt opinio, aut uterque veſtrum a veritate aberrat. Antequam igitur velis, ut alter tecum ſentiat idem; neceſſe eſt, ut inquiratur, a cujusnam parte ſtet veritas, cum nemp non abſur-

Digitized by Google

abſurdum judicet velle, ut alter miſſa veritate tui cauſa amplectatur errorem: ipſa enim lex naturæ prohibet, ne aliorum animis errores inſinuemus (§. 708. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam vero fieri nequit, ut veritatis convincamur, niſi vel a poſteriori vi experientiæ (§. 985. *Log.*), vel a priori vi demonſtrationis (§. 990. *Log.*), aut, ſi quis demonſtrationem capere nequit, veritatem reducendo ad ſenſum communem (§. 422. *part. 1. Eth.*); obligationi tuæ alterum ab errore revocandi ſatisfeciſti (§. 709. *part. 1. Jur. nat.*), ſi ſententiæ tuæ veritatem, opinionis, quam fovet alter, falſitatem oſtenderis. Quodſi diſſentientem convincere non poſſis, ſive tibi deſint vires, ſive alter vim demonſtrationis capere nequeat, hoc autem non obſtante velis, ut aſſenſum præbeat ſententiæ tuæ; id omnino deſideras, quod fieri minime poteſt. Velle autem quod fieri minime poteſt cum abſurdum ſit; multo magis abſurdum exiſtimari debet, diſſentientem odio habere, antequam veritatem, quam penes te ſtare putas, aut quam penes te ſtare nunc ſumere lubet, ſatis in aprico collocaveris, & ſecus ſentientem ſolide refutaveris.

Ut diſſentientes odio habeantur, alia in cauſa eſſe ſolent vitia, quæ non in omni caſu eadem, qualia ante allegavimus faſtum & ſuperbiam eruditorum (*not.* §. 108.), qui diſſenſu alterius famæ ſuæ detrahi arbitrantur. Conſtat enim hunc eſſe communem quendam eruditorum plerorumque morem, ut ſibi dedecori ducant erraſſe, quamvis non pudeat vitiis laborare. Non igitur eſt, quod miremur, ſi videamus vitia, quibus imbutus eſt eorum animus, factis & verbis prodentes, dum omni molimine id agunt, ne videantur erraſſe, aut errorem ſuum palliare ſtudent. Errare quod humanum ſit confitentur omnes: vix tamen quiſquam eſt qui erraſſe videri vult. Ideo mordicus defenduntur errores. Negandum vero

non

non eſt, Thraſones omnium maxime diſſentientes odio habere, præſertim ſi fortuna eos ad dignitatem immeritam evexit, ut ſibi videantur qui non ſunt & videri volunt aliis. Ipſa autem vitia, quæ in odium diſſentientium concitandum influunt, impedimento ſunt, quo minus abſurditatem odii ſui agnoſcant.

§. 110.

Cur ea ponderanda. Quoniam abſurdum eſt diſſentientes odio habere (§. 109.), qui vero diſſentientes ferre non poteſt, homines quoscunque tanquam ſeipſum diligere nequit (§. 108.); *ſi diſſenſus dilectionem univerſalem impedire minime debet, abſurditas odio habendi alterum ob diſſenſum probe ponderanda.* Etenim abſurda nemo velle poteſt, niſi perverſis cupiditatibus depravata voluntas rapiatur in contrarium, animo ab attentione ad abſurditatem revocato, nec abſurda ſe ſtatuere quisquam videri vult, conſequenter abſurditatis ponderatio pudorem concitabit (§. 374. *part. 2. Eth.*), odio diſſentientis contrarium (§. 438. *part. 2. Eth.*).

Vitium potiſſimum eruditorum eſt ob diſſenſum odio habere alterum. Animo fixa ſedet hæc opinio, quod diſſentiens nobis tribuat acuminis defectum, ne verum a falſo dividere poſſimus. Odii igitur cauſa tandem eo recidit, quod qui diſſentientes ferre nequit videri nolit ſtatuere falſa, conſequenter cum falſa ſit propoſitio, ſi prædicatum notioni ſubjecti repugnat (§. 514. *Log.*), quod videri nolit ſtatuere abſurda. Quoniam itaque odio habens alterum ob diſſenſum videri non vult abſurda ſtatuere, ſi agnoſcit maxime abſurdum eſſe, ut diſſentientem oderimus, odium averſabitur, aut ſaltem non minus eum pudebit odiſſe diſſentientem, quam erraſſe, aut errore captum videri. Quodſi eruditi probe perpenderent, morum perverſitatem ſupponere errores defectum acuminis non minus arguentes, quam errores alii; quos com-

commiſiſſe videri nolunt, abſurditas odio habendi diſſentientes maximum pondus apud eos haberet. Aſt cum non perpendant perverſam voluntatem ab ignorantia & falſis opinionibus, quas tacite imbiberunt animo, dependere, imperfectionem intellectus, quam arguit perverſa voluntas, non advertunt. Quamobrem patet, quam ſit neceſſe, ut dependentia voluntatis ab intellectu agnoſcatur, atque conſideretur omnem voluntatis aberrationem arguere imperfectionem intellectus. Plurimum itaque peccatur, quod non ſatis inculcetur, quomodo erroribus corrumpatur voluntas, & quam abſurdæ opiniones huic, vel iſti vitio ortum dederunt. Conſultum omnino eſt, ut, quoties prava cupiditas animum invadit, ſedulo inquiramus in opinionem, qua concitatur, & in opinionis hujus abſurditatem. Immo in genere juvat paulo altius inquirere in eorum cognitionem, quæ influit in volitionem, vel nolitionem quamcunque præſentem: qui labor tanto minus moleſtus videri debet, quia facit ad interiorem notitiam ſui & ducit ad noſcentiam latebrarum & receſſuum in animis hominum. Cum notitia ſui ad vitam beatam requiratur (§. 26. *part.* 4. *Eth.*), quam appetunt omnes; multo minus moleſtum accidere debet, ut dependentiam voluntatis ab intellectu profundius inſpicere ſtudeamus. Nullus dubito hoc modo fore, ut eruditi, qui de ingenii & acuminis gloria acerrime contendunt, non adeo turpiter malevoli ſint in diſſentientes.

§. 111.

Stultus eſt, qui diſſentientem odio habet. Qui enim diſſentientem odio habet, ægre fert, quod is ſibi tribuat, quemadmodum opinatur, acuminis defectum, ne verum videre poſſit (*not.* §. 110.). Quoniam itaque eidem tædia creare ſtudet (§. 671. *Pſych. empir.*), odium propter diſſenſum conceptum prodens, cum ſit abſurdum odio habere diſſentientem (§. 109.), defectum acuminis probat, cujus de ſe opi-

De ſtultitia diſſentientem odio habendi.

opinionem tantopere averſatur. Cum igitur acuminis & ingenii gloriam appetat (§. 47. *Jur. Gent.*), ea vero faciat, quæ eidem adverſantur, tam de fine, quam de mediis per præcipitantiam ſtatuit. Quamobrem cum ſtultitiæ ſit per præcipitantiam ſtatuere tam de fine, quam de mediis (§. 458. *part.* I. *Eth.*); qui diſſentientem odio habet, ſtultus eſt.

Stultitia odio habentis diſſentientem manifeſta eſt, modo ex notionibus diſtinctis ratiocinia deducas: quod enim vulgo non advertatur, multo minus quanta ſit æſtimetur, non aliam ob cauſam contingit, quam quia notiones confuſæ perplexum reddunt animum, ut non attendatur ad ea, quæ diſtincte perpendenda ſunt. Hæc vero oſcitantia tanto minus advertitur, quod notiones confuſæ plures præteritæ tacite influunt cum reſultantibus inde appetitionibus & averſionibus in ſtatum præſentem, quarum ſibi conſcius eſſe nequit, niſi qui accurata diſcuſſione in apricum producere valet intus latentia. Non inanem vero operam ſumeret, qui in caſibus particularibus anatomen logicam & moralem odii, quo quis perſequitur diſſentientem, inſtitueret, ut ſtultitiam palpabilem redderet. Neque enim ſperandum eſt, ut eruditi, qui diſſentientes ferre nequeunt, odium miſſum faciant, niſi eos urgeat pudor ſtultitiæ agnitæ. In hac vero anatome nullum negligendum eſt vitium, quod in moleſtiam ex diſſenſu perceptam influit: neque enim acquieſcendum in ratione proxima, ſed progrediendum ad ulteriora, quantum datur, & ubivis inquirendum in errores, a quibus pendet vitium quodlibet, quod notatur. Ita nimirum ſtultitia vivis depingetur coloribus, ut a quolibet videri poſſit. Subjectum hujus anatomiæ convenientiſſimum eſt Thraſo, qui de infelici partu ingenii tanquam de invento arduo ac ſublimi gloriatus nihil intentatum relinquit, ut fallaciam detegenti noceat, quantum poteſt, & falſis commentis fumum vendat imperitis ac nimium credulis.

§. 112.

§. 112.

Felicitati ſuæ officit, qui diſſentientes odio habet. Etenim qui diſſentientes odio habet, ex diſſenſu moleſtiam percipit vi demonſtrationis præcedentis (§. 111.), qua cum carere poſſet, cum abſentia moleſtiæ, qua animus inquietatur, ad felicitatem privativam pertineat (§. 639. *Pſych. empir.*), quemadmodum abſentia mali ad bonum refertur (§. 756. *part.* 1. *Jur. nat.*), felicitatis quadam parte, qua frui poterat, ſe privat & infelicitatem felicitati præfert. Et quamvis cupiditas ægre faciendi diſſentienti animum voluptate demulcere videatur; hæc ipſa tamen voluptas in moleſtiam degenerat, aut eam parit, quando diſſentiens fit adverſarius, qui vel viciſſim ægre facere ipſi ſtudet, vel ſe defendendo proferre cogitur, quæ magis moleſta accidunt, quam diſſenſus (§. 1050. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum ad infelicitatem hominis quidpiam conferat, quod ipſi moleſtiam creat (§. 639. *Pſych. empir.*); nocua voluptate deluſus (§. 383. *part.* 1 *Phil. pract. univ.*) felicitate excidit, quam intenderat, amiſſa felicitate vera, cujus nos compotes reddit dilectio univerſalis (§. 87.) ipſorumque inimicorum (§. 88.). Suæ igitur felicitati officit, *qui diſſentientes odio habet.*

Quod diſſentientes odio habens felicitati ſuæ adverſetur.

Qui veræ felicitatis notionem habent & ad conſecutiones rerum animum attendere adſueverunt, eos facile conſentientes habebo, cum vim demonſtrationis facile capiant: aſt qui ſtatum jucundum cum felicitate confundunt, & ſenſibus toti immerſi non vident, niſi quod ante pedes jacet, cum inſtar machinæ ab impulſu externo animentur, neſcientes quomodo intellectus uſu genuino regere debeant appetitum & averſationem, veritati manus victas dare recuſabunt. Damno igitur ſuo experiantur, quod mentem a ratione alienantes capere nolunt, juſtas oſcitantiæ ſuæ daturi pœnas. Neque enim

Digitized by Google

parvi faciendæ ſunt moleſtiæ, quas ex ex moliminibus ſuis trahunt diſſentientes odio habentes pro datis circumſtantiis, voluptate ultionis injuriæ putativæ afferente conſecutionem moleſtiarum plurimarum & graviſſimarum. Oſtendimus ante ſtultum eſſe, qui diſſentientes odio habet (§. 111.). Stultitia vero hinc maxime elucet, quod felioitati ſuæ officiat. Repugnat odium iſtud generali determinationi appetitus, qui per naturam ſuam in felicitatem fertur (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), ſtultitia autem in infelicitatem detorquetur. Eruditi, quorum eſt intellectum perficere, ut verum a *falſo*, id quod eſt ab eo, quod apparet, dividere poſſint, ab hac ſtultitia procul abeſſe debebant: dolendum vero, quod omnium maxime hac labe inficiantur. In promptu mali hujus ratio eſt. Negligunt rerum moralium ſcientiam, qua quilibet eruditus imbutus eſſe debebat, ut quantum unusquisque ſcientiæ quodam, aut eruditionis gloria excellit, tantum quoque virtute præſtaret. Virtutis itaque ſtudium cum ſtudio intellectus perficiendi conſtanter erat conjungendum, ne ſuæ magis vanitati, quam communi utilitati litarent, & vana quadam gloria, quam ex applauſu nonnullorum ſui ſimilium metiuntur, animi tranquillitatem & caſtiſſimam voluptatem venderent. Ampliſſimus aperiretur dicendi campus, ſi ad particularia deſcendere vellemus & conſiderare omnes ſalebras, in quas ducit diſſentientium odium.

§. 113.

An errorum refutatio & nocuorum odium dilectioni repugnet.

Dilectioni minime repugnat, ut errores refutemus, & virtuti quomodocunque adverſos oderimus. Ipſa lege naturæ obligamur alios ab errore, ſi poſſumus, revocare (§. 709. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum ab errore ſuo revocari nequeat, niſi qui agnoſcere cogitur, quod erret, conſequenter certus eſt, falſum eſſe, quod pro vero habet (§. 623. *Log.*), ideoque falſitatis convincatur (§. 982. *Log.*), ſive a poſte-

poſteriori (§. 985. *Log.*), ſive a priori vi demonſtrationis (§. 990. *Log.*); error ſive a priori, ſive a poſteriori refutandus (§. 1024. *Log.*). Quoniam itaque officium erranti, aut aliis, ne errorem amplectantur, præſtat, qui errores refutat (§. 225. *part. 1. Phil. pract. univ.*), præſtatio vero officiorum ad charitatem, qui diligendi habitus eſt (§. 620. *part. 1. Jur. nat.*), pertinet (§. 654. *part. 1. Jur. nat.*); errorum refutatio dilectioni minime repugnat. *Quod erat unum.*

Quoniam virtutem colere, vitia fugere debemus (§. 278. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter etiam errores, a virtutis tramite ad vitia homines ſeducentes, virtutute autem præditus vitium odit (§. 368. *part. 1. Phil. pract. univ.*); errores quoque a virtute ad vitia hominem avocantes odiſſe tenemur. Enimvero cum hominem quemcunque alium diligere debeamus propter Deum (§. 63.), qui vero alios propter Deum diligit, non tamen propterea mala ipſorum facta approbat (§. 81.); dilectioni minime obſtat, ſi mala aliorum facta improbemus, immo deteſtemur. Quamobrem nec eidem repugnat, ut errores quomodocunque virtuti adverſos oderimus. *Quod erat alterum.*

Ne propoſitio præſens vertatur in obtentum, quo cenſuræ præcoces & caninæ contentionis jurgioſa certamina excuſantur, unum alterumque notandum eſt, ne videamur patrocinari moribus perverſis, quos, ſi per nos ſtaret, ex orbe eliminatos mallemus. Primum itaque notandum eſt, cum in Philoſophia morali ac Jure naturæ non admittatur, niſi veritas, in præſenti quoque propoſitione non intelligendam eſſe niſi veram refutationem, quam differre ab impugnatione dudum oſtendimus (§. 1018. *Log.*), cumque omni actioni humanæ ſua conſtet rectitudo (§. 64. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & ad recte agendum obligemur (§. 189. *part. 1. Phil. pract.*

univ.), refutationem quoque moraliter ſpectatam a rectitudine nil quicquam deficere debere. Lex naturæ vult, ut alios ab errore revocemus, ſi poſſumus (§. 709. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque non dat jus refutandi errores niſi iis, qui eos refutare poſſunt (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Qui errores refutare non poſſunt, cum non obligentur alios ab iisdem liberare (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.*), iis quoque lege naturali nullum competit jus refutandi. Quoniam licitum non eſt, quod ſine jure fit (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*); antequam quis errores refutare velit, certus eſſe debet, utrum iis refutandis par ſit, nec ne. Qui errorem refutare vult, demonſtrare tenetur falſam eſſe propoſitionem, quæ pro vera habetur (§. 1017. *Log.*). Arduum igitur cum ſit negotium erroris refutatio, ſive principia, ſive formam demonſtrationis ſpectes (§. 498. 551. & *ſeqq. Log.*); non temere ſibi quis licentiam refutandi ſumere debet, ſed antequam refutare alios audeat, accurate inquirere tenetur, num principiis ſufficientibus ſit inſtructus & demonſtrandi habitu polleat. Jam vero in rectitudine actionis humanæ nihil deſiderari debet etiam ex parte voluntatis (§. 79. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum jus refutandi fluat ex obligatione alios ab errore liberandi (§. 709. *part. 1. Jur. nat.* & §. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter etiam præcavendi, ne in errores incidant; qui errores refutare vult, id facere debet animo errantes in viam rectam reducendi, aut præcavendi, ne incauti, qui per ſe verum a falſo dividere non didicerunt, errori ſubſcribant. Qui aliud intendit, quemadmodum apud nos plerique facere ſolent, vanæ cujusdam gloriæ affectatione, aut animo ægre faciendi ei, quem ſibi adverſarium conſtituit, vel famæ ejus detrahendi, controverſiam moventes, ejus actio recta non eſt, nec cum dilectione univerſali conſiſtit. Quodſi errorum refutatio, cum impugnatione aliter ſentientium minime confundenda, dilectioni univerſali convenire debet, neceſſe eſt ut & nomen ſuum tueatur, & fiat animo præcavendi, ne alii in errores incidant, aut ne in eodem permaneant.

maneant. Hæc ſi obſervarentur, quemadmodum obſervari debent, ſi legis naturæ ſalva eſſe debet auctoritas; non tantus foret numerus ſcriptorum eriſticorum, controverſiæ ſine omni injuria tractarentur, nec tot ſe immiſcerent alienis, multo minus judicis officium in orbe litterato ſibi ſumerent, qui diſcentium ſubſellia rectius occuparent, more apud nos indies magis magisque invaleſcente, de cujus cauſis in præſenti uberius dicere nimis prolixum foret. Quod alteram propoſitionis partem attinet, ſi odium errorum virtuti adverſorum dilectioni adverſari minime debet, neceſſe eſt, ut didiceris odiſſe factum, diligere perſonam: id quod fieri poſſe, ſupra oſtendimus & uberrime declaravimus (§. 81. 82.). Quæ igitur in genere dicta ſunt, ad caſum ſpecialem præſentem facile applicantur. Cum ſermo prodat affectum (§. 752. 800. *part. 2. Phil. pract. univ.*); qui ea rite ponderare novit, haud difficulter deprehendet, utrum odium errorum nocentium extendatur in perſonam, nec ne, ut nimium ſimplices cenſendi, qui ſibi perſuadent, ut ſufficiat dicere ſe ſolo veritatis amore refutare alterum, facto proteſtationi contrario exiſtente: id quod de refutatione atque impugnatione erroris cujuscunque tenendum.

§. 114.

An absque ratione quendam odiſſe valeamus, aut non amare.

Si quis alterum odit, aut ſaltem amare nequit, neceſſe eſt ut detur ratio ſufficiens, cur oderit, vel amare nequeat. Nihil enim eſſe poteſt absque ratione ſufficiente, cur potius ſit, quam non ſit (§. 70. *Ontol.*). Quamobrem nec fieri poteſt, ut aliquem oderimus, aut ſaltem non amemus absque ratione ſufficiente, conſequenter ſi quis alterum odit, aut ſaltem amare nequit, neceſſe eſt, ut detur ratio ſufficiens, cur oderit, vel amare nequeat.

Equidem fieri poteſt, ut quis alterum oderit, aut ſaltem amare nequeat alterum, etſi ignoret, cur oderit, aut cur non

non amet; non tamen inde ſequitur, ut nulla detur odii vel amoris deficientis, aut repugnantiæ amandi alterum ratio: multa enim inſunt menti, quarum nobis conſcii minime ſumus & quæ tacite influunt in appetitum ſenſitivum atque averſationem & affectus concitant. Diſtingvimus inter odium & carentiam amoris: quamvis enim quis alterum non amet, ſi eundem odit, non tamen neceſſe eſt ut oderit, ſi non amet. Odium requirit rationem ſufficientem, carentia amoris nullam, niſi quando in te ſentis quandam repugnantiam, ne amare poſſis, etſi velis. Hujus enim repugnantiæ ratio detur neceſſe eſt. Quamobrem in propoſitione præſenti dicitur, quod quis alterum amare nequeat, non vero quod non amet. Qui nec amat, nec odit, indifferenti erga alterum animo eſt (§. 629. *part.* I. *Jur. nat.*): aſt ſi quis alterum amare nequit, utut eundem non oderit, indifferenti animo non eſt, ſed aliqua in eo jam obſervatur commotio averſationis ſenſitivæ, quæ reſiſtit, quo minus amor concitetur. Ratio igitur averſationem movens contraria eſſe debet rationi, quæ appetitum ſenſitivum ad amorem commovere poterat.

§. 115.

Quomodo ratio latens detegenda.

Quoniam neceſſe eſt, ut, ſi quis alterum oderit, aut amare nequeat, detur ratio ſufficiens, cur oderit vel amare nequeat (§. 114.); *ſi quis ignorat, quare alterum oderit, vel amet, ratio ſaltem latet.* Quamobrem cum hoc fiat, quia ad id, quod odium, vel repugnantiam, ne amare poſſimus, cauſatur, ob ſimul perceptorum multitudinem non attendimus, & ſtatus præteriti animæ vi imaginationis reſuſcitati in præſentem influunt tacite; *ut ratio detegatur, non modo excutienda ſunt ſingula, quæ in perſona percipiuntur, verum etiam inquirendum in ea, quæ vi imaginationis reproducuntur.* Et quia odium oritur ex eo, quod diſplicet (§. 674. *Pſych. empir.*), amor autem impeditur eo, quod nobis placere nequit (§. 645. *Pſych. empir.*),

Digitized by Google

empir.), ſed quodammodo diſplicet, diſplicet autem id, ex quo moleſtia percipitur, placere nequit id, ex quo nulla percipitur voluptas, & quodammodo jam diſplicet id, ex quo aliquid jam moleſtiæ percipitur (§. 542. *Pſych. empir.*); *probe obſervandum eſt, num in iis, quæ in præſenti percipiuntur, quidpiam deprehendatur, quod vel per ſe moleſtum accidit, vel cui vim moleſtiæ creatricem addit imaginatio ob quandam cum præteritis ſimilitudinem, quæ moleſtiam nobis creavere.*

Qui in Pſychologia ſatis verſatus eſt, ut dependentiam eorum, quæ in anima contingunt, a ſe invicem intimius perſpicere poſſit, ei in hiſce nihil difficultatis ſupererit: neque enim hic quicquam ſumitur, quod per principia pſychologica non ſit manifeſtum. In praxi morali cæcutiunt, qui naturam animæ perſpectam minime habent, aut non quantum ſatis. In Pſychologia aſſiduus eſſe debet, qui in praxi morali cognoſcenda inoffenſo pede progredi voluerit. Appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva dependent a perceptionibus ſenſuum & imaginationis, quatenus eædem vel voluptatem, vel moleſtiam afferunt (§. 156. *part. 2. Eth.*). In illis igitur quærenda ratio commotionum animi, quæ quantumvis lateat, ſemper tamen adeſt, detegenda a nobis non aliter, niſi perceptionum evolutione & eorum, quæ in iis continentur, ad nos relatione. Acumine omnino opus eſt ad hæc diſcernenda ſingulari, nonniſi exercitatione comparando: aſt qui voluntatem emendare vult, virtutes intellectuales, in quarum numero etiam acumen eſt (§. 182. *part. 1. Eth.*), acquirere tenetur (§. 147. *part. 1. Eth.*), nec ſine iis vera virtus, in qua nihil deficit, acquiri poteſt (§. 149. *part. 1. Eth.*). Imperfecta virtus arguit defectum virtutum intellectualium, & inprimis acuminis: quod videre haud difficile, ſi theoria virtutum intellectualium ex natura animæ deducta, qualem tradidimus in parte prima, familiaris extiterit. Non deſunt nobis experimenta, in quibus rationes latentes amoris & odii

Digitized by Google

eo, quem præſcribimus, modo indagavimus, cum quidam aſſererent, ſe amare, vel odiſſe perſonam, nec poſſe dicere quare, immo easdem interrogando ex ipſis elicuimus, ut confiterentur ſe jam dicere poſſe, quare ament, vel oderint. Ceterum eodem modo deteguntur rationes volitionum & nolitionum, ſi quis dicere nequit, quare velit, vel nolit, ſed ſe velle, quia vult, aut nolle, quia non vult. Ad impedimenta vero dilectionis univerſalis removenda quoque requiritur, ut rationes odii & averſionis amoris latentes detegere poſſimus: quod ut intelligatur, ſequentem addimus propoſitionem.

§. 116.

Neglectus investigandi rationes latentes odii, vel averſionis amoris impedimentum amoris univerſalis.

Amor univerſalis impeditur, ſi quis alios oderit, vel amare nequeat, quamvis dicere non poſſit quare, latentis vero odii, vel averſionis amoris rationes detegere negligit. Qui enim alios oderit, vel amare nequit, quamvis dicere non poſſit quare; is ſibi perſuadet, naturale ſibi eſſe ut quosdam oderit, vel amare nequeat, cumque nihil magis ſolenne ſit hominibus, quam ut alios ex ſe judicent, eam animo imbibit opinionem, hominem per naturam ſuam quosdam odio habere, vel ſaltem amare non poſſe. Nullam nimirum rationem adeſſe putans, quia nullam videt, naturæ ſuæ neceſſitati tribuit odium, vel averſionem amoris. Quodſi ergo rationem latentem detegere negligit, in ea opinione perſiſtit. Enimvero ſi quis perſuaſus eſt, per naturam hominis aliter fieri non poſſe, quam ut quosdam odio habeat, quosdam amare nequeat ſine ulla cauſa; is amorem univerſalem, quo omnes homines proſequi debemus, pro impoſſibili habet, conſequenter de eo ne quidem cogitabit, ut homines quoscunque tanquam ſeipſum amare ſtudeat. Amor itaque univerſalis impeditur, ſi quis alios oderit, vel amare nequeat, quamvis

Digitized by Google

vis non dicere poſſit quare, latentis vero odii, vel averſionis amoris rationes detegere negligit.

Non jam urgeo, quod, qui odio, vel averſioni amoris, cujus nullam rationem eſſe arbitratur, minime reſiſtit, odiſſe alios adſueſcat, ut tanto facilius eos oderit, ubi cauſa odii manifeſta eſt: id enim per ſe facile intelligitur. Eſt vero averſio amoris odium naſcens, ideoque ſupponit aliquid diſplicentiæ, quod ad ſuſcitandum vehementiorem averſationis ſenſitivæ actum nondum ſufficit, ſed eam ſaltem parumper movet. Odium hoc naſcens animum ab altero alienat, ut cupiditas ipſi inſerviendi concipi nequeat, cum ex adverſo odium natum gignat cupiditatem nocendi, accedente autem vel minima læſione, ſive vera, ſive putativa vires acquirit, ut animus, qui ſaltem non erat diſpoſitus ad inſerviendum alteri, ad nocendum diſponatur. Dilectio duo requirit, voluntatem inſerviendi & noluntatem nocendi. Atque ideo patet, non minus averſionem amoris, quam odium dilectioni repugnare. Cum vero plus ſit nocere alteri, quam non inſervire; odium eidem magis adverſatur, quam amoris averſio. Sunt equidem haud pauci, qui ſibi perſuadent, ſe nihil committere, quod reprehendi poſſit, ſi alteri inſervire nolint, modo non noceant. Aſt hi non perpendunt, legem naturæ non minus urgere, ut alteri inſerviamus, quam ne noceamus: multo minus autem conſiderant, lege naturali non minus prohiberi, ne alteri inſervire negligamus, quam ne noceamus. Quamvis enim denegatio officii humanitatis læſio non ſit (§. 671. *part. 1. Jur. nat.*), etiamſi in ſenſu ampliſſimo Juri naturæ conveniente ſumatur (§. 669. *part. 1. Jur. nat.*), peccatum tamen eſt (§. 672. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 117.

Quoniam amor univerſalis impeditur, ſi *rationes latentes odii, vel averſionis amoris* detegere negligamus (§. 116.), non tamen impoſſibile eſt, ut detegantur (§. 115.); qui amo- *De impedimento iſto tollendo.*

rem univerſalem curæ cordique habet, omnem operam dare debet, ut eaſdem *detegere diſcat*, *aut*, cum hoc a quolibet fieri minime poſſit, *ſaltem agnoſcat*, *adeſſe aliquam rationem*, *ob quam alterum odiſſe*, *vel amorem ejus averſari abſurdum ſit*, *vel ſi in ea opinione perſiſtat*, *quod nulla adſit*, *maxime abſurdum eſſe*, *ut aliquem oderimus*, *vel amare non poſſimus absque ulla ratione.* Quoniam enim nemo negare poteſt, hominem eſſe rationalem, naturæ quoque humanæ nihil magis adverſatur, quam ut absque ulla ratione aliquem oderimus, vel amare nequeamus, ſi vel maxime ſumamus, id fieri poſſe.

Quamvis arduum ac difficile ſit rationes latentes odii atque averſionis amoris detegere (§. 115.); ſubinde tamen non tanta difficultas eſt, quæ ſuperari non poſſit, modo animum advertamus ad perſonam, quam odimus, vel amare non poſſumus, & ſingula ſigillatim perpendamus, quæ ſimul percipiuntur, cum hoc modo facile detegatur, quodnam eorum diſplicentiæ cauſa ſit, qua odium, vel averſio amoris concitatur. Quodſi vero quis uno alteroque exemplo didicerit, adeſſe rationem, cum nullam adeſſe arbitraretur; certus jam erit, ab ignorantia ſua peti minime poſſe argumentum contra exiſtentiam ejus. Quodſi quis probare voluerit, adeſſe nullam; is non modo enumerare debet ſufficienter ſingula, quæ ſimul ſenſu percipiuntur, verum etiam non minus ſufficienter evolvere ea, quæ confuſa imaginatio ſuggerit, atque evincere nihil in hisce omnibus occurrere, quod quodammodo ſibi diſplicere poſſit (§. *cit.*). Quam arduus vero ſit hic demonſtrandi auſus, nemo non intelligit, certe minime in poteſtate eorum, qui tam præcipitanter ex ignorantia non exiſtentiam concludunt. Quantum enim deſideretur in ipſorum acumine, vel ex iis intelligitur, quæ modo diximus. Quod ratio latens, qualiscunque tandem fuerit, certe talis ſit, ob quem aliquem odiſſe, vel amare non poſſe abſurdum eſt; inde conficitur, quod conſiſtere nequeat in facto alteri imputa-

imputabili, nobis vero ullo modo præjudicante. Etenim ſi factum adeſſet, quo offenderemur, id ignorare non poteramus. Qui dicere nequit, quare alterum oderit, vel amare non poſſit, utique æquiparatur ei, qui abſque ulla ratione, ſi fieri poſſet, alterum odit, vel amare nequit. Si vero non agnoſcit, homini rationi prædito parum convenire, ut abſque ulla ratione alterum oderit, vel amare non poſſit, nec ideo odium depellere, naſcens vero in ipſo ortu ſuffocare conetur; naturam hominis irreſiſtibilem facit, & hominem in machinam convertit incautus incidens in abſurdiſſimam Materialiſtarum hypotheſin. Hoc errore ſi quis imbutus fuerit, ſurdo narrabis fabulam, quæcunque contra odium, vel averſionem amoris abſque ulla ratione manifeſta in medium protuleris. Eradicandus error eſt, antequam ei ſaniora perſuadere poſſis.

§. 118.

Quod dilectio propter Deum non ferat odium, vel averſionem amoris ob rationem latentem.

Dilectio aliorum propter Deum odio, vel averſioni amoris ob latentes rationes nullum concedit locum. Qui enim alios amat propter Deum, facta quidem odio habet, perſonam tamen amat & diligit (§. 82.), conſequenter odiſſe nequit (§. 623. *part. 1. Jur. nat.*). Quodſi odium concitetur ob rationem latentem, vel averſio amoris, ignorat utrum quid in perſona jure diſpliceat, nec ne, conſequenter an id odio habendum ſit. Quamvis vero ſumat, id tale eſſe, ut odio recte habeatur, vel amari non poſſit, hoc tamen non obſtante odium, vel amoris averſionem in ipſam perſonam non extendit. Quamobrem dilectio aliorum propter Deum odio, vel averſioni amoris ob latentes rationes nullum concedit locum.

Aliud omnino eſt odiſſe, vel amare non poſſe quidpiam, quod perſonæ inhæret, aliud vero odiſſe, vel amare non poſſe perſonam. Prius dilectioni non officit, ſed voluntatem inſerviendi alteri prorſus intactam relinquit; poſterius dile-

Digitized by Google

ctionem tollit, vel ſaltem mutilat, quatenus animum vel ad nocendum diſponit, vel a præſtatione officiorum avertit. Quamobrem ſi quis diligat alios propter Deum, etſi putet quidpiam inhærere perſonæ, quod odio habendum, vel amari nequeat, non tamen propterea voluntatem alteri inſerviendi, quantum poteſt, nec ullo modo nocendi minime mutat. Odium igitur perſonæ, quamprimum oritur, ſupprimit, & repugnantiam, quam ſentit, ne amet, vincit, quamvis in dubio relinquere cogatur, quidnam ſit illud, quod diſplicentia ſui odium, vel averſionem amoris cauſetur.

§. 119.

De odio pro vitio ſumto. Vitium, quod charitati opponitur, peculiari nomine deſtituitur, vocaturque *Odium*, perinde ac affectus, qui opponitur amori pro affectu ſumto, ſicuti etiam vulgo amare & diligere promiſcue uſurpantur. Quemadmodum vero *Charitas* tanquam virtus conſiſtit in habitu alios diligendi tanquam ſeipſum (§. 620. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter omni ſtudio id agendi, ut alii ſint felices, ac cavendi, ne fiant infelices (§. 617. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque ſupponit in appetitu ſenſitivo amorem tanquam affectum, quo aliorum felicitate delectamur (§. 633. *Pſych. empir.*); ita *Odium* tanquam vitium charitati oppoſitum conſiſtit in habitu aliorum infelicitatem promovendi, conſequenter ipſis moleſtiam ſeu tædia creandi (§. 639. *Pſych. empir.*), ideoque ſupponit in appetitu ſenſitivo odium tanquam affectum, quo aliorum infelicitate delectamur (§. 661. *Pſych. empir.*). Quodſi ad hanc differentiam animum attendamus, *ex ſubſtrata materia intelligitur, utrum odium ſumatur pro affectu, an pro vitio.* Definiendum vero eſt *Odium* tanquam vitium charitati oppoſitum per voluntatem conſtantem & perpetuam aliorum infelicitatem promovendi: cum qua etſi ſemper conjuncta ſit noluntas

ejus,

ejus, quem odimus, felicitatem promovendi, attamen hæc abſque illa ſubſiſtere poteſt, ut ideo peculiari nomine diſtingvi mereretur. Indifferentem in alios animum diximus, qui & amore, & odio vacuus eſt (§. 629. *part. 1. Jur. nat.*), & ex hac indifferentia naſcitur tum carentia charitatis, tum carentia odii, ut neque adſit voluntas alterius felicitatem promovendi, neque voluntas alterius infelicitatem promovendi: aſt cum nuda volitionis omiſſio nondum ſit nolitio (§. 884. *Pſych. empir.*), noluntas quoque felicitatem alterius promovendi, conſequenter etiam infelicitatem depellendi, ſejuncta a voluntate infelicitatem alterius promovendi, non dicit nudam charitatis carentiam & odii pro vitio accepti abſentiam. Vitio huic in appetitu ſenſitivo reſpondet averſio amoris, quam diximus in anterioribus, & quæ conſiſtit in quadam repugnantia adverſus amorem alterius, ut ideo nolimus alterius felicitatem promovere, aut infelicitatem avertere, quia ipſum amare non poſſumus, cum ex adverſo qui indifferenti erga alterum animo eſt, utrumque facere negligat, quia non amat: differunt enim juxta anteriora non amare & amare non poſſe. Quemadmodum vero amoris averſio odium quoddam naſcens eſt (*not.* §. 116.), veluti, ut ſic dicam, odii embryo; ita vitium ipſi oppoſitum eſt quaſi odium pro vitio ſumtum naſcens, ut ſubſiſtat in noluntate felicitatem alterius promovendi, non vero extendatur ad voluntatem ejus infelicitatem promovendi. Quamvis itaque deſint nomina, quibus vitia charitatis oppoſita ſatis a ſe invicem diſtingvere velimus; in praxi tamen morali differentia iſta probe attendenda.

Non eſt quod miremur, deficere vocabula, quibus indigitantur quotidie obvia. Conſtat enim vulgum vocabula inveniſſe, nec minus exploratum eſt, vulgum non ſufficiente

uti

uti acumine ad diſcernendum ea, quorum differentia ſenſui non per ſe obvia eſt. Nolumus tamen fingere vocabula, ne litigiis inanibus de vocabulis anſam demus, quibus res ipſa in dubitationem adducitur, præſertim cum lingva Latina parum apta ſit ad nova vocabula condenda, nec facile inveniantur, quæ absque æquivocatione ob aliquam ſimilitudinem ad ea ſignificanda trahi poſſunt, quæ peculiaria nomina mererentur. Appellet unusquisque per nos ea, quæ diſtingvimus, quomodo libuerit, modo rem ipſam teneat. Ne vero exiſtimet ſubtilitates fingi inanes, animum ſaltem ſuum excutiat & verba aliorum ponderet, qui eundem produnt: neque ullus dubito fore, ut differentias, quas hic inculcamus, videat, ſi vel maxime in Pſychologia non adeo fuerit verſatus, ut perſpicere poſſit, quomodo per facultates animæ diverſæ illæ animi modificationes ſint poſſibiles. Odii pro vitio ſumti exemplum habemus in gentibus barbaris, quæ artem piraticam exercent & quarum malitia eo usque procedit, ut infortunio quodam, veluti infelici naufragio, in manus ipſorum delapſos duriter atque immaniter tractent, & in gravem triſtemque ſervitutem abſtrahant. Habemus exemplum in prædonibus & latronibus, qui in ſpoliatos ſæviunt non alia de cauſa, quam quia aliena miſeria delectantur. Quamvis vero tanta non ſit omnium malitia, qui odio habent alios, ſeu voluntatem nocendi aliis, cum malitiæ in quolibet vitio dentur gradus, ut ideo quantitas æſtimationem recipiat, non tamen inconſultum eſt, ut vitium intime perſpecturus mentis aciem convertat in exempla, in quibus malitia ad ſummum proceſſiſſe videtur, ut ea major vix concipi poſſe videatur. Ceteroquin ubivis obvia ſunt exempla eorum, qui aliena infelicitate delectantur habentque voluntatem nocendi aliis, modo non deſit occaſio, aut peculiares obſtent rationes, ob quas actus externus reprimitur. Experientiam vero, optimam quoque in hisce rerum magiſtram, conſulentes abunde docebimur, dari non modo homines, qui aliorum felicitatem & infelicitatem parum curant, ut ipſis perinde ſit, ſive

ſive alii ſint felices, ſive infelices, ideoque nec aliis inſerviant, nec noceant, verum etiam alios, qui quidem nocendi voluntatem minime habent, in noluntate tamen aliis inſerviendi, ſeu officium quoddam præſtandi firmiter perſiſtunt, aſſeverantes ſe quidem nullo modo ipſis ægre facturos, nullo tamen quoque modo ſe adduci paſſuros, ut ſe utiles ipſis præbeant, ſi vel maxime auxilio ſuo indigeant. Quodſi dicas, poſſe ad odium referri tam voluntatem nocendi, quam noluntatem inſerviendi, quemadmodum ad charitatem refertur voluntas tam promovendi felicitatem, quam depellendi infelicitatem; non nego hoc fieri poſſe, ſed diſtingvendum tunc erit inter odium plenum & minus plenum, ut *odium plenum* dicatur, quod cum noluntate inſerviendi nocendi voluntatem conjunctam habet; *odium* autem *minus plenum*, quando noluntas inſerviendi a voluntate nocendi ſejuncta eſt. Hoc vero modo reipſa duo vitia agnoſcis, quorum unum ab altero diſcernendum, nec ullus in re ipſa eſt diſſenſus.

§. 120.

Quænam ſint vitia charitati oppoſita.

Non minus noluntas aliorum felicitatem promovendi, quam voluntas infelicitatem promovendi vitium eſt: immo etiam indifferens erga alios minus vitium eſt. Etenim lex naturæ vult, ut conſtantem ac perpetuam habeamus voluntatem felicitatem alterius cujuscunque promovendi (§. 615. *part. 1. Jur. nat.*), & ut impediamus, quantum in nobis eſt, ne alii ſint infelices (§. 614. *part. 1. Jur. nat.*). Eidem igitur non minus repugnat noluntas aliorum felicitatem promovendi, quam voluntas infelicitatem promovendi. Quoniam itaque habitus omnis legi naturæ repugnans vitium eſt (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*); non minus noluntas felicitatem aliorum promovendi, quam voluntas infelicitatem promovendi vitium eſt. *Quod erat unum.*

Prohibet quoque lex naturæ, ne indifferenti erga alios animo ſimus (§. 630. *part. 1. Jur nat.*). Quoniam itaque ani-mus erga alios indifferens legi naturæ contrarius eſt, omnis autem habitus legi naturæ contrarius vitium eſt (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*); animus erga alios indifferens vitium eſt. *Quod erat alterum.*

Multi ſibi perſuadent, ſe nihil committere, quod ſit charitati adverſum, modo nemini noceant, ideoque non agnoſcunt, vitium eſſe, ſi voluntas nocendi a noluntate inſerviendi ſejungatur, aut animus prorſus indifferens ſit, neque ad nocendum, neque ad inſerviendum aliis diſpoſitus. Notum hinc eſt proverbium, **Ein jeder vor ſich, GOtt vor uns alle,** quo dicitur, quemlibet ſibi ipſi, Deum vero omnibus providere debere. Optimum eſſe putant ſibi ſoli vivere, & parum curare, quæ ſunt alterius. Oſtendendum igitur erat, non minus noluntatem felicitatem aliorum promovendi, quam voluntatem aliorum infelicitatem promovendi vitium eſſe, immo ipſum animum indifferentem, qui neque ad promovendam felicitatem, nec infelicitatem aliorum diſpoſitus eſt, in vitiorum numerum referendum eſſe. Ne vero quis per præcipitantiam judicans exiſtimet, definitionem vitii, quod per habitum definitur (§. 322. *part. 1. Jur. nat.*), perperam applicari ad noluntatem aliorum felicitatem promovendi ſejunctam a voluntate infelicitatem promovendi, ipſumque indifferentem erga alios animum, tenendum eſt, quando voluntas, vel noluntas de vitio dicitur, ſupponi conſtantiam & perpetuitatem ejus (§. 329. *part. 1. Phil. pract. univ.*), voluntatem autem conſtantem & perpetuam ſine habitu, agendi promptitudine (§. 428. *Pſych. empir.*), concipi non poſſe. Quamobrem ex eo quoque, quod vitium ſit habitus, demonſtravimus, in eo adeſſe voluntatem conſtantem & perpetuam committendi actionem legi naturæ contrariam (§. 329. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Noluntas vero committendi, quod lege

lege naturæ præcipitur, continet voluntatem committendi, quod eidem contrarium.

§. 121.

Qui exiſtimat, ſe ſibi ſoli, non vero aliis vivere, indifferenti erga alios animo eſt, & ex adverſo qui indifferenti erga alios animo eſt exiſtimat, quod ſibi ſoli vivere liceat. Qui enim exiſtimat, ſe ſibi ſoli, non vero aliis vivere, omnem aliorum curam abjicit, parum ſollicitus, utrum alii ſint felices, nec ne, neque de eo cogitans, num ad eorum felicitatem, an infelicitatem quicquam conferre poſſit. Perinde igitur ipſi eſt, utrum alii ſint felices, an infelices, neque eorum felicitate, nec infelicitate delectatur, conſequenter animus non minus amore, quam odio aliorum vacuus eſt (§. 633. 661. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum indifferente in alterum animo ſit, qui alterum nec amat, nec odit (§. 629. *part. 1. Jur. nat.*); qui exiſtimat ſe ſibi ſoli, non vero aliis vivere, indifferenti erga alios animo eſt. *Quod erat unum.*

Unde oriatur animus erga alios indifferens.

Quodſi quis indifferenti erga alterum animo eſt, eum nec amat, nec odit (§. 629. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter nec felicitate, nec infelicitate alterius delectatur (§. 633. 661. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque ipſi perinde eſt, ſive alii ſint felices, ſive infelices, curam aliorum prorſus abjicit, nemini nocens, nemini inſerviens. Quamobrem cum ſibi ſoli vivat, non aliis, qui, quamvis nemini noceat, nemini tamen quoque ullo modo inſervit; qui indifferenti erga alios animo eſt, utique exiſtimat, quod ſibi ſoli vivere liceat. *Quod erat alterum.*

Animi indifferentis erga alios primaria cauſa eſt opinio, quod ſibi ſoli liceat vivere. Ea enim animum avertit ab aliis, ut eorum felicitatem tanquam rem ad nos minime pertinen-

Digitized by Google

tem ſpectemus, quæ nobis curæ eſſe debet. Cumque accedat animus ab omni facto alienus, quo alteri noceri poteſt, cujus nobis conſcii ſumus, dum alios ægre facientes aliis obſervamus; opinionis falſitatem tanto minus agnoſcimus charitati adverſam. Quamdiu autem indifferentia animi ſubſiſtit, facta iſta improbantur, quatenus ea ad nos relata averſamur, nolentes ut faciant alii, quod nos non facimus, & quod nobis ab aliis fieri nollemus. Niſi autem ſingularis adfuerit ratio, quæ attentionem ad ea excitet, ne quidem animus ad ea attenditur.

§. 122.

Quomodo caveatur, ne opinio iſta noceat dilectioni.

Quoniam qui exiſtimat ſe ſibi ſoli, non vero aliis vivere, indifferente erga alios animo eſt (§. 121.); *ne perverſa iſta opinio, quaſi nobis ſolis vivamus, animum erga alios indifferentem reddat, probe conſiderandum eſt, quod nemo hominum ſolus ſe ſtatumque ſuum perficere poſſit, ſed unusquisque aliorum auxilio indigeat, nec niſi conjunctis viribus perfectio iſta obtineri queat* (§. 220. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *contrahenda conſuetudo omnes actiones noſtras ad utilitatem aliorum referendi* (*not.* §. 19.61.) & *inprimis perpendendum, quod alios diligere debeamus propter Deum, ſi perſonam nobis impoſitam recte gerere velimus* (§. 69.).

Indifferentia animi erga alios officit dilectioni univerſali, cum cauſetur neglectum officiorum, quibus aliis nos utiles præbemus. Eam cum gignat opinio, quaſi nobis ſolis nati ſimus & liceat nobis ſaltem vivere, non vero aliis; eadem opinio eſt impedimentum dilectionis univerſalis & charitati, quæ in habitu alios diligendi conſiſtit (§. 620. *part.* 1. *Jur. nat.*), plurimum officit. Omnia vitia ſunt impedimenta virtutum, quibus opponuntur. Certe opiniones, quæ vitia alunt, obſtant quoque, quo minus virtus gignatur. Eradicandæ igitur ſunt, ne ad vitia nos ſeducant & aditum ad virtutem præcludant. Quamobrem remedia vitiorum ſunt ſimul

remo-

Digitized by Google

remotiones impedimentorum virtutis. Qui opinatur, ſe ſibi ſoli vivere, ignorat quid & qualis ſit homo. Non perpendit, quod homo ſit creatura Dei (§. 782. *part. 1. Theol. nat.*), condita in eum finem, ut gloriam Dei promoveat (§. 115. *part. 3. Eth.*). Gloria vero Dei dilectione aliorum promovetur non modo per alios (§. 70.), verum etiam per ſe, quatenus alii diliguntur propter Deum (§. 63. 64.). Neque etiam perpendit hominem nullum ſibi ſoli ſufficere, ut eam perfectionem conſequatur, ſine qua fieri nequit ut fruatur felicitate, cujus compos fieri poteſt. Neceſſe igitur eſt, ut ſeipſum noſcere diſcat, quemadmodum prolixe oſtendimus integro capite primo partis quartæ. Neglectus ſtudii ſeipſum noſcendi perverſæ iſti opinioni locum facit. Sua veluti ſponte in auram abit, ſi nos intimius noſcere ſtudeamus. Opinio autem hæc tacite ſeſe inſinuat noſtris animis, dum non perpendimus, quomodo perfectio noſtra ſtatusque noſtri dependeat ab aliis. Quamobrem dum ad eandem omnem attentionem retrahimus; dependentiam ab aliorum ope non advertimus. Oſcitantiæ itaque huic medemur, ſi actiones noſtras omnes ad alios referre ſtudeamus, ut diſcamus non tantum, quomodo ea, quæ nobis proſunt, ab aliorum ſtudio atque labore dependeant, ſed & quomodo aliis nos utiles præbeamus, dum ea facimus, quæ nobis proſunt. Ita nimirum nexum officiorum erga ſe ipſum cum officiis erga alios perſpicimus, & quam arcto vinculo dilectio ſui cum dilectione aliorum connectatur diſcimus. Multa ſunt paſſim demonſtrata, quæ hanc opinionem charitati inſidioſam radicitus evellunt, & abſurditatem ejus abunde probant; ſed nimis prolixum foret, ſi omnia hic congerere vellemus. Non magna deprehenditur efficacia remediorum adverſus vitia particularia, niſi quis voluntatem perficere & omni virtuti acquirendæ ſtudeat, &, ſi verum fatendum, ea magis proſunt ad cohibendum actus externos, quando appetitus vitiis ſollicitatur, quam ad emendandum voluntatem, ut vitium ipſum extirpetur. Id tamen præſtant, ut ad animum ſanandum inci-

 temur

rem univerſalem curæ cordique habet, *omnem operam dare debet*, *ut* eaſdem *detegere diſcat*, *aut*, cum hoc a quolibet fieri minime poſſit, *ſaltem agnoſcat*, *adeſſe aliquam rationem*, *ob quam alterum odiſſe*, *vel amorem ejus averſari abſurdum ſit*, *vel ſi in ea opinione perſiſtat*, *quod nulla adſit*, *maxime abſurdum eſſe*, *ut aliquem oderimus*, *vel amare non poſſimus absque ulla ratione.* Quoniam enim nemo negare poteſt, hominem eſſe rationalem, naturæ quoque humanæ nihil magis adverſatur, quam ut absque ulla ratione aliquem oderimus, vel amare nequeamus, ſi vel maxime ſumamus, id fieri poſſe.

Quamvis arduum ac difficile ſit rationes latentes odii atque averſionis amoris detegere (§. 115.); ſubinde tamen non tanta difficultas eſt, quæ ſuperari non poſſit, modo animum advertamus ad perſonam, quam odimus, vel amare non poſſumus, & ſingula ſigillatim perpendamus, quæ ſimul percipiuntur, cum hoc modo facile detegatur, quodnam eorum diſplicentiæ cauſa ſit, qua odium, vel averſio amoris concitatur. Quodſi vero quis uno alteroque exemplo didicerit, adeſſe rationem, cum nullam adeſſe arbitraretur; certus jam erit, ab ignorantia ſua peti minime poſſe argumentum contra exiſtentiam ejus. Quodſi quis probare voluerit, adeſſe nullam; is non modo enumerare debet ſufficienter ſingula, quæ ſimul ſenſu percipiuntur, verum etiam non minus ſufficienter evolvere ea, quæ confuſa imaginatio ſuggerit, atque evincere nihil in hiſce omnibus occurrere, quod quodammodo ſibi diſplicere poſſit (§. *cit.*). Quam arduus vero ſit hic demonſtrandi auſus, nemo non intelligit, certe minime in poteſtate eorum, qui tam præcipitanter ex ignorantia non exiſtentiam concludunt. Quantum enim deſideretur in ipſorum acumine, vel ex iis intelligitur, quæ modo diximus. Quod ratio latens, qualiscunque tandem fuerit, certe talis ſit, ob quem aliquem odiſſe, vel amare non poſſe abſurdum eſt; inde conficitur, quod conſiſtere nequeat in facto alteri imputa-

imputabili, nobis vero ullo modo præjudicante. Etenim ſi factum adeſſet, quo offenderemur, id ignorare non poteramus. Qui dicere nequit, quare alterum oderit, vel amare non poſſit, utique æquiparatur ei, qui abſque ulla ratione, ſi fieri poſſet, alterum odit, vel amare nequit. Si vero non agnoſcit, homini rationi prædito parum convenire, ut abſque ulla ratione alterum oderit, vel amare non poſſit, nec ideo odium depellere, naſcens vero in ipſo ortu ſuffocare conetur; naturam hominis irreſiſtibilem facit, & hominem in machinam convertit incautus incidens in abſurdiſſimam Materialiſtarum hypotheſin. Hoc errore ſi quis imbutus fuerit, ſurdo narrabis fabulam, quæcunque contra odium, vel averſionem amoris abſque ulla ratione manifeſta in medium protuleris. Eradicandus error eſt, antequam ei ſaniora perſuadere poſſis.

§. 118.

Quod dilectio propter Deum non ferat odium, vel averſionem amoris ob rationem latentem.

Dilectio aliorum propter Deum odio, vel averſioni amoris ob latentes rationes nullum concedit locum. Qui enim alios amat propter Deum, facta quidem odio habet, perſonam tamen amat & diligit (§. 82.), conſequenter odiſſe nequit (§. 623. *part. 1. Jur. nat.*). Quodſi odium concitetur ob rationem latentem, vel averſio amoris, ignorat utrum quid in perſona jure diſpliceat, nec ne, conſequenter an id odio habendum ſit. Quamvis vero ſumat, id tale eſſe, ut odio recte habeatur, vel amari non poſſit, hoc tamen non obſtante odium, vel amoris averſionem in ipſam perſonam non extendit. Quamobrem dilectio aliorum propter Deum odio, vel averſioni amoris ob latentes rationes nullum concedit locum.

Aliud omnino eſt odiſſe, vel amare non poſſe quidpiam, quod perſonæ inhæret, aliud vero odiſſe, vel amare non poſſe perſonam. Prius dilectioni non officit, ſed voluntatem inſerviendi alteri prorſus intactam relinquit; poſterius dile-

uti acumine ad diſcernendum ea, quorum differentia ſenſui non per ſe obvia eſt. Nolumus tamen fingere vocabula, ne litigiis inanibus de vocabulis anſam demus, quibus res ipſa in dubitationem adducitur, præſertim cum lingva Latina parum apta ſit ad nova vocabula condenda, nec facile inveniantur, quæ absque æquivocatione ob aliquam ſimilitudinem ad ea ſignificanda trahi poſſunt, quæ peculiaria nomina merentur. Appellet unusquisque per nos ea, quæ diſtingvimus, quomodo libuerit, modo rem ipſam teneat. Ne vero exiſtimet ſubtilitates fingi inanes, animum ſaltem ſuum excutiat & verba aliorum ponderet, qui eundem produnt: neque ullus dubito fore, ut differentias, quas hic inculcamus, videat, ſi vel maxime in Pſychologia non adeo fuerit verſatus, ut perſpicere poſſit, quomodo per facultates animæ diverſæ illæ animi modificationes ſint poſſibiles. Odii pro vitio ſumti exemplum habemus in gentibus barbaris, quæ artem piraticam exercent & quarum malitia eo usque procedit, ut infortunio quodam, veluti infelici naufragio, in manus ipſorum delapſos duriter atque immaniter tractent, & in gravem triſtemque ſervitutem abſtrahant. Habemus exemplum in prædonibus & latronibus, qui in ſpoliatos ſæviunt non alia de cauſa, quam quia aliena miſeria delectantur. Quamvis vero tanta non ſit omnium malitia, qui odio habent alios, ſeu voluntatem nocendi aliis, cum malitiæ in quolibet vitio dentur gradus, ut ideo quantitas æſtimationem recipiat, non tamen inconſultum eſt, ut vitium intime perſpecturus mentis aciem convertat in exempla, in quibus malitia ad ſummum proceſſiſſe videtur, ut ea major vix concipi poſſe videatur. Ceteroquin ubivis obvia ſunt exempla eorum, qui aliena infelicitate delectantur habentque voluntatem nocendi aliis, modo non deſit occaſio, aut peculiares obſtent rationes, ob quas actus externus reprimitur. Experientiam vero, optimam quoque in hisce rerum magiſtram, conſulentes abunde docebimur, dari non modo homines, qui aliorum felicitatem & infelicitatem parum curant, ut ipſis perinde ſit, ſive

ſive alii ſint felices, ſive infelices, ideoque nec aliis inſerviant, nec noceant, verum etiam alios, qui quidem nocendi voluntatem minime habent, in noluntate tamen aliis inſerviendi, ſeu officium quoddam præſtandi firmiter perſiſtunt, aſſeverantes ſe quidem nullo modo ipſis ægre facturos, nullo tamen quoque modo ſe adduci paſſuros, ut ſe utiles ipſis præbeant, ſi vel maxime auxilio ſuo indigeant. Quodſi dicas, poſſe ad odium referri tam voluntatem nocendi, quam noluntatem inſerviendi, quemadmodum ad charitatem refertur voluntas tam promovendi felicitatem, quam depellendi infelicitatem; non nego hoc fieri poſſe, ſed diſtingvendum tunc erit inter odium plenum & minus plenum, ut *odium plenum* dicatur, quod cum noluntate inſerviendi nocendi voluntatem conjunctam habet; *odium* autem *minus plenum*, quando noluntas inſerviendi a voluntate nocendi ſejuncta eſt. Hoc vero modo reipſa duo vitia agnoſcis, quorum unum ab altero diſcernendum, nec ullus in re ipſa eſt diſſenſus.

§. 120.

Quænam ſint vitia charitati oppoſita.

Non minus noluntas aliorum felicitatem promovendi, quam voluntas infelicitatem promovendi vitium eſt: immo etiam indifferens erga alios animus vitium eſt. Etenim lex naturæ vult, ut conſtantem ac perpetuam habeamus voluntatem felicitatem alterius cujuscunque promovendi (§. 615. *part. 1. Jur. nat.*), & ut impediamus, quantum in nobis eſt, ne alii ſint infelices (§. 614. *part. 1. Jur. nat.*). Eidem igitur non minus repugnat noluntas aliorum felicitatem promovendi, quam voluntas infelicitatem promovendi. Quoniam itaque habitus omnis legi naturæ repugnans vitium eſt (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*); non minus noluntas felicitatem aliorum promovendi, quam voluntas infelicitatem promovendi vitium eſt. *Quod erat unum.*

Digitized by Google

Prohibet quoque lex naturæ, ne indifferenti erga alios animo ſimus (§. 630. *part. 1. Jur nat.*). Quoniam itaque animus erga alios indifferens legi naturæ contrarius eſt, omnis autem habitus legi naturæ contrarius vitium eſt (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*); animus erga alios indifferens vitium eſt. *Quod erat alterum.*

Multi ſibi perſuadent, ſe nihil committere, quod ſit charitati adverſum, modo nemini noceant, ideoque non agnoſcunt, vitium eſſe, ſi voluntas nocendi a noluntate inſerviendi ſejungatur, aut animus prorſus indifferens ſit, neque ad nocendum, neque ad inſerviendum aliis diſpoſitus. Notum hinc eſt proverbium, **Ein jeder vor ſich, GOtt vor uns alle,** quo dicitur, quemlibet ſibi ipſi, Deum vero omnibus providere debere. Optimum eſſe putant ſibi ſoli vivere, & parum curare, quæ ſunt alterius. Oſtendendum igitur erat, non minus noluntatem felicitatem aliorum promovendi, quam voluntatem aliorum infelicitatem promovendi vitium eſſe, immo ipſum animum indifferentem, qui neque ad promovendam felicitatem, nec infelicitatem aliorum diſpoſitus eſt, in vitiorum numerum referendum eſſe. Ne vero quis per præcipitantiam judicans exiſtimet, definitionem vitii, quod per habitum definitur (§. 322. *part. 1. Jur. nat.*), perperam applicari ad noluntatem aliorum felicitatem promovendi ſejunctam a voluntate infelicitatem promovendi, ipſumque indifferentem erga alios animum, tenendum eſt, quando voluntas, vel noluntas de vitio dicitur, ſupponi conſtantiam & perpetuitatem ejus (§. 329. *part. 1. Phil. pract. univ.*), voluntatem autem conſtantem & perpetuam ſine habitu, agendi promptitudine (§. 428. *Pſych. empir.*), concipi non poſſe. Quamobrem ex eo quoque, quod vitium ſit habitus, demonſtravimus, in eo adeſſe voluntatem conſtantem & perpetuam committendi actionem legi naturæ contrariam (§. 329. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Noluntas vero committendi, quod lege

Digitized by Google

lege naturæ præcipitur, continet voluntatem committendi, quod eidem contrarium.

§. 121.

Qui exiſtimat, ſe ſibi ſoli, non vero aliis vivere, indifferenti erga alios animo eſt, & ex adverſo *qui indifferenti erga alios animo eſt exiſtimat, quod ſibi ſoli vivere liceat.* Qui enim exiſtimat, ſe ſibi ſoli, non vero aliis vivere, omnem aliorum curam abjicit, parum ſollicitus, utrum alii ſint felices, nec ne, neque de eo cogitans, num ad eorum felicitatem, an infelicitatem quicquam conferre poſſit. Perinde igitur ipſi eſt, utrum alii ſint felices, an infelices, neque eorum felicitate, nec infelicitate delectatur, conſequenter animus non minus amore, quam odio aliorum vacuus eſt (§. 633. 661. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum indifferente in alterum animo ſit, qui alterum nec amat, nec odit (§. 629. *part. 1. Jur. nat.*); qui exiſtimat ſe ſibi ſoli, non vero aliis vivere, indifferenti erga alios animo eſt. *Quod erat unum.*

Unde oriatur animus erga alios indifferens.

Quodſi quis indifferenti erga alterum animo eſt, eum nec amat, nec odit (§. 629. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter nec felicitate, nec infelicitate alterius delectatur (§. 633. 661. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque ipſi perinde eſt, ſive alii ſint felices, ſive infelices, curam aliorum prorſus abjicit, nemini nocens, nemini inſerviens. Quamobrem cum ſibi ſoli vivat, non aliis, qui, quamvis nemini noceat, nemini tamen quoque ullo modo inſervit; qui indifferenti erga alios animo eſt, utique exiſtimat, quod ſibi ſoli vivere liceat. *Quod erat alterum.*

Animi indifferentis erga alios primaria cauſa eſt opinio, quod ſibi ſoli liceat vivere. Ea enim animum avertit ab aliis, ut eorum felicitatem tanquam rem ad nos minime pertinentem

 tem

tem ſpectemus, quæ nobis curæ eſſe debet. Cumque accedat animus ab omni facto alienus, quo alteri noceri poteſt, cujus nobis conſcii ſumus, dum alios ægre facientes aliis obſervamus; opinionis falſitatem tanto minus agnoſcimus charitati adverſam. Quamdiu autem indifferentia animi ſubſiſtit, facta iſta improbantur, quatenus ea ad nos relata averſamur, nolentes ut faciant alii, quod nos non facimus, & quod nobis ab aliis fieri nollemus. Niſi autem ſingularis adfuerit ratio, quæ attentionem ad ea excitet, ne quidem animus ad ea attenditur.

§. 122.

Quomodo caveatur, ne opinio iſta noceat dilectioni.

Quoniam qui exiſtimat ſe ſibi ſoli, non vero aliis vivere, indifferente erga alios animo eſt (§. 121.); *ne perverſa iſta opinio, quaſi nobis ſolis vivamus, animum erga alios indifferentem reddat, probe conſiderandum eſt, quod nemo hominum ſolus ſe ſtatumque ſuum perficere poſſit, ſed unusquisque aliorum auxilio indigeat, nec niſi conjunctis viribus perfectio iſta obtineri queat* (§. 220. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *contrahenda conſuetudo omnes actiones noſtras ad utilitatem aliorum referendi* (*not.* §. 19. 61.) & *inprimis perpendendum, quod alios diligere debeamus propter Deum, ſi perſonam nobis impoſitam recte gerere velimus* (§. 69.).

Indifferentia animi erga alios officit dilectioni univerſali, cum cauſetur neglectum officiorum, quibus aliis nos utiles præbemus. Eam cum gignat opinio, quaſi nobis ſolis nati ſimus & liceat nobis ſaltem vivere, non vero aliis; eadem opinio eſt impedimentum dilectionis univerſalis & charitati, quæ in habitu alios diligendi conſiſtit (§. 620. *part.* 1. *Jur. nat.*), plurimum officit. Omnia vitia ſunt impedimenta virtutum, quibus opponuntur. Certe opiniones, quæ vitia alunt, obſtant quoque, quo minus virtus gignatur. Eradicandæ igitur ſunt, ne ad vitia nos ſeducant & aditum ad virtutem præcludant. Quamobrem remedia vitiorum ſunt ſimul

remo-

remotiones impedimentorum virtutis. Qui opinatur, ſe ſibi ſoli vivere, ignorat quid & qualis ſit homo. Non perpendit, quod homo ſit creatura Dei (§. 782. *part. 1. Theol. nat.*), condita in eum finem, ut gloriam Dei promoveat (§. 115. *part. 3. Eth.*). Gloria vero Dei dilectione aliorum promovetur non modo per alios (§. 70.), verum etiam per ſe, quatenus alii diliguntur propter Deum (§. 63. 64.). Neque etiam perpendit hominem nullum ſibi ſoli ſufficere, ut eam perfectionem conſequatur, ſine qua fieri nequit ut fruatur felicitate, cujus compos fieri poteſt. Neceſſe igitur eſt, ut ſeipſum noſcere diſcat, quemadmodum prolixe oſtendimus integro capite primo partis quartæ. Neglectus ſtudii ſeipſum noſcendi perverſæ iſti opinioni locum facit. Sua veluti ſponte in auram abit, ſi nos intimius noſcere ſtudeamus. Opinio autem hæc tacite ſeſe inſinuat noſtris animis, dum non perpendimus, quomodo perfectio noſtra ſtatusque noſtri dependeat ab aliis. Quamobrem dum ad eandem omnem attentionem retrahimus; dependentiam ab aliorum ope non advertimus. Oſcitantiæ itaque huic medemur, ſi actiones noſtras omnes ad alios referre ſtudeamus, ut diſcamus non tantum, quomodo ea, quæ nobis proſunt, ab aliorum ſtudio atque labore dependeant, ſed & quomodo aliis nos utiles præbeamus, dum ea facimus, quæ nobis proſunt. Ita nimirum nexum officiorum erga ſe ipſum cum officiis erga alios perſpicimus, & quam arcto vinculo dilectio ſui cum dilectione aliorum connectatur diſcimus. Multa ſunt paſſim demonſtrata, quæ hanc opinionem charitati inſidioſam radicitus evellunt, & abſurditatem ejus abunde probant; ſed nimis prolixum foret, ſi omnia hic congerere vellemus. Non magna deprehenditur efficacia remediorum adverſus vitia particularia, niſi quis voluntatem perficere & omni virtuti acquirendæ ſtudeat, &, ſi verum fatendum, ea magis proſunt ad cohibendum actus externos, quando appetitus vitiis ſollicitatur, quam ad emendandum voluntatem, ut vitium ipſum extirpetur. Id tamen præſtant, ut ad animum ſatiandum incitemur

Digitized by Google

temur & ne in ſtudio virtutis in transverſum trahamur. Iſtorum remediorum uſu curatio magis incipitur, quam abſolvitur, &, quamvis in præſenti juvent, verendum tamen ne morbus redeat, ut taceam, quod in caſibus emergentibus circumſtantiæ ſingulares efficaciam remedio detrahant, quam in præſenti habet, nec dicam quod vitia nondum funditus everſa tacite influant in actiones noſtras easque labe inficiant, quamvis in ſe ſpectatæ legi naturæ conformes videantur. Cumque remediorum efficacia tota pendeat a convictione; quantum diffundatur ſcientia eorum, quæ ad eandem requiruntur, ex analyſi demonſtrationum ſatis patet.

§. 123.

Abſurditas opinionis, quod nobis ſolis vivamus.

Abſurdum eſt ſibi ſoli vivere velle. Quoniam quod natura uni licitum, id etiam licitum alteri (§. 95. *part. 1. Jur. nat.*); ſi tibi licet tibi ſoli vivere, licebit etiam aliis vivere ſibi ſoli. Ponamus itaque omnes ſibi ſoli vivere velle, brutorum inſtar, quorum unumquodque quærit quod ſuum eſt, non vero curat ea, quæ ſunt alterius. Facile patet hominibus errandum eſſe ferarum inſtar per loca inculta, nec aliter vivendum, quam quomodo bruta vivunt, quemadmodum docet exemplum eorum, qui inter urſos educati ſunt (§. 461. *Pſych. rat.*). Degenerabunt itaque homines in bruta, nec ullus eorum vel minima parte felicitatis fruetur, qua frui poterant omnes, ſi ſeſe mutuo diligerent (§. 83. 87.). Quamobrem cum appetitus hominis naturaliter feratur in felicitatem (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*) & nemo ſanus velle poſſit eſſe potius brutum animal, omni rationis uſu deſtitutum, quam hominem; abſurdum omnino eſt ſibi ſoli vivere velle.

Abſurditas hæc ſibi ſoli vivendi probe conſideranda, ne animus erga alios indifferens reddatur. Si quis vero eam penitius

nitius inſpexerit, is deprehendet, ſe ſibi ſoli ita vivere non poſſe, quemadmodum vivere vult, ſiquidem ceteri omnes eundem animum haberent. Dum enim ſibi ſoli vivere vult, tacite ſupponit, hominibus non vivendum eſſe ſibi ſolis, cum ita vivere non poſſet, niſi haberet ea, quæ aliorum ſtudio ac labori debentur, & aliorum opera, qua indiget, uteretur. Tenendum hic eſt, quamvis introductio dominiorum certa officia fecerit mercenaria, ut neceſſario præſtanda ſint, niſi tibi ipſi deeſſe velis, ea tamen naturaliter deberi ex mutua omnium erga omnes dilectione, qua officia erga ſeipſum & erga alios inſeparabiliter copulantur, ut quoad effectum quæ mercenaria facta ſunt & præſtantis, & communem aliorum utilitatem promoveant. Quamobrem quæ neceſſitate compulſi facimus, ſi actio phyſice conſideretur, præſtari tamen adhuc poſſunt per modum officii erga alios, ut maneant opera charitatis, ſi moraliter ſpectentur. Hæc ſatis evidentia ſunt per ea, quæ in parte ſecunda Juris naturæ de communione primæva demonſtrata ſunt. Et patet jam uſus præclarus iſtius doctrinæ in praxi morali, ut propterea negligenda non ſit, quia communio primæva in his terris non ſubſiſtit.

§. 124.

Qui omnia referunt ad utilitatem propriam, ſibi ſoli vivere volunt. Qui enim omnia referunt ad utilitatem propriam, nihil faciunt alia de cauſa, quam quod utile ſibi exiſtimant quod faciunt. Quamvis itaque contingat, ut alteri cuidam præſtent, quod ipſi utile; non tamen id faciunt eo animo, ut alteri ſe utiles præſtent, ſed ut propriam utilitatem, quam intendunt, & quæ cum alterius utilitate cohæret, conſequantur, idem non facturi, ſi utilitatem ſuam absque utilitate alterius conſequi poſſent. Enimvero qui ſuam ſaltem utilitatem curæ cordique habet, alienam minime; is minime

De iis, qui omnia ad utilitatem propriam referunt.

cogi-

cogitat, ſe aliorum quoque cauſa vivere, adeoque non habet animum vivendi aliis, ſed ſaltem ſibi. Quamobrem qui omnia referunt ad utilitatem propriam, ſibi ſoli vivere volunt.

Agitur hic de vita morali, quæ ex officiorum præſtatione æſtimanda. Qui ſibi ſoli vivere vult, is ſibi perſuadet, ſe officium nullum debere aliis, ideoque non agnoſcit niſi officia erga ſeipſum, quacunque demum ratione eadem æſtimet. Æſtimant vero homines, qui legem naturæ non ſatis intelligunt, prout unumquemque ſua trahit voluptas. Ac ideo quoque de utilitate non eodem modo ſtatuunt. In præſente igitur propoſitione utilitas propria indiſtincte intelligenda eſt de ea, quam unusquisque in caſu particulari emergente opinatur. Quodſi vero quis non alia agnoſcit officia, quam erga ſeipſum; opinionem ſuam de utilitate propria normam actionum ſuarum conſtituit, atque ex his intelligitur, quænam de utilitate opinio ipſius animo ſedeat, ideo tenenda, ut pateat, quandonam officium quoddam alteri præſtare videatur, quod ipſe conſiderat tanquam medium utilitatis ſuæ, non tanquam officium alteri debitum.

§. 125.

Vera dilectio ſui non patitur omnia referre ad ſuam tantummodo utilitatem.

Qui ſeipſum diligit propter alios, ad utilitatem propriam unice omnia referre nequit. Qui enim ſeipſum diligit propter alios, cum qui ſeipſum diligit perfectionem ſui ſtatusque ſui promovere conetur, quantum datur (§. 58. *part. 4. Eth.*), ideo ſe & ſtatum ſuum perficere ſtudet, ut ad aliorum perfectionem conferre poſſit, quantum datur, conſequenter ideo ſatisfacit officio erga ſeipſum (§. 128. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ut ſatisfacere poſſit obligationi naturali, qua tenetur aliis (§. 222. *part. 1. Phil. pract. univ.*). In officiis itaque erga ſeipſum ſemper quoque ſpectat utilitatem aliorum. Quamobrem qui

Digitized by Google

qui ſeipſum diligit propter alios, ad utilitatem propriam unice omnia referre nequit.

Qui ſeipſum diligit propter alios, ejus animum invadere nequit opinio, quod ſibi tantummodo vivere liceat: procul igitur ab ipſo abeſt opinio, quaſi ſibi ſoli natus ſit, quemadmodum jam ſupra indicavimus (*not.* §. 71.). Cum utilitate ſua ſemper connectit indiſtincte utilitatem aliorum, quam tanquam finem intendit per officium tanquam medium obtinendum. Atque ita animus dilectione ſui diſponitur ad dilectionem aliorum, & hanc ab illa efficit inſeparabilem. Et ſic homo recte gerit perſonam ipſi tanquam homini impoſitam & vitam hominis vivit a vita brutorum diſtinctam.

§. 126.

Quoniam qui ſeipſum diligit propter alios, ad utilitatem propriam unice omnia referre nequit (§. 125.); *ne quis omnia unice ad utilitatem propriam referre adſueſcat, tempeſtive diſcat conſultum eſt diligere ſeipſum propter alios.* *Quomodo caveatur, ne unice omnia ad utilitatem noſtram referamus.*

Qui omnia ad utilitatem propriam refert, ſibi ſoli vivere vult (§. 124.), ideoque indifferenti erga alios animo eſt (§. 121.): qui cum in vitiorum numero ſit (§. 120.), adverſus hoc vitium non validius præſidium eſt dilectione ſui ipſius propter alios. Hæc igitur nunquam ſatis inculcari poteſt, omnique animi contentione eo annitendum, ut nosmetipſos propter alios diligere diſcamus, contrahendo conſuetudinem omnes noſtras actiones, quibus perfectionem noſtram & ſtatus noſtri promovemus, referendi ad alios, ut videamus, quomodo aliis nos utiles præbere valeamus, ſi officiis erga nos ipſos ſatisfecerimus.

§. 127.

Si cui eſt voluntas conſtans & perpetua alterius felicitatem promovendi ſejuncta a voluntate infelicitatem promovendi; is alterum *Opinio ejus, qui laborat*

Odio minus pleno adverſus alterum.

odio minus non mereri exiſtimat, ut eandem promoveat, ſeu ad eam quidpiam conferat. Etenim ſi cui eſt noluntas conſtans & perpetua alterius felicitatem promovendi, is nulla ratione ſe adduci patitur ad eandem promovendam, quæcunque tandem occaſio offeratur (§. 1062. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem cum motivum nolitionis ſit repræſentatio mali (§. 890. *Pſych. empir.*), neceſſe eſt ut ſibi tanquam malam repræſentet actionem, qua ad felicitatem alterius quidpiam confert. Quoniam tamen noluntas ſejuncta eſt a voluntate infelicitatem alterius promovendi *per hypoth.* ipſe cauſa eſſe non vult infelicitatis alterius, neque neceſſe eſt, ut malit alterum eſſe potius infelicem, quam felicem. Neceſſe igitur ſaltem eſt, ut detur aliqua ratio, cur indignus videatur, ad cujus felicitatem vel ipſe, vel etiam alii quidpiam conferant. Quodſi ergo cuidam fuerit noluntas conſtans & perpetua alterius felicitatem promovendi ſejuncta a voluntate infelicitatem promovendi; is alterum non mereri exiſtimat, ut eandem promoveat, ſeu ad eandem quidpiam conferat.

Duo ſunt caſus, qui in præſenti attendendi veniunt. Etenim aut tu ſaltem non vis felicitatem alterius ullo modo promovere, aut malles, ne eandem quoque promoverent alii, quamvis diſpliceat actio, qua quomodocunque ad ejus infelicitatem quidpiam confertur. In caſu priori indignum judicas, cujus felicitas a te promoveatur, in poſteriori indignus habetur, ad cujus felicitatem alius quicunque quidpiam conferat. Facile patet, in caſu priori adeſſe debere aliquam rationem, quæ te reſpicit; in poſteriori autem, quæ te quidem non tangit, conſiſtit tamen in aliquo, quod in ipſo maxime improbatur. E. gr. in priori caſu facto quodam ſuo ſive poſitivo, ſive privativo te offendit, aut te ſaltem offenſum eſſe putas; in poſteriori facta quædam alterius, aut mores nonnulli tibi diſplicent, quamvis nullum inde in te redundet

Digitized by Google

dundet malum. Ad felicitatem alterius non aliter quidpiam conferre poſſumus, niſi officiorum præſtatione, hoc eſt, facto lege naturæ præcepto (§. 225. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quando igitur in genere dicitur, quod quis ad alterius felicitatem nihil conferre velit; noluntas ejus intelligenda eſt de præſtatione officii cujuscunque. Quoniam vero non omnes, neque quilibet ſemper de officiis judicant ex veritate, ſed falſas quoque de iisdem fovent opiniones; non obſtante tamen errore denegatio officii putativi ex vitio procedit, quod abſente errore recte denegaretur, immo denegandum erat. Vitium enim conſiſtit in animo ad officium nullum alteri præſtandum diſpoſito, qui utique ſubſiſtit, quamvis per errorem pro officio habeatur, quod non eſt.

§. 128.

Quomodo odium minus plenum extinguatur. Quoniam qui habet noluntatem conſtantem ac perpetuam alterius felicitatem promovendi ſejunctam a voluntate infelicitatem promovendi, alterum non mereri exiſtimat, ut illam promoveat, ſeu ad eandem quidpiam conferat (§. 127.), conſequenter cum dilectio conſiſtat in actionibus, quibus alterius felicitas promovetur (§. 617. *part. 1. Jur. nat.*), cui noluntas conſtans ac perpetua eſt alterius felicitatem promovendi ſejuncta a voluntate infelicitatem promovendi, alterum dilectione indignum judicat, quamvis non ſemper penitus, quatenus diſplicent actiones poſitivæ eidem adverſæ (§. *cit.*), conſequenter *ſi noluntatem conſtantem ac perpetuam alterius felicitatem promovendi ſejunctam a voluntate infelicitatem promovendi emendare volueris, eradicanda eſt opinio, quaſi liceat eum non diligere, qui dilectione indignus cenſetur* (§. 79.), *& inquirendum in rationem, ob quam indignus habetur, atque oſtendendum eum propterea indignum cenſeri non poſſe.*

Patet

Patet jam ex ſuperioribus, neminem dilectione indignum judicari poſſe (*not.* §. 97.), conſequenter nullam dari rationem legitimam, cur officium nullum alteri præſtare velis, propterea quod ſe dilectione dignum reddiderit. Monuimus vero jam ſuperius quoque (*not.* §. *cit.*), in caſu particulari expendendas eſſe rationes, ob quas alter dilectione indignus habetur, quia tales eſſe poſſunt, ut, ſi vel maxime fieri poſſet, quod tamen ſalva autoritate legis naturæ, dilectionem ad ipſos inimicos extendentis (§. 632. *part. 1. Jur. nat.*) fieri nequit, ut quis eſſet dilectione indignus, eædem tamen non ſufficerent ad dilectione noſtra indignum alterum reddendum. Ibidem igitur quæ legi poſſunt, non repetimus. Perpendenda vero hic etiam ſunt, quæ modo de rationibus particularibus, ob quas quis dilectione indignus habetur, annotavimus (*not.* §. 127.). Si quis alterum indignum ſaltem judicat dilectione ſua, ratio eſſe poteſt offenſa, ſive vera fuerit, ſive ſaltem opinione ipſius talis appareat; atque tunc denegatio officiorum humanitatis pœnæ rationem habere debet, vel ad ſpeciem quandam vindictæ redit, ne malum bono referre quis velit. Atque tum uſui etiam ſunt, quæ de jure puniendi lædentem permittit, & ut referatur malum bono præcipit lex naturæ. Et ſi quis in refellendis rationibus particularibus operam ſuam collocare voluerit, plurima ſeſe offerent, quæ non inutiliter urgentur, quorum tamen cogitatio mentem ſubire nequit, quamdiu ſaltem in genere expenduntur, & ea ſeligentur, quæ pro conditione ſubjecti plurimum valent.

§. 129.

De odio tacito felicitatem alterius promovere nolentis.

Noluntas promovendi felicitatem alterius ſejuncta a voluntate infelicitatem promovendi tacitum odium continet. Cui enim eſt noluntas felicitatem alterins promovendi, is bonum in alterum conferre non vult, quod poterat. Quoniam itaque carentiam hujus boni appetit, ex ea voluptatem percipit

(§. 156.

(§. 156. *part. 2. Eth.*). Quamobrem cum ex bono, quod in nos confertur, voluptatem percipiamus (§. 558. *Pſych. empir.*), ideoque ejus collatione felicitas noſtra promoveatur (§. 638. *Pſych. empir.*); qui carentiam hujus boni, quod in alterum conferre poterat, appetit, ex infelicitate alterius voluptatem percipit, conſequenter quia odium conſiſtit in diſpoſitione animi ad voluptatem percipiendam ex alterius infelicitate (§. 661. *Pſych. empir.*), alterum odit. Noluntas igitur promovendi felicitatem alterius ſejuncta a voluntate infelicitatem promovendi odium continet, quod cum non animadvertatur, tacitum eſt.

Qualis hic intelligatur noluntas, ex anterioribus jam patet, quamvis non ſemper brevitatis cauſa addatur, eam eſſe conſtantem ac perpetuam. Quamobrem huc trahendus non eſt caſus, quando officium quoddam denegatur ex carentia nuda amoris: id quod non modo contingit, quando indifferenti erga alios animo ſumus, verum etiam ob rationes alias complures, ob quas nobis moleſtum accidit inſervire alterius commodo, quamvis nullam inde voluptatem percipiamus, quod alter bono a nobis in ipſum conferendo carere debeat. Diverſi ſtatus animi, qui non modo in præſenti, ſed aliis quibuscunque caſibus praxis moralis attendendi ſunt, haud difficulter diſcernuntur, ſi rationes diſcutiuntur, quibus noluntas & voluntas determinatur. Qui iſtiusmodi diſcuſſionibus ſedulo vacaverit, is in perſcrutandis animis hominum ac præſertim ſuo plura præſtabit, quam putaſſet. Quando vero voluntas vel noluntas dicitur conſtans & perpetua, non tamen propterea intelligitur prorſus immutabilis, cum alias vitium nullum eſſet ſanabile. Conſtantia & perpetuitas tamdiu ſubſiſtit, quamdiu ſubſiſtit vitium, aut nulla offertur ratio, quæ cohibet ne ex vitio agas. Immo ſi noluntas promovendi felicitatem alterius ad certam perſonam reſtringatur, fieri poteſt, ut conſtantia & perpetuitas ſaltem intendatur, in

præſenti quidem decreta, decreto autem ob rationes alias, de quibus in præſenti non cogitabatur, poſtea immutato. Ecquis enim eſt qui neſciat nihil mutabilius eſſe voluntate ac noluntate hominum, ut ea de cauſa dudum ambulatoria dici ſueverit? Tenendum vero eſt in noluntate, de qua jam agimus, odium nunc magis, nunc minus latere, cum non minus latentis, quam aperti dentur gradus plurimi. Ceterum, hinc quoque patet, cur illam odium naſcens & odium minus plenum in anterioribus dixerimus. Quodſi differentias omnes accurate perſcrutari vellemus, multæ ſeſe offerrent diſtinctiones. Aſt non opus eſſe judicamus, ut in explicandis iis ſimus prolixiores, quæ proprio acumine obſervare poterit ad praxin moralem a nobis præſcriptam diligentiam debitam afferens, præſertim cum nemo a nobis requiſiverit, ut omnia ita perſequamur, ne aliorum induſtriæ quicquam amplius ſit relictum. Memini me alias jam plus ſimplici vice monuiſſe, ſi quis noſtris uti voluerit, eum longe ulterius progreſſurum & noſtris multo præclariora daturum. Quodſi ea, quam nos ingreſſi ſumus, via pergere libuerit, animi hominum, qui imperſcrutabiles exiſtimantur, indies magis magisque perſcrutabiles reddentur.

§. 130.

Odii, quatenus vitium eſt, ortus. *Odium pro vitio ſumtum oritur ex odio affectu.* Etenim odium pro vitio ſumtum eſt habitus aliorum infelicitatem promovendi (§. 119.). Enimvero cum nihil appetamus, niſi quatenus ex eo voluptatem percipimus (§. 156. *part.* 2. *Eth.*), qui aliorum infelicitatem promovet, ex eadem voluptatem percipit. Quamobrem cum odium affectus conſiſtat in diſpoſitione animi ex alterius infelicitate voluptatem percipiendi (§. 661. *Pſych. empir.*), qui aliorum infelicitatem promovet, conſequenter odio qua vitio laborat, ejus quoque animus odio affectu incenſus eſt. Patet itaque odium pro vitio ſumtum oriri ex odio affectu.

Inde

Inde ſane eſt, ut odium, quatenus vitium eſt, vulgo non diſtingvatur ab odio affectu? Affectus reſidet in appetitu ſenſitivo (§. 603. *Pſych. empir.*): aſt vitium, habitus moralis pravus (§. 277. *part.* 1. *Jur. nat.*), voluntati, appetitui rationali, inhæret (§. 276. *part.* 1. *Jur. nat.*). Voluntatis corruptio dependet a vitio intellectus (§. 15. *part.* 2. *Eth.*), quatenus nimirum per errorem ſtatuimus de eo, quod bonum eſt (§. 892. *Pſych. empir.*), ad errorem vero nos ſeducit appetitus ſenſitivus, quatenus voluptate nocua commovetur (§. 6. *part.* 2. *Eth.*). Vitium primo inhæret appetitui ſenſitivo, inde autem diffunditur in rationalem, ſeu voluntatem, & dum in errore perſeveramus continuo majora capit incrementa, ut adoleſcat. Atque ita habitus pravus acquiritur. Probe hæc perpendenda ſunt non modo de vitio præſenti, ſed de quolibet alio. Atque hoc conducit, ut penitius inſpiciamus, quæ de corruptione voluntatis a primis ungviculis in capite primo partis ſecundæ Ethicæ demonſtravimus.

§. 131.

Quomodo vitio medela afferatur.

Quoniam odium pro vitio ſumtum oritur ex odio affectu (§. 130.), conſequenter ſi medelam vitio afferre velis, affectus extingvendus; *quæ de odio affectu extingvendo demonſtrata ſunt* (§. 451. & *ſeqq. part.* 2. *Eth.*), *ad emendandum vitium quoque faciunt.*

Affectus concitatur confuſa perceptione ejus, quod nobis diſplicet in altero (§. 677. *Pſych. empir.*) & tendit ad promovendam infelicitatem & impediendam vel depellendam felicitatem alterius (§. 308. *part.* 2. *Eth.*). Gignit itaque vitium tum quatenus opinio ejus, quod diſplicet, abit in notionem diſtinctam, ut dignus judicetur alter, cui moleſtia creetur & qui voluptate privetur, tum quatenus voluntatem impellit ad ægre faciendum alteri & noluntatem ad denegandum

dum alteri officia, ex quibus voluptatem percipere poterat. Voluntatis & noluntatis iſtius renovatione & actionum, quibus alteri ægre fit, & denegationis officiorum, quibus alteri prodeſſe poteramus, repetitione naſcitur habitus ægre faciendi ei, quem odimus, & non inſerviendi, quando ope aut conſilio noſtro indiget (§. 430. *Pſych. empir.*), quod vitium eſt charitati oppoſitum. Quemadmodum vero affectus non eandem reſpicit perſonam, quoties concitatur; ita quoque vitium ad perſonam quamcunque diffunditur, adverſus quem affectus concitatur. Atque hoc modo animus non modo diſponitur ad voluptatem percipiendam ex aliorum infelicitate, verum etiam ad nocendum & non inſerviendum aliis. Odium itaque & vitium ſimul naſcitur & alitur. Quæ hic de vitio charitati oppoſito dicuntur, de aliis quoque vitiis tenenda ſunt, modo inquiratur, quinam affectus ſint eorum fomes. Qui vitia debellare vult, affectus regere debet recto intellectus uſu, reducendo appetitum ſenſitivum ad conſenſum cum rationali, ſeu voluntate perfecta (§. 532. *part. 2. Eth.*). Fortiſſimum contra vitia præſidium eſt regimen affectuum. Quamobrem ea, quæ de affectuum regimine demonſtravimus (§. 517. *& ſeqq. part. 2. Eth.*), principem ſibi locum vindicant in emendatione vitiorum.

§. 132.

Medela ulterior. Similiter quia odium vitium oritur ex odio affectu (§. 130.), neminem autem odiſſe debemus (§. 624. *part. 1. Jur. nat.*), odio tamen habere vitia (§. 368. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *odium vitium vitaturus, aut emendaturus, operam dare debet, ut facta a perſona dividere, illorumque odio non obſtante perſonam diligere diſcat* (§. 82.).

Valet hoc, quando id, quod in altero obſervamus, jure diſplicet: quod ut appareat, ratio odii probe perpendenda. Quodſi jure non diſplicet, quod in altero deprehenditur, error

ror detegitur, quo agnito, nullus quoque odio relinquitur locus: quodſi vero jure diſpliceat, odium a perſona in id unice retrahendum. Si qui ab odio perſonæ ſibi nondum temperare didicerunt, iis ſi non impoſſibile, ſaltem paradoxum videbitur odium a perſona retrahere in id, quod ipſum concitat. Conſultum igitur eſt, ut conſiderent, annon velint, ut alii ſe diligant, ſi vel maxime quædam ſint, quæ in nobis probare minime poſſunt. Etenim quæ nobis impoſſibilia, aut paradoxa videntur, quando ea præſtare debemus aliis, talia non amplius apparent, quando ab aliis præſtanda nobis ſunt. Influunt affectus in judicia hominum, omnium maxime in moralibus, quamdiu mens nondum ſatis defæcata fuerit, nulla erroris labe infecta. Quando itaque contingit appetitum influere in aſſenſum veritatis contrariæ opinioni, qua alias imbuta mens eſt, facilius agnoſcitur falſitas. Errores, qui corrumpunt intellectum, & affectus perverſi, qui voluntatem & noluntatem corrumpunt, in cauſa ſunt, ut praxis moralis perplexa & difficilis reddatur, nec eadem medela vitiis eodem ſemper modo afferri poſſit. Multum affinitatis intercedit inter methodum curandi morbos corporis & methodum curandi vitia, morbos animi. Aſt inſtituti noſtri non eſt eam fuſius perſequi.

§. 133.

De eo, qui habet animum vindictæ cupidum.

Si quis habet animum vindictæ cupidum, odium perſonæ non extingvitur, niſi cupiditate vindictæ depoſita. Etenim qui habet animum vindictæ cupidum, is tædium, ſeu dolorem alterius appetit, qui ipſum offendit (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum nihil appetamus, niſi quatenus voluptatem inde percipimus (§. 156. *part. 2. Eth.*); animus ejus diſpoſitus eſt ad voluptatem percipiendam ex eo, quod alteri moleſtiam creat, conſequenter ad infelicitatem ejus quidpiam confert (§. 639. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque in hac animi

diſpoſitione odium, qua affectus, conſiſtit (§. 661. *Pſych. empir.*), ac inde odium, quatenus vitium eſt, naſcitur (§. 130.); odium perſonæ non extingvitur, niſi cupiditate vindictæ depoſita.

Qui habet animum vindictæ cupidum, odium ejus, quod in perſona diſplicet, a perſona minime dividit, nec aberravero a vero, ſi affirmaverim, quod dividere nondum didicerit. Quamobrem cum impoſſibile ſit, ne diſpliceat nobis, quod alius nos offendat, conſequenter ut odio habeatur offenſa, quamdiu animus vindictæ cupidus ſubſiſtit, offendentis perſonam odimus, immo hoc ipſum odium cupiditatem vindictæ concitat (§. 671. *Pſych. empir.* & §. 947. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 134.

De cupiditate vindictæ ſaltem ſopita.

Cupiditas vindictæ nondum deponitur, ſi defectus virium alteri moleſtias creandi agnoſcitur, & de modo ægre faciendi alteri cogitatio abjicitur. Si quis enim agnoſcit defectum virium alteri moleſtias creandi, fieri non poſſe perſuaſus eſt, ut alteri ægre faciat, cum tamen deſit motivum nolitionis, repræſentatio nimirum mali ex vindicta conſecuturi (§. 890. *Pſych. empir.*), voluntas ad non ægre faciendum alteri nondum diſponitur (§. 589. *Pſych. empir.*), conſequenter ægre facere mallet, modo poſſet, quamvis cum non videat, quomodo cupiditatem ſuam explere poſſit, de modo ægre faciendi alteri cogitationem abjiciat. Quodſi ergo occaſio alteri ægre faciendi offeratur, ambabus eandem arripit manibus. Quamobrem cum vindicta conſiſtat in actibus, quibus alteri tædium, ſive moleſtia creatur, propterea quod nos offendit (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*); cupiditatem vindictæ nondum depoſuit, quamvis defectus virium alteri moleſtias creandi ſibi conſcius de modo ægre faciendi alteri cogitationem abjiciat.

Vanam

Digitized by Google

Vanam eſſe ſine viribus vindictæ cupiditatem, quæ expleri nequit, niſi adſint vires ad ægre faciendum alteri ſufficientes, abunde patet. Quamobrem ſi quis agnoſcit, deeſſe ſibi vires, vana quoque ſollicitudine non torquet animum, quem potius ſpe occaſionis ſua ſponte offerendæ erigit, ubi noverit, haud raro emergere caſus improviſos, in quibus animum vindictæ cupidum ſatiare datur. Inde natum eſt iſtud pervulgatum, quod ad regulas prudentiæ adſcribunt, qui vindictam differre ſolent, donec commoda offeratur occaſio: In ſpe & ſilentio. Silendum, veniet tempus loquendi. Sperandum, veniet tempus gaudendi. Spes refertur ad occaſionem alteri ægre faciendi venturam, ſilentium ad diſſimilationem vindictæ. Hinc tempus loquendi vocatur, quo animus vindictæ cupidus prodendus, qui diutius diſſimulari nequit; tempus autem gaudendi, quo voluptas percipitur ex moleſtia alterius, quam ipſi creare datur. Dulcis eſt vindicta, cum læſo doloris remedium habeatur inimici dolor, atque hæc dulcedo, qua demulcetur animus, conſervatur ſpe fore, ut ei, qui nos offendit, ægre facere poſſimus, cum ex adverſo animus inquietetur, ſi quis alteri ægre facere cupit, deeſſe tamen ſibi vires agnoſcit. Neque alia de cauſa prudentem ſe eſſe putat, qui cupiditatem vindictæ diſſimulare & vindictam in tempus opportunum caſu proveniens, quæ occaſio eſt, differre didicit. Hæc ipſa vero prudentiæ opinio ad ſpem accedens voluptatem, quæ ſpei ineſt (§. 796. *Pſych. empir.*) auget (§. 511. *Pſych. empir.*), in gaudium abituram, occaſione oblata (§. 624. *Pſych. empir.*) & cupiditatem vindictæ alentem (§. 805. *Pſych. empir.*). Memoria ſtatus præteriti cum influat in præſentem, occaſione oblata, gaudium ex vindicta auget (§. 593. 614. *Pſych. empir.*). Apparet itaque, quam altas in animo radices agat cupiditas vindictæ, quamvis ad eam in præſenti deficiant vires, aut tempus non videatur ſatis opportunum: cui enim tempus præſens non ſatis opportunum videtur, is quoque agnoſcit deeſſe ſibi vires ad explendam vindictæ cupiditatem ſufficientes, cum plu-

rimæ dentur rationes, cur facere nolit, quod in præſenti facere poterat, pro diverſitate perſonarum plurimum variantes, in caſibus tamen datis facile detegendæ, modo attentionem & acumen in te deſiderari minime patiaris. Pertinent hæc ad ea, quæ a ſpectatore actionum humanarum minime otioſo obſervanda eſſe aliquoties jam inculcavimus. Et iſtiusmodi obſervationes apprime faciunt ad noſcentiam ſui, tum quatenus nos ducunt ad intimiorem animi humani notitiam, qua noſcentia ſui multum facilitatur. Quantum vero momentum hæc notitia habeat in praxi morali, ex omnibus iis, quæ de eadem demonſtrantur, haud obſcure colligitur.

§. 135.

An cupiditas vindictæ deponi poſſit, odio nondum extincto.

Cupiditas vindictæ deponi poteſt, quamvis nondum extinctum fuerit odium. Qui enim habet animum vindictæ cupidum, cum appetat moleſtiam, ſeu dolorem alterius, quia ipſum offendit (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter quid fecit, ex quo ipſe moleſtiam percipit (§. 936. *part. 1. Jur. nat.*), malum autem malo referat, qui alteri cauſa mali exiſtit, quia ipſi cauſa mali extitit (§. 798. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter moleſtiam creat, quia ipſi moleſtiam creavit (§. 569. 570. *Pſych. empir.*), ei, qui ſe offendit, malum malo referre vult. Prohibet autem lex naturæ ne malum malo referamus (§. 809. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem ſi quis habuerit animum nil quicquam committendi, quod legi naturæ repugnat, ei motivum nolitionis malum malo referendi eſt disconvenientia vindictæ cum lege naturali (§. 887. *Pſych. empir.*). Idem etiam inde patet, quod lex naturæ urgeat animum ab omni vindictæ cupiditate alienum (§. 948. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque vindictæ cupiditas eidem adverſetur. Quoniam itaque fieri poteſt, ut quis vindictam averſetur, quamvis animus ejus adhuc diſpoſitus ſit ad voluptatem perci-

pien-

Digitized by Google

piendam ex moleſtia alterius, ideoque odium nondum extinctum ſit, neque de eo extingvendo cogitatum; cupiditas vindictæ deponi poteſt, quamvis nondum extinctum fuerit odium.

Dantur adhuc alia motiva voluntatem a cupiditate vindictæ avocandi, quorum alia in hoc caſu proſunt, alia in alio, pro diverſitate ſubjectorum. Quemadmodum enim refutatio errorum ex principiis conceſſis deducenda, ita determinatio voluntatis requirit motiva iis conformia, per quæ voluntas generaliter determinata eſt: niſi enim ſub motivis generalibus contineantur ſpecialia, ut ſpecialis determinatio ſub generali contineatur, nihil effeceris. Quamobrem oppido falluntur, qui vim motivorum ex ſe metiuntur ignari legum modificationum animæ, propterea quod in Pſychologia non ſatis verſati ſunt. Aſt in præſenti non opus eſt, ut in motiva iſta operoſe inquiramus, cum ad demonſtrandum poſſibilitatem deponendi vindictæ cupiditatem, quamvis nondum extinctum fuerit odium, unicus caſus ſufficiat, cumque inde pateat, poſſibilitatem conſiſtere in determinabilitate noluntatis per motiva vindictæ contraria, ipſa vero experientia quoque nos doceat, motiva determinandi voluntatem vel noluntatem ad idem variari pro diverſitate opinionum, quibus mens eſt imbuta & voluntas, vel noluntas generaliter determinata, unicus caſus nos ducit ad inquirendum in motiva alia, & circumſtantiæ caſus emergentis inquiſitionem facilitant. Ipſa vero demonſtratio propoſitionis præſentis inſinuat modum a vindictæ cupiditate animum avocandi nondum extincto odio perſonæ, nimirum per motiva vindictæ contraria & determinationi generali voluntatis conformia, & quæ modo annotavimus, ad eum porro illuſtrandum faciunt, ut ideo non opus ſit eundem ſeorſim demonſtrari. Obiter quaſi adhuc obſervo, determinationem generalem voluntatis per motiva generalia voluntatem determinabilem efficere in caſu particulari: quæ ratio eſt, cur motiva ſpecialia conformia

eſſe debent generalibus, ideoque convenire opinionibus, quibus mens imbuta eſt. Satis manifeſta hæc ſunt ei, qui perpendit, quæ de voluntate bona & diverſa determinabilitate voluntatis in parte ſecunda Ethicæ demonſtravimus. Attamen non inconſultum eſt hinc inde excitare attentionem, quæ non una de cauſa deficere ſolet, ut non animadvertantur, quæ ſatis attento obvia ſunt.

§. 136.

Qualem dilectionem requirat charitas.

Charitas requirit dilectionem univerſalem hominum omnium ad ipſos inimicos extenſam & ut hominem quemcunque diligamus tanquam nos ipſos propter Deum. Charitas enim virtus eſt, qua alios diligimus tanquam nos ipſos (§. 620. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum virtus ſit habitus actiones ſuas legi naturali conformiter dirigendi (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*); dilectio, quam requirit charitas, talis eſſe debet, quam præſcribit lex naturæ. Quoniam itaque lex naturæ præcipit, ut unusquisque alium hominem quemcunque, ipſum etiam inimicum (§. 632. *part. 1. Jur. nat.*), diligat tanquam ſeipſum (§. 618. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque exigit a nobis dilectionem univerſalem omnium hominum ad ipſos inimicos extenſam; charitas quoque eandem requirit. *Quod erat unum.*

Enimvero lex naturæ etiam vult, ut hominem alium quemcunque diligamus tanquam nos ipſos propter Deum (§. 63.). Patet igitur ut ante, charitatem requirere, ut hominem quemcunque diligamus tanquam nos ipſos propter Deum. *Quod erat alterum.*

Hæc propoſitio probe inculcanda eſt, ne videamur nobis charitatem jam conſecuti, a qua nimis procul adhuc remoti ſumus. Cum charitas complectatur omnia officia hominis erga alios (§. 654. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque virtutes omnes, quæ

quæ reſpiciunt alios, & quibus aliorum cauſa operam navare debemus, quaſi in ſinu ſuo fovet; quanti interſit, ne charitas a rectitudine ſua deficiat, palam eſt: defectus enim, qui in charitate deprehenditur, virtutes omnes reliquas, quæ reſpiciunt alios, labe quadam inficit, non animadvertenda, niſi animus ad rectitudinem charitatis attendatur. Quamobrem patet, quanta animi contentione eo annitendum, ut charitatem continuo magis magisque perficiamus & firmemus. Ne tamen nimis rigidus morum cenſor in cenſenda charitate aliorum obliviſcaris eorum, quæ infirmitati & conditioni humanæ tribuenda ſunt, quæ de charitate Dei incipiente, proficiente & perfecta annotavimus (*not.* §. 247. *part. 3. Eth.*), ad charitatem quoque hominum applicanda ſunt, mutatis mutandis. *Incipiens* nimirum *charitas* eſt, qua diſceditur ab animo erga alios differente, & reſiſtitur delectationi ex malo alieno, ut a malo aliis inferendo abſtineamus, nec cuiquam noceamus. *Proficiens* eſt, qua habitum promovendi felicitatem aliorum & nos utiles præbendi hominibus quibuscunque acquirere, conſervare & perficere ſtudemus, ut in dilectione aliorum proficiamus. *Perfecta* denique eſt, ut cum gaudio arripiamus occaſionem quamcunque aliis inſerviendi, ſive promovendo felicitatem, ſive depellendo infelicitatem aliorum, quantum in poteſtate noſtra eſt, & quidem propter Deum. Quoniam hinc diſcitur, quam multi ſint, qui de dilectione univerſali parum cogitant, multo minus indefeſſam operam eidem navant, & quam pauci ſint, qui dilectionis propter Deum notionem diſtinctam habent ex ſupra demonſtratis conficiendam; charitas quoque virtus adeo rara eſt, neque ideo eſt quod miremur, tot ac tantos in virtutibus ceteris, quæ reſpiciunt alios, notari defectus, ut a rectitudine abire deprehendantur, ſi eas ex conſenſu omnium facultatum animæ, quemadmodum fieri debet, æſtimes. Equidem non dubito fore plurimos, qui exiſtimaturi ſunt, nos moralitatem actionum in nimium extendere; velim tamen perpendant, in Philoſophia morali demonſtrandum eſſe, qualis

lis ſit virtus perfecta, ad quam contendere debemus. Plurimum autem refert, ut ſemper in oculis habeamus ſcopum, ad quem tendimus, ne videamur eundem conſecuti, cum procul adhuc ab eo diſtamus, ideoque eam perfectionem non conſequamur, ad quam pervenire poteramus, niſi nos jam perveniſſe putaſſemus. Quæſtio hic eſt de veritate, quæ ex demonſtrationibus æſtimanda, non vero de terminis, ultra quos progredi non datur, & in quibus ſubſiſtendum. Conſtat quantum nocuerit ſcientiis opinio, quod ultra ea progredi non liceat, quæ a veteribus detecta ſunt. Non minus autem nocet virtuti, ſi eam intra certos terminos coarctare volueris ulteriorem profectum infirmitate humana excuſando. Immo ne quidem æſtimari poteſt, quantum quis in virtutis ſtudio profecerit, niſi ex notione virtutis perfectæ ab omni prorſus labe immunis, qualem urget lex naturæ. Taceo ea, quæ hinc conſequuntur ad tuenda Theologorum dogmata contra irreligionarios noſtro inprimis ſeculo aperto Marte pugnantes.

§. 137.

An dilectio aliorum propter ſe ſit charitatis.

Quoniam charitas requirit dilectionem hominis cujusvis ad ipſos inimicos extenſam & ut hominem quemcunque diligamus tanquam nos ipſos propter Deum (§. 136.), qui autem alios diligit propter ſe, conſequenter alteri facit, quod ipſi placet, ut is viciſſim faciat, quod placet ſibi, promiſcue alios omnes non diligit tanquam ſeipſum, immo ne quidem eos tanquam ſeipſum diligit, quos diligit, dilectione intra certos terminos, haud raro admodum anguſtos coarctata, nec quemquam diligit propter Deum, quod ex iis, quæ de dilectione demonſtrata ſunt, ſatis manifeſtum eſt, ac facile agnoſcitur, ſi in rationem dilectionis in caſu dato & in actiones diligentis inquirere volueris; *qui alios diligit propter ſe, charitatem minime habet, ſeu dilectio aliorum propter ſe nondum charitatis eſt.*

Nos

Nos ipſos diligere debemus propter alios (§. 61.); aſt non alios diligere propter nos ipſos. Illud non repugnat dilectioni aliorum propter Deum; hoc tamen cum ea conſiſtere nequit. Qui enim alios diligit propter Deum, eorum perfectionem promovere ſtudet, ea intentione, ut per ipſos quoque gloria Dei promoveatur (*not.* §. 57. 70.), & qui ſeipſum diligit propter alios, perfectionem ſui promovere conatur, quantum datur (§. 58. *part.* 4. *Eth.*), ut etiam aliorum perfectionem promovere poſſit. Dilectio igitur propter Deum exigit, ut nos diligamus propter alios, tantum abeſt, ut dilectio ſui propter alios dilectioni aliorum propter Deum repugnet. Enimvero qui alios diligit propter ſeipſum, facit quod alteri placet, ut ſibi viciſſim faciat, quod ſibi placet. De eo igitur cum non cogitet, ut per alios gloria Dei promoveatur, omnia tantummodo referens ad quandam utilitatem ſuam, ſive revera talis ſit, ſive ſaltem appareat, qui vero alios diligit propter Deum, per alios gloriam Dei promovere ſtudeat (§. 70.); dilectio aliorum propter ſeipſum dilectioni eorundem propter Deum utique adverſatur. Si quis perſonam ſibi impoſitam recte gerere velit, ſeipſum & alios diligere tenetur propter Deum (§. 69.), dirigendo dilectionem tam ſui (§. 54. *part.* 4. *Eth.*), quam aliorum in eum finem, propter quem Deus condidit hoc univerſum, ut ſcilicet & ipſe, & alii qua libere agentes ſint ſpeculum perfectionum divinarum, quemadmodum una cum creaturis ceteris ſunt propter perfectionem eſſentialem (§. 64.). Dilectio itaque aliorum propter ſe prorſus diſſonat a dilectione aliorum propter Deum, nec cum principiis Theologiæ naturalis atque Jure naturæ concordat, quo voluntas Dei de actionum noſtrarum directione continetur (§. 278. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Cum alios diligens propter ſe ad ſe referat ea, quæ ad Deum referre debet, quod Deo debet ſibi arrogat occulta quadam idololatriæ ſpecie (§. 1258. *part.* 1. *Jur. nat.*), atque in jus Dei involat non ſine injuria in Deum (§. 859. *part.* 1. *Jur. nat.*). Tantum igitur abeſt, ut dilectionem alio-

Digitized by Google

rum propter ſeipſum tot modis legi naturæ repugnantem ad virtutem, conſequenter ad charitatem, quam urget lex naturæ (§. 621. *part. 1. Jur. nat.*), referre poſſis (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamvis enim actiones in ſe ſpectatae bonæ ſint, ob diſſenſum tamen internarum a lege naturæ multa vitiorum labe inficiuntur (§. 600. *part. 2. Eth.*), ut virtutis ſolam ſpeciem mentiantur, ſaltem a rectitudine, quam animi puritas requirit (§. 603. *part. 2. Eth.*), plurimum deficiunt (§. 79. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Valet hic, quod vulgo dividitur, bonum non eſſe niſi ex integra cauſa. Quod vero alios diligentes propter ſe dilectionem intra arctos admodum limites coarctent, haud difficulter intelligitur. Cum enim charitas, quæ in habitu diligendi alios conſiſtit (§. 620. *part. 1. Jur. nat.*), extendatur ad quælibet officia, quæ aliis præſtare poſſumus (§. 654. 608. *part. 1. Jur. nat.*); qui alios propter ſe diligit, officia aliis præſtanda ex adverſo æſtimat ex utilitate, quam ab aliis expectat. Et cum dilectio, qualem requirit lex naturæ (§. 618. *part. 1. Jur. nat.*), ſupponat conſtantiam & perpetuitatem voluntatis (§. 617. *part. 1. Jur. nat.*); dilectio alterius propter ſe deſinit, quamprimum non amplius ſperatur utilitas, quæ ad dilectionem incitat. Experientia idem abunde docet, modo animum advertas ad rationem, ob quam in caſibus datis unus alterum diligit propter ſe.

§. 138.

Dilectio aliorum propter ſe dilectio ſui eſt.

Qui alios diligit propter ſe, non tam alios diligit, quam ſeipſum. Qui enim alios diligit propter ſe, ideo facit quod ipſis placet, ut viciſſim faciant, quod ſibi placet. Quoniam itaque ratio dilectionis eſt factum alterius, quod ſibi voluptatem affert (§. 542. *Pſych. empir.*), & hoc poſito ponitur dilectio (§. 118. *Ontol.*); ſi factum alterius ceſſat, aut qui alterum diligebat nullam amplius voluntatem inde percipit, dilectio quoque ceſſat. Quamobrem cum dilectionem alterius

rius

nis tantummodo conſideret tanquam medium voluptatis, qua frui cupit (§. 937. *Ontol.*), felicitatem ſuam promovere ſtudet. Enimvero ſeipſum diligit, qui id agit ut ſit felix (§. 606. *part.* 1. *Jur. nat.*). Qui ergo alios diligit propter ſe, non tam alios diligit, quam ſeipſum.

Clariſſime hoc patet exemplo amoris impuri. Ponamus juvenem ſalacem, cui ſummum bonum videtur capere voluptatem cum puella pulchra. Quando muneribus ſplendidis & cupediis ſumtuoſis, alioque quovis modo voluptatem eidem creare ſtudet; non aliud intendit, quam ut eam facilem faciat ad explendam libidinem ſuam. Ecquid igitur aliud facit, quam quod facere ſolet qui quascunque difficultates ſuperare ſtudet, ut potiatur eo, quod ſibi voluptatem creat? Quemadmodum itaque hic dici nequit diligere ea, quæ difficultates afferunt, & quas ſuperare cogitur, ſi quod cupit conſequi velit; ita quoque puellam non diligit, qui voluptatem ipſi creando ſuam emit. Facile quæ hic dicuntur ad dilectionem quamlibet aliorum propter ſe transferuntur, modo ſufficiens fuerit acumem pervidendi abſtracta in concretis, ut vi notionum univerſalium agnoſcatur, in quonam ſingularia, quæ prorſus diverſa apparent, ſibi invicem ſimilia ſint (§. 336. *Pſych. empir.* & §. 232. *Ontol.*). Perpendenda igitur hic ſunt, quæ de modo acquirendi & perficiendi acumen pervidendi abſtracta in concretis demonſtravimus & annotavimus (§. 206. *part.* 1. *Eth.*). Quod in genere monuimus de uſu hujus acuminis ad extendendam ſcientiam eorum, quam acquiſivimus & ad multa facili, immo nullo fere negotio cognoſcenda, ad quæ alias vix ac ne vix quidem multo ſtudio atque opera pervenire daretur (*not.* §. 199. *part.* 1. *Eth.*), ea etiam de ſcientia rerum moralium tenenda ſunt. Acumine hoc ſcientiæ ad principia maxime generalia reduci poterant, ut paucis multa ſcirentur: diffitendum tamen non eſt, ſcientias ad eam univerſalitatem reductas non profuturas tyronibus, qui ſenſibus nimis immerſam adhuc habent mentem &

cognitione particularium, aut, ſi mavis, ſpecialium a ſenſibus non nimis remotorum ante præparandi ſunt, quam mens a ſenſibus abducta ad capienda adeo univerſalia apta efficiatur. Dantur vero etiam gradus, per quos ad pervidendum abſtracta in concretis aſcenditur, quemadmodum ab individuis primum ad ſpecies, ab his ad genera & inde porro ad genera continuo ſublimiora aſcenditur. Sed hæc uberius in præſenti explicari non poſſunt, & revera locum ſibi vindicant in Arte inveniendi, ad cujus diſtinctas notiones ipſum hoc acumen ducit eos, qui veritatibus detegendis non inutilem operam navarunt. Indigitavimus aliqua huc ſpectantia cum de adminiculis acuminis ageremus (*not.* §. 221. *part.* 1. *Eth.*), quæ lucem quandam affundere poſſunt ei, qui ſcientias ad notiones maxime univerſales reducere voluerit. Ceterum ex propoſitione præſente clariſſime patet, dilectionem aliorum propter ſe nondum charitatis eſſe, quæ ſupponit amorem in delectatione felicitatis alienæ conſiſtentem (§. 633. *Pſych. empir.*), omnium facillime obſervanda, ſi voluptas noſtra ab aliena minime dependet. Illud vero per ſe patet, charitatem, quæ virtus eſt, non admittere voluptatem niſi veram, & reſpuere facta, quæ legi naturæ adverſantur, quamvis in illuſtranda dilectione aliorum propter ſe admittantur exempla, in quibus contrarium obtinet.

§. 139.

Quando bonum bono referre non pertineat ad dilectionem propter ſe.

Qui animo grato bonum bono refert, propterea non diligit alios propter ſe. Qui enim animo grato bonum bono refert, is diligit benefactorem ob beneficia in ſe collata (§. 31. *part.* 4. *Jur. nat.*), ipſique motivum eſt alteri tribuendi bonum, quod ab eo accepit bonum (§. 797. 803. *part.* 1. *Jur. nat.*). Aſt qui alios diligit propter ſe, ei motivum præſtandi alteri officium eſt utilitas propria, quam ſine hac præſtatione ſperare non poterat, absque hac ſpe parum curaturus utilitatem

ntem alterius. Aliud vero omnino eſt, animum habere diſpoſitum ad beneficia benefactori tribuenda ob beneficia ſibi ab ipſo tributa, ut declaremus animum gratum, quem erga benefactorem habere debemus (§. 43. *part. 4. Jur. nat.*); aliud præſtatione officiorum emere benevolentiam alterius, ut obtineamus bonum, quo alias carendum foret. Ille conſiſtit cum dilectione univerſali hominis cujuscunque, nec eam ad benefactorem reſtringit; aſt dilectio aliorum propter ſe ad eos reſtringitur, qui ſeſe nobis utiles præbere posſunt. Patet itaque, animo grato bonum bono referentem propterea non diligere alios propter ſe.

Aliud omnino eſt diligere alterum ob beneficia ſibi tributa, aliud præſtare alteri officia, ut per eum utilitatem noſtram promoveamus. In caſu poſteriori ſemper prædominatur voluptas ex utilitate propria percepta, quæ in priori ſaltem alit voluptatem ex alterius felicitate percipiendam, utpote absque illa concitandam. Commodis deſtituimur vocabulis, quibus differentiam iſtam indigitemus. Præſtat igitur venire in rem præſentem, ut eandem in nobis ipſis experiamur (§. 264. *part. 2. Phil. pract. univ.*).

§. 140.

Dilectioni aliorum minime repugnat, aliquem officio ſibi devincire, qui commoda noſtra promovere quocunque modo poteſt. Etenim homo ſeipſum diligere debet (§. 607. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem ipſi quoque jus eſt ad media, ſine quibus obligationi huic ſatisfacere nequit. Quodſi ergo alieno auxilio, aut conſilio indiget ad commoda ſua promovenda; licitum omnino eſt dare operam, ut id impetremus, conſequenter eum, qui commoda noſtra promovere poteſt, officio noſtro nobis devinciamus. Quamvis vero præſtatione

An alterum ſibi commodi ſui cauſa devincire dilectioni repugnet.

Digitized by Google

officiorum utamur tanquam medio commoda noſtra promovendi; non tamen hoc obſtat, quo minus habeamus animum aliorum quoque commoda, a quibus nihil viciſſim expectamus, pro virili promovendi, ubi noſtro auxilio, vel conſilio indigent. Quoniam itaque alios diligimus, ſi hunc animum habeamus (§. 617. *part. 1. Jur. nat.*); dilectioni aliorum minime repugnat, aliquem officio ſibi devincire, qui commoda noſtra promovere quocunque modo poteſt.

Cum lex naturæ homines obliget ad perfectionem ſuam ſtatusque ſui conjunctis viribus promovendam (§. 221. *part. 1. Phil. pract. univ.*); utique vult, ut mutuis officiis ſeſe ſibi invicem devinciant. Non tamen hinc ſequitur, ut alios ſaltem diligamus propter nos ipſos. Qui enim alios tantummodo diligit propter ſe, is ſaltem diligit eum, qui ſeſe utilem ſibi præbere poteſt, nec quoddam præſtat officium, niſi quo utilitatem ſuam emere poteſt, neque etiam felicitate alterius delectatur, ſed ſuo commodo, quod ab eo ſperat, nec cum ſenſu officii facit, quod commodi alterius cauſa facit. Factum igitur ipſius non proficiſcitur ex amore univerſali (§. 633. *Pſych. empir.*), lege naturæ præcepto (§. 619. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero qui alterius animum ſibi conciliare & ad uſus ſuos adjungere ſtudet, propterea non cogitur deponere animum unicuique auxilio & conſilio indigenti pro virili inſerviendi. Quamvis enim demus, alterum non fore paratum ad commoda noſtra promovendum, niſi officio quodam ipſum nobis devinciamus, cum is ſaltem alios diligat propter ſe, aliorum felicitatem parum curæ cordique habens; non tamen propterea neceſſe eſt, ut, quem nobis devincire ſtudemus, ejus quoque animum induamus probe gnari, ſi alter non ſatisfacit obligationi ſuæ, nobis propterea permiſſum non eſſe, ut nos quoque obligationi noſtræ non ſatisfaciamus (§. 631. *part. 1. Jur. nat.*). Dilectio igitur univerſalis ſalva eſſe poteſt, ſi vel maxime officio aliorum animos nobis conciliare

ciliare & ad uſus noſtros adjungere ſtudeamus. Dilectio aliorum propter ſe & ſtudium officio ſibi devinciendi alios, qui commoda noſtra promovere valent, optime diſcernitur partim ex voluptate, quam parit utilitas officio noſtro alteri comparata, partim ex eo, ſi æquo animo ferimus, quando ſpe commodi ab altero nobis comparandi excidimus, nec nos pœnitet officii, quod alteri præſtitimus. Quamvis enim tenue ſit officium, quod alteri præſtamus, ut utilitatem, quam inde percipit alter, non magni facere poſſit, ſi in ſe ſpectetur; non tamen cum viribus noſtris ac præſertim cum animo inſerviendi alteri, qui in infinitum tendit, collata levem ſaltem concitat voluptatem. Habet autem hæc voluptas aliquid ſingulare, ut eidem permiſceatur aliquid moleſtiæ ortæ ex eo, quod virium menſura non par ſit voluntati: quod temperamentum ſingularem quandam conciliat voluptati ſuavitatem, qua demulcetur animus, quemadmodum experimur, ſi gaudio incredibili elati dulcibus lachrymis indulgemus.

§. 141.

An commodum alterius ope comparandum nobis poſſit eſſe motivum officii præſtandi.

Quoniam dilectioni aliorum minime repugnat officio ſibi devincire alterum, qui commoda noſtra promovere quocunque modo poteſt (§. 140.); *dilectioni* quoque *minime repugnat, ut commodum ab altero promovendum ingrediatur motivum officii eidem præſtandi ipſum nobis devinciendi cauſa.*

Notanter dicimus, quod commodum alterius ope nobis comparandum ingredi poſſit motivum, non quod ſit motivum. Quodſi enim eſſet motivum, ratio ſufficiens foret, cur alteri officium præſtetur, ideoque præſtatione officii non intenderetur niſi commodum noſtrum, conſequenter alterum diligeremus propter nosmetipſos, utilitatem ipſius parum curaturi, ſi a noſtra dividi poſſet. Enimvero ſi motivum ſaltem ingreditur, tum ad motivum, quo generaliter jam determinata eſt voluntas ad inſerviendum alteri, ſaltem accedit & dilectionem ſui cum dilectione alterius copulat,

quæ

quæ formam ſuam accipit non a facto noſtro, quatenus alteri utile eſt, ſed ab animo, qui ad percipiendam voluptatem ex alterius felicitate jam diſpoſitus eſt, ita ut occaſio, qua commodum noſtrum ab altero promoveri poteſt, ſpectetur ſaltem ut occaſio alteri inſerviendi, quam arripimus obligationi noſtræ naturali ſatisfacturi tum quoad nos, tum quoad alios. Velim hæc probe conſiderentur: uſui enim ſunt quoque in caſibus aliis, in quibus recte motivum ingreditur, quod per ſe ſalva lege naturæ motivum eſſe non poterat.

§. 142.

De motivo alios officio ſibi devinciendi.

Si motivum officiorum præſtatione alios ſibi devinciendi commodi noſtri cauſa a dilectione aliorum propter ſe labe inſici non debet; opera danda eſt, ut aliis officia cum ſenſu obligationis noſtræ præſtemus. Qui enim aliis officia præſtat cum ſenſu obligationis, ideo præſtat, quod norit, actionem ſuam legi naturæ convenire (§. 131. *part. 1. Phil. pract. univ.*), Deumque velle, ut hoc faciat (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem motivum præſtandi officia aliis eſt convenientia actionis cum lege naturæ atque voluntas Dei (§. 887. *Pſych. empir.*). Quamvis itaque contingat, ut aliorum auxilio vel conſilio habeat opus ad commoda ſua promovenda, ideoque id impetraturus alios officiorum præſtatione ſibi devincire ſtudeat; non tamen ideo deponit animum ſatisfaciendi obligationi ſuæ, ut commodi ſaltem ſui gratia hoc faciat, quin potius cum ſenſus obligationis actioni indivulſo nexu cohæreat, probe gnarus homines obligari ad perfectionem ſuam ſtatusque ſui conjunctis viribus promovendam (§. 221. *part. 1. Phil. pract. univ.*); officio erga alios utitur tanquam medio omnes officii ſibi erga ſeipſum partes adimplendi voluntati divinæ conformi, conſequenter verendum non eſt, ne præſtatione officiorum erga alios ſuam tantummodo intendat utili-

utilitatem, quemadmodum facit qui alios ſaltem propter ſe diligit. Quodſi ergo cavendum, ne motivum a præſtatione officiorum alios ſibi devinciendi commodi noſtri cauſa a dilectione aliorum propter ſe labe inficiatur, opera danda eſt, ut aliis officia cum ſenſu obligationis noſtræ præſtemus.

Pertinet hoc ad conſervandam puritatem animi (§. 599. *part. 2. Eth.*), quam urget lex naturæ (§. 604. *part. 2. Eth.*) & ſine qua vita perfecta eſſe nequit (§. 614. *part. 2. Eth.*). Quemadmodum vero puritas animi obtentu admodum difficilis eſt (§. 607. *part. 2. Eth.*); ita inprimis in caſu præſenti facillime contingit, ut dilectionis motivum, ſepoſito ſenſu obligationis, terminetur in utilitate propria & officium ſpectetur tanquam pretium, quo ea emitur. Ne igitur ſenſus obligationis aboleatur, præſtantiſſimum utique remedium eſt, ſi tempeſtive adſueſcamus nihil facere niſi cum ſenſu obligationis & obedientiæ Deo debitæ. Quando enim offertur occaſio officio alterum ſibi devinciendi ad commoda noſtra promovenda, fieri non poteſt, quin de officio præſtando cogitanti ſuccurrat obligatio noſtra & obedientia Deo debita (§. 117. *Pſych. empir.*). Et hoc modo tollitur difficultas, quæ vix ſuperanda videbatur, & quæ nimium acumen requirere videntur, ut diſtincte percepta a ſe invicem dividantur, etiam ſine acumine a perceptionibus confuſis arceantur. Probe hoc notandum eſt, ut intelligatur, quomodo ipſum vulgus imperitum animum a labe immunem ſervare poſſit, quamvis ea, quæ in eum finem demonſtrantur, captum ipſius longe tranſcendant. Neque vero hoc notandum eſt in præſenti ſaltem caſu, ſed ad alia quoque producendum.

§. 143.

Qui alios quoscunque diligit tanquam ſeipſum, humanus eſt. *Quinam ſint humani.*

Qui enim alios quoscunque diligit tanquam ſeipſum, ei voluntas conſtans & perpetua eſt felicitatem cujuscunque pro-

quæ formam ſuam accipit non a facto noſtro, quatenus alteri utile eſt, ſed ab animo, qui ad percipiendam voluptatem ex alterius felicitate jam diſpoſitus eſt, ita ut occaſio, qua commodum noſtrum ab altero promoveri poteſt, ſpectetur ſaltem ut occaſio alteri inſerviendi, quam arripimus obligationi noſtræ naturali ſatisfacturi tum quoad nos, tum quoad alios. Velim hæc probe conſiderentur: uſui enim ſunt quoque in caſibus aliis, in quibus recte motivum ingreditur, quod per ſe ſalva lege naturæ motivum eſſe non poterat.

§. 142.

De motivo alios officio ſibi devinciendi.

Si motivum officiorum præſtatione alios ſibi devinciendi commodi noſtri cauſa a dilectione aliorum propter ſe labe inſici non debet; opera danda eſt, ut aliis officia cum ſenſu obligationis noſtræ præſtemus. Qui enim aliis officia præſtat cum ſenſu obligationis, ideo præſtat, quod norit, actionem ſuam legi naturæ convenire (§. 131. *part. 1. Phil. pract. univ.*), Deumque velle, ut hoc faciat (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem motivum præſtandi officia aliis eſt convenientia actionis cum lege naturæ atque voluntas Dei (§. 887. *Pſych. empir.*). Quamvis itaque contingat, ut aliorum auxilio vel conſilio habeat opus ad commoda ſua promovenda, ideoque id impetraturus alios officiorum præſtatione ſibi devincire ſtudeat; non tamen ideo deponit animum ſatisfaciendi obligationi ſuæ, ut commodi ſaltem ſui gratia hoc faciat, quin potius cum ſenſus obligationis actioni indivulſo nexu cohæreat, probe gnarus homines obligari ad perfectionem ſuam ſtatusque ſui conjunctis viribus promovendam (§. 221. *part. 1. Phil. pract. univ.*); officio erga alios utitur tanquam medio omnes officii ſibi erga ſeipſum partes adimplendi voluntati divinæ conformi, conſequenter verendum non eſt, ne præſtatione officiorum erga alios ſuam tantummodo intendat utili-

tilitatem, quemadmodum facit qui alios ſaltem propter ſe diligit. Quodſi ergo cavendum, ne motivum a præſtatione officiorum alios ſibi devinciendi commodi noſtri cauſa a dilectione aliorum propter ſe labe inficiatur, opera danda eſt, ut aliis officia cum ſenſu obligationis noſtræ præſtemus.

Pertinet hoc ad conſervandam puritatem animi (§. 599. *part. 2. Eth.*), quam urget lex naturæ (§. 604. *part. 2. Eth.*) & ſine qua vita perfecta eſſe nequit (§. 614. *part. 2. Eth.*). Quemadmodum vero puritas animi obtentu admodum difficilis eſt (§. 607. *part. 2. Eth.*); ita inprimis in caſu præſenti facillime contingit, ut dilectionis motivum, ſepoſito ſenſu obligationis, terminetur in utilitate propria & officium ſpectetur tanquam pretium, quo ea emitur. Ne igitur ſenſus obligationis aboleatur, præſtantiſſimum utique remedium eſt, ſi tempeſtive adſueſcamus nihil facere niſi cum ſenſu obligationis & obedientiæ Deo debitæ. Quando enim offertur occaſio officio alterum ſibi devinciendi ad commoda noſtra promovenda, fieri non poteſt, quin de officio præſtando cogitanti ſuccurrat obligatio noſtra & obedientia Deo debita (§. 117. *Pſych. empir.*). Et hoc modo tollitur difficultas, quæ vix ſuperanda videbatur, & quæ nimium acumen requirere videntur, ut diſtincte percepta a ſe invicem dividantur, etiam ſine acumine a perceptionibus confuſis arceantur. Probe hoc notandum eſt, ut intelligatur, quomodo ipſum vulgus imperitum animum a labe immunem ſervare poſſit, quamvis ea, quæ in eum finem demonſtrantur, captum ipſius longe tranſcendant. Neque vero hoc notandum eſt in præſenti ſaltem caſu, ſed ad alia quoque producendum.

§. 143.

Qui alios quoscunque diligit tanquam ſeipſum, humanus eſt. *Quinam ſint humani.*

Qui enim alios quoscunque diligit tanquam ſeipſum, ei voluntas conſtans & perpetua eſt felicitatem cujuscunque pro-

movendi (§. 617. part. 1. Jur. nat.), ideoque hominum promiſcue omnium felicitate delectatur (§. 156. part. 2. Eth.). Quamobrem cum aliorum perfectionem promovere debeat, qui eorum felicitatem promovere vult (§. 652. part. 1. Jur. nat.), actiones autem, quibus aliorum perfectio promovetur, ſunt officia, quæ aliis præſtantur (§. 222. 225. part. 1. Phil. pract. univ.); qui alios quoscunque diligit tanquam ſeipſum, ei voluntas conſtans & perpetua eſt, officia quæcunque præſtandi aliis, conſequenter animus ejus in præſtationem officiorum propendet. Quando itaque ſeſe præſtandi occaſio offert, nihil quoque præſtationem remoratur. Quamobrem ad officia erga alios præſtanda pronus ac facilis eſt. Enimvero qui ad officia erga alios præſtanda pronus eſt & in iis præſtandis, ubi hoc in poteſtate ipſius poſitum, facilem ſeſe præbet, humanus eſt (§. 894. part. 2. Jur. nat.). Qui ergo alios quoscunque diligit tanquam ſeipſum, humanus eſt.

Humanitas latius patet, quam vulgo agnoſcitur. Quemadmodum enim dilectio univerſalis extenditur ad homines quoscunque, ipſos etiam inimicos; ita quoque humanitas ad omnes in univerſum omnes, ipſos etiam inimicos extenditur. Medium itaque humanitatis eſt dilectio univerſalis: hanc ſi didiceris, humanitas ſua quaſi ſponte ſequitur. Voluntas enim, quam requirit humanitas, in dilectione jam adeſt, officioſitas ſaltem actum externum eidem convenientem pro datis circumſtantiis determinat: id quod abſque ulla mora fit propter illius conſtantiam (§. 617. part. 1. Jur. nat. & §. 1062. part. 1. Theol. nat.). Manifeſta vero hinc eſt differentia humanitatis a charitate, habitu diligendi alios tanquam ſeipſum (§. 620. part. 1. Jur. nat.). Aliud enim eſt diſpoſitio voluntatis ad aliorum felicitatem promovendam, aliud promptitudo ipſo opere exequendi hanc voluntatem uſu ſubſidiorum commodorum, quando ſeſe offert occaſio. Quatenus

cum firmum propoſitum habemus aliorum felicitatem promovendi, ad officia erga alios pronus efficitur animus & occaſione præſtandi oblata facilitas propoſitum exequendi adeſt.

§. 144.

Quoniam qui alios diligit tanquam ſeipſum, humanus eſt (§. 143.), habitus vero alios diligendi charitas eſt (§. 620. *part. 1. Jur. nat.*); *humanitas ex charitate oritur, nec ab hac ſeparari poteſt.* *De humanitatis cum charitate nexu.*

Ne cui dubium quoddam ſubnaſcatur, neceſſe eſt ut conſideret quid ſibi velit charitas. Cum hæc in habitu diligendi alios tanquam ſeipſum conſiſtat (§. 620. *part. 1. Jur. nat.*); expendenda ſunt ea omnia, quæ de dilectione univerſali demonſtrata ſunt. Atque tunc ſatis manifeſtum erit, quomodo ex conſtante voluntate felicitatem aliorum promovendi, ſine qua dilectio non concipitur (§. 617. *part. 1. Jur. nat.*), naſcatur pronitas ac facilitas præſtandi aliis officia quæcunque, quæ a nobis proficiſci poſſunt. Pendet dilectio ab amore, & a dilectione humanitas. Amore diſponitur animus ad voluptatem percipiendam ex alterius felicitate (§. 633. *Pſych. empir.*). Accedente regimine intellectus voluntas determinatur ad felicitatem alterius promovendam, ut firmum naſcatur propoſitum felicitatem aliorum promovendi, quantum in poteſtate eſt. Hinc porro naſcitur propenſio animi ad officia aliis præſtanda & facilitas iſta propoſitum exequendi, quandocunque occaſio offertur. Manifeſtus hinc eſt nexus amoris, charitatis & humanitatis, & hinc porro perſpicitur humanitatis a charitate inſeparabilitas. Ponamus enim humanitatem a charitate ſeparari. Qui humanus non eſt, ad officia præſtanda aliis nondum pronus ac facilis eſt (§. 894. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque animus ejus in præſtationem officiorum erga alios nondum propendet, multo minus is oblatam aliis inſerviendi occaſionem ambabus manibus arripit. Quamobrem non-

nondum habet propoſitum firmum officia quæcunque cuicunque præſtandi, quantum in poteſtate eſt, conſequenter alios nondum diligit tanquam ſeipſum (§. 617. *part. 1. Jur. nat.*), multò minus habitu diligendi alium quemcunque tanquam ſeipſum pollet (§. 428. *Pſych. empir.*). Charitate igitur adhuc deſtituitur (§. 620. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 145.

Signum charitatis deficientis,

Quoniam charitas humanitatem gignit, nec hæc ab illa ſeparari poteſt (§. 144.); *ſi quis humanus non fuerit, eum charitate nondum pollere manifeſtum eſt, & defectus humanitatis, qui obſervantur, arguunt defectus charitatis.*

Habemus itaque ſignum charitatis deficientis, quod non modo facile unusquisque in ſeipſo, verum etiam in aliis obſervare poteſt, quamvis in caſu poſteriori paulo ſollicitius expendendæ ſint circumſtantiæ, ob quas quis facilem ſe præbet ad inſerviendum alteri, ne per præcipitantiam charitati tribuatur, quod alii cauſæ adſcribendum. Inprimis autem notandum eſt, humanitatem eandem habere latitudinem cum charitate. Quemadmodum hæc extenditur ad homines promiſcue omnes, qualescunque fuerint & quomodocunque ſe erga nos gerant; ita quoque humanitas reſpicit perſonam omnem (§. 895. *part. 1. Jur. nat.*), nec attenditur inhumanitas alterius, quæ vitium eſt (§. 896. *part. 1. Jur. nat.*), multo minus attendendi veniunt alii mores, qui recte improbantur.

§. 146.

In quibusnam actibus consiſtat humanitas.

Ipſa præſtatio officii humanitatis non eſt, ſed ad eam referendi ſunt actus, quibus alteri inſerviendi pronitas & promptitudo ſignificatur in officiorum præſtatione. Quoniam enim charitas omnia officia erga alios complectitur (§. 654. *part. 1. Jur. nat.*); præſtatio officiorum charitatis eſt. Enimvero humanitas ex charitate

ritate oritur (§. 144.), ideoque peculiaris quædam virtus eſt, quamvis ab illa inſeparabilis ſit (§. *cit.*). Ipſa igitur præſtatio officii humanitatis non eſt. *Quod erat unum.*

Aſt quia humanitas cum charitate indivulſo nexu cohæret (§. *cit.*), præſtatio vero officiorum charitatis eſt *per demonſtrata*; humanitas præſtationem officiorum ſemper comitari debet, conſequenter requirit actus quoſdam, qui ab ipſa præſtatione officiorum diverſi ſunt, ad ipſam tamen accedunt. Conſiſtit autem humanitas in propenſione animi ad officia aliis præſtanda & in facilitate eadem præſtandi (§. 894. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem actus ad humanitatem referendi, qui ad præſtationem officiorum accedunt, iſtiusmodi eſſe debent, quibus aliis ſignificatur inſerviendi pronitas & promptitudo. *Quod erat alterum.*

Cum charitas virtus ſit (§. 620. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque tanquam habitus (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*) requirat promptitudinem præſtandi officia (§. 428. *Pſych. empir.*); officia jam prompte præſtantur, quatenus a charitate proficiſcuntur. Actus igitur, quibus ſignificatur animus prompte præſtandi officia & qui humanitatis ſunt, ab ipſa præſtatione officii dividendi, quamvis cum eadem conjuncti, per ſe non inſunt promptitudini agendi, qui ad habitum requiritur. Quoniam vero in actionibus liberis actus externi pendent ab internis; qui ſubtiliter, quemadmodum neceſſe eſt, ſi humanitatem diſtincte concipere velis, in præſtatione officiorum diſcernere voluerit, quænam proprie ad humanitatem pertineant, actionem, qua præſtatur officium, in ſimpliciores, ex quibus componitur, reſolvere tenetur. Equidem jam alias indicavimus (*not.* §. 895. *part. 1. Jur. nat.*), quales ſint actus externi, in quibus ſpectanda humanitas; non tamen inconſultum eſt, ut hoc in præſenti accuratius demonſtretur, & uberius declaretur.

Digitized by Google

§. 147.

Quinam ſint actus humanitatis. Quoniam ipſa præſtatio officii humanitatis non eſt, ſed ad eam referendi ſunt actus, quibus aliis ſignificamus, quantum propendeat animus ad inſerviendum aliis & quam faciles ſimus ad nos utiles præbendos aliis (§. 146.), animum vero noſtrum aliter ſignificare non poſſumus, quam oratione, vultu ac geſtu, quem in agendo habemus; *qui humanus eſt, tam verbis, quam vultu ac geſtu ſignificat, oblata occaſione inſerviendi alteri, quam volupe ſibi ſit, alteri inſervire, quodſi vero in poteſtate ſua non fuerit, ut alteri præſtet officium quod petit*, cum idem præſtare, quam denegare mallet, *ipſis quoque verbis, vultu ac geſtu moleſtiam quandam animi prodit.* Quemadmodum nimirum ipſi jucundum eſt inſervire alteri, ut omnem aliis inſerviendi occaſionem non ſine quodam gaudio arripiat; ita ex adverſo moleſtum accidit, ſi tenuitatis ſuæ ſibi conſcius facere nequit, quod maxime vellet. Et quoniam humanitas ex charitate oritur, nec ab ea ſeparari poteſt (§. 144.), charitas vero atque amor univerſalis ſororio vinculo copulantur (§. 54.); *qui humanus eſt, ejus tam verba, quam vultus & geſtus amorem ſpirant*, cumque alios amare debeamus tanquam nos ipſos propter Deum (§. 63.), qui vero alios diligit propter Deum, bonos & malos æque diligit, non tamen propterea mala horum facta approbat (§ 81.), ideoque in dilectione univerſali non ſpectat niſi perſonam, quatenus ſcilicet eum, cui officium præſtandum, conſiderat tanquam æque hominem (§. 81. *part. 1. Jur. nat.*), lege naturæ, quæ nos alium quemcunque tanquam nos ipſos diligere jubet (§. 618. *part. 1. Jur nat.*), in præcipiendo non ſupponente niſi naturam humanam communem (§. 221. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *qui humanus eſt, ejus* quoque *verba, vultus & geſtus nihil indicare debent, ex quo colligi poſſit, quaſi alterum,*

terum, cujuscunque ſit conditionis, vilipendamus; aut prorſus contemnamus.

Humanitas ſicuti omnis virtus in voluntate reſidet, quamvis in conſenſum trahat appetitum ſenſitivum & averſationem ſenſitivam (§. 276. 277. *part.* 1. *Jur. nat.*). Animi ſui unusquisque ſibi conſcius eſt, conſequenter etiam ignorare nequit, quantum is propendeat in aliorum commoda promovenda & quantam in ſe deprehendat aliis inſerviendi facilitatem. Humanitatis itaque ſuæ unusquisque ſibi intime conſcius eſt, aut minimum eſſe poteſt, modo animum ad ſeipſum attendere velit: neque enim ignota eſt communis oſcitantia in obſervandis iis, quæ ad animam pertinent. Enimvero cum alterius animum inſpicere nequeamus, niſi quatenus eundem ex actibus externis, qui in ſenſum incurrunt, colligimus; hi tales eſſe debent, ut & propenſio animi in alterius commoda promovenda, & inſerviendi facilitas inde colligi poſſit. Quamvis vero eorum, quæ in ſenſus incurrunt, obſervatio facilis videatur; non tamen adeo facile eſt ex iis certo colligere propenſionem illam animi in commoda aliorum promovenda & inſerviendi aliis facilitatem, ut de humanitate alterius certo conſtet, propterea quod rationes aliæ, quam quas charitas inſinuat, eſſe poſſunt, cur quis prompte petenti præſtet officium, quemadmodum contingit, ſi quis alios propter ſe diligit. Quamobrem non modo accurate perpendendæ ſunt omnes circumſtantiæ, per quas determinatur caſus obvius, verum etiam cautione opus eſt, ne ſimulatio nobis imponat. Tenendum vero eſt, ſi animus ita fuerit diſpoſitus, quemadmodum exigit humanitas, verba ſua veluti ſponte ad eum exprimendum ſuccurrere & vocem eidem convenienter determinari vultumque ac geſtum ad eundem componi, quamvis negandum non ſit, in hisce quoque ſuas habere partes ipſum uſum exercitatione acquiſitum. Multæ quoque ſunt rationes, quæ homines reddunt ſui impotentes, nec omnes adeo præſentis ſunt animi, ut ſui ipſius non obliviſcantur.

Hac

Hac vero de cauſa accidit, ut actus externi ſua veluti ſponte ſecuturi aut ſufflaminentur, aut certo quodam modo modificentur, ne amplius cum humanitate concordent. Quoniam tamen charitas mater humanitatis eſt, non tam facile tale quid metuendum, ſi ea altas in animo egerit radices. Vultus cum maxime probet affectus, ſeu commotiones appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ in humanitatem influentes, itemque vox & geſtus, affectus autem minus ſimulare datur, quam ſermonem, ſolis verbis fidendum non eſt, ſed ad vultum inprimis, deinde ad vocem & geſtus reſpiciendum. Quodſi enim inde agnoſcimus voluptatem ex officio nobis inſerviendi perceptam, aut moleſtiam quandam animi, ſiquidem præſtatio in poteſtate non eſt; cum inde ſatis certi ſimus amoris, nec eſt, quod de humanitate dubitemus. Vulgo equidem ex verbis & quibusdam moribus, quos conſuetudo introduxit, humanitas æſtimari ſolet. Aſt qui ita eandem æſtimant, quid ſibi velit hæc virtus non ſatis intelligunt, confuſa quadam notione contenti, ut ideo quoque non deſint qui exiſtimant, quaſi humanitas locum ſaltem habeat inter homines diſparis conditionis.

§. 148.

Quando humanitas ſimuletur.

Qui charitate deſtitutus verba, vocem &, quantum fieri poteſt, vultum atque geſtum imitando humanum effingit; humanitatem ſaltem ſimulat. Quoniam enim humanitas ex charitate oritur, nec ab hac ſeparari poteſt (§. 144.); qui charitate deſtituitur, humanus eſſe nequit. Quamvis itaque verba, vocem &, quantum fieri poteſt, vultum atque geſtum imitando humanum effingat, cum tamen non habeat animum, qualem humanitas requirit (§. 894. *part.* 1. *Jur. nat.*), actiones externæ ab internis diſſentiunt (§. 716. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum in hoc diſſenſu conſiſtat ſimulatio (§. *cit.*); qui charitate deſtitutus verba, vocem & quantum

rum fieri poteſt, vultum atque geſtum imitando humanum effingit, humanitatem ſaltem ſimulat.

Cum humanitate prodamus charitatem (§. 145. 146.); qui charitatem ſimulare volunt, humanitatem ſimulant, ſibique tanto facilius perſuadent ſe hanc ſimulare poſſe, quia humanitas non in ipſa præſtatione officii conſiſtit (§. 146.), & in charitate ſufficit voluntas, ſi deſint vires (§. 611. *part. 1. Jur. nat.* & §. 57. *h.*). Exemplum habemus in Neopharisæis, pietatis pompoſæ cultoribus, qui formam humanitatis imitando effingunt, ut alios diligere videantur, factis tamen animum vindictæ cupidum & odium erga diſſentientes & ab hypocryſi ipſorum alienos abunde produnt: id quod cum charitate conſiſtere non poſſe abunde patet per ea, quæ de dilectione univerſali, de animo ab omni vindictæ cupidine alieno & de odio erga alios paſſim demonſtrata ſunt. Videantur ſaltem ea, quæ de pompoſæ pietatis cultoribus demonſtravimus & annotavimus (§. 152. 153. *part. 3. Eth.*). Conſuetudo ſimulandi ubi in alteram naturam abiit, pietatis pompoſæ cultores ſibimet ipſi tandem imponunt, præſertim ſi diſtinctis charitatis & humanitatis, immo etiam pietatis notionibus deſtituuntur, quemadmodum ut plurimum obtinet. Quis enim eſt, qui neſciat, modo notiones diſtinctas atque confuſas internoſcere didicerit, pleroſque ſicuti virtutum omnium, ita etiam charitatis & humanitatis, itidemque pietatis nonniſi confuſas notiones habere, & unumquemque eas æſtimare ex factis ſuis, qui hac vel iſta virtute ſibi præditus videtur, vel eandem affectat? Nemo vult videri malus, etiamſi ſit, ideoque vitia ſimulationum involucris teguntur, &, ut dudum obſervavit *Cicero* (eadem enim in terris ſemper agitur fabula), frons, oculi, vultus perſæpe mentiuntur, oratio vero ſæpiſſime. Obiter noto, *Ciceronem* vultum accipere in ſignificatu ſtrictiori eo, quem nos vocabulo impoſuimus, qui ſub vultu comprehendimus integram com-

poſitionem faciei determinato ſitu partium faciei mobilium factam, ideoque etiam frontis atque oculorum.

§. 149.

Inhumanus alios non diligit tanquam ſeipſum.

Qui inhumanus eſt, alios tanquam ſeipſum diligere nondum didicit. Etenim qui inhumanus eſt, ab officiis humanitatis aliis præſtandis averſum habet animum (§. 896. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter nemini officium quoddam præſtat, niſi fuerint rationes quædam particulares, quibus ad id præſtandum adducitur, ſuam potius utilitatem intendens, quam aliorum. Quamobrem cum ipſi moleſtum accidat officium præſtare alteri, niſi hoc faciat commodi ſui cauſa (§. 156. *part. 2. Eth.*), voluntas ejus diſpoſita non eſt ad aliorum perfectionem promovendam. Quoniam itaque alios non diligit, cui conſtans & perpetua non eſt voluntas aliorum perfectionem promovendi (§. 653. *part. 1. Jur. nat.*); qui inhumanus eſt, alios tanquam ſeipſum diligere nondum didicit.

Oſtenditur etiam hoc modo per indirectum. Ponamus eum, qui inhumanus eſt, alios tanquam ſeipſum diligere. Quoniam qui alios quoscunque diligit tanquam ſeipſum humanus eſt (§. 143.); erit idem humanus & inhumanus. Enimvero cum humanitas requirat animum ad officia erga alios propenſum (§. 894. *part. 1. Jur. nat.*), inhumanitas autem animum ab officiis erga alios averſum (§. 896. *part 1. Jur. nat.*); fieri omnino nequit, ut idem ſimul ſit humanus & inhumanus. Quamobrem repugnat, ut, qui inhumanus eſt, alios tanquam ſeipſum diligere didicerit.

Nemo facile propoſitionem præſentem in dubium vocabit, quin potius eandem absque ulla demonſtratione admittet, modo utcunque intelligat, quid ſit diligere, vel amare alte-

alterum. Qui alios amat, ea facere ſtudet, quæ ipſis placent (§. 299. *part. 2. Eth.*); qui vero inhumanus eſt, curam aliorum prorſus abjicit, nec eum tangit aliorum felicitas (*not.* §. 897. *part. 1. Jur. nat.*), quin potius nonniſi ægerrime adduci poteſt, ut ad felicitatem alterius quidpiam conferat, quantulumcunque ſit. Inhumanitas itaque ſignum infallibile carentiæ dilectionis univerſalis eſt: id tantummodo obſervandum, ne in dijudicanda inhumanitate aberres. Fatendum tamen in dijudicanda humanitate facilius aberrari, non modo quod eam ſimulare poſſunt, qui eadem carent (§. 148.), verum etiam quia ipſi actus humanitatis non ſine omni acumine diſcernuntur (§. 146. 147.). Conſultum omnino eſt, ut actus humanitatis cum actibus inhumanitatis ſollicite conferantur: ita enim oppoſita juxta ſe poſita clarius eluceſcent.

§. 150.

Quinam actus referendi ad inhumanitatem.

Ipſa denegatio officiorum humanitatis inhumanitatis non eſt, multo minus neglectus eorundem; ſed ad inhumanitatem referendi ſunt actus, quibus averſio animi ab officiis erga alios & moleſtia ejus ſignificatur, ſi officium petitur, vel præſtandum. Cum enim charitas complectatur omnia officia erga alios (§. 654. *part. 1. Jur. nat.*), qui charitate deſtituitur, aliis officia denegat, quæ præſtare poterat atque debebat. Quamobrem cum denegatio officiorum humanitatis defectui charitatis ſit tribuenda, inhumanitas autem a carentia charitatis differat (§. 620. 617. 896. *part. 1. Jur. nat.*); ipſa denegatio officiorum humanitatis inhumanitatis non eſt. *Quod erat primum.*

Qui indifferenti erga alios animo eſt, alios non amat tanquam ſeipſum (§. 629. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter cum aliorum felicitate non delectetur (§. 633. *Pſych. empir.*), alios quoque non diligit tanquam ſeipſum (§. 617. *part. 1.*

Digitized by Google

Jur. nat. & 292. *part. 2. Eth.*). Quoniam itaque quæ aliorum ſunt parum curat, officia erga alios negligit charitate deſtitutus (§. 620. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum neglectus officiorum erga alios carentiæ charitatis tribuendus ſit, patet ut ante eum non eſſe inhumanitatis. *Quod erat ſecundum.*

Enimvero inhumanitas conſiſtit in averſione animi ab officiis humanitatis (§. 896. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque moleſtus affectus concitatur, ſi officium petitur, vel rationes quædam particulares in caſu emergente præſtationem urgent. Quamobrem ſi quis inhumanus fuerit ad denegationem officii accedere debent actus, qui animum ejus produnt, nimirum averſionem ab officiis humanitatis & moleſtiam animi, quando officium petitur, aut præſtandum. Ad inhumanitatem itaque referendi ſunt actus externi, quibus averſio animi ab officiis humanitatis erga alios & moleſtia ejus ſignificatur, ſi officium petitur, vel præſtandum. *Quod erat tertium.*

Notandum hic eſt, cum officium humanitatis recte denegetur, ſi in poteſtate noſtra non ſit id præſtare alteri, aut alter eodem, vel ope noſtra non indigeat (§. 222. 232. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ex adverſo autem minus recte, ſi præſtatio fuerit in poteſtate & alter ope tua indigeat (§. 612. *part. 1. Jur. nat.*), in præſenti non intelligi niſi denegationem officiorum erga alios illicitam. Et ipſa negligentiæ notio inſinuat, neglectum officiorum erga alios accipiendum eſſe de officiis, quorum præſtatio in poteſtate noſtra eſt & quando alter ope noſtra indiget (§. 750. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Immo cum ex ſubſtrata materia intelligatur, denegationem officiorum erga alios eorundemque neglectum ad vitia referri, idem jam inde patet. Illicita officiorum denegatio & neglectus ſemper arguit carentiam charitatis atque amoris univerſalis; non tamen propterea inhumanitatem: neque enim opus

Digitized by Google

opus eſt, ut, qui deſtituitur charitate ac amore univerſali, idem etiam inhumanus ſit. Qui charitate deſtituitur, ei non eſt voluntas felicitatem alterius promovendi (§. 617. *part. 1. Jur. nat.*) & ob defectum amoris non delectatur felicitate alterius (§. 633. *Pſych. empir.*): aſt qui non habet voluntatem alterius felicitatem promovendi, is propterea nondum habet noluntatem eandem promovendi (§. 884. 885. *Pſych. empir.*), nec qui aliorum felicitate non delectatur, is ex officiorum præſtatione, quibus ea promovetur, moleſtiam percipit (§. 535. *Pſych. empir.*). Sola igitur charitatis privatio, a qua proficiſcitur officiorum denegatio, vel neglectus, ad inhumanitatem non ſufficit, ſed ſi ea accedere debet, cauſam quandam poſitivam requirit. Inhumanitas itaque peculiares requirit actus, qui ad denegationem officii accedere debent, nec cum ea neceſſario copulantur. Quinam igitur ſint hi actus ex definitione inhumanitatis deducendum. Actus nimirum interni per ipſam definitionem patent, & quoniam externi cum internis conſentire debent, quales hi ſint ex definitione deducendum. Opponitur inhumanitas humanitati tanquam vitium virtuti. Quemadmodum itaque actus externi ad humanitatem referendi ſunt actus, quibus alteri inſerviendi pronitas & promptitudo ſeu facilitas ſignificatur (§. 146.); ita ex adverſo ad inhumanitatem referendi ſunt actus externi, quibus averſio animi ab officiis erga alios & moleſtia animi, quando officium petitur, aut præſtationem rationes quædam particulares urgent, proditur. Nihil in hisce diſcernendis foret difficultatis, niſi tam multa forent, quæ in determinationem appetitus & averſationis tam ſenſitivæ, quam rationalis influerent, quæ cum pro diverſitate ſubjectorum tantopere varient, ſtatum animi mirifice alterant, ut multa cautione opus ſit, ne in diſcernendis iis, quæ virtutum & vitiorum ſunt, eorundemque cauſis ceſpites, præſertim ſi non ſufficiente ſcientia fueris inſtructus, vel acumine ſufficiente utaris. Accedit, quod vocabula invenerit vulgus in diverſis dividendis non ſatis acutum, utpote non ultra ſenſus ſapiens.

Ideo enim vocabula, quibus tamen utendum, ſi intelligi volumus, vagum admodum minusque determinatum habent ſignificatum, quo ad fixum & determinatum reducto, non eſt quod miremur, judicia vulgi haud raro diſſonare, nec cum iis, quæ in Moralibus demonſtrantur, prorſus concordare.

§. 151.

Quinam ſint actus inhumanitatis. Quoniam ipſa denegatio officiorum humanitatis inhumanitatis non eſt, multo minus neglectus eorundem, ſed ad inhumanitatem referendi ſunt actus, quibus proditur averſio animi ab officiis humanitatis & moleſtia ejus, ſi officium humanitatis petitur, vel præſtandum (§. 150.), animum vero noſtrum, quem in agendo habemus, ſignificare aliter non poſſumus, quam oratione, vultu ac geſtu; *qui inhumanus eſt tam verbis, quam vultu ac geſtu ſignificat, quando officium aliquod petitur, vel in caſu emergente rationes quædam particulares præſtationem urgent, quam moleſtum ſibi ſit alteri inſervire, & quantum ab officiis erga alios abhorreat.*

Variant omnino affectus moleſti, quibus commovetur animus inhumani, propterea quod in diverſis ſubjectis non eadem vitia in averſionem animi ab officiis erga alios influunt, nec iidem omnium ſunt mores. Quamobrem & verba, & vox, & vultus cum geſtu admodum variant, in eo tamen conveniunt, quod indignationem quandam erumpentem aperte loquantur, propterea quod officium quoddam petitur. Sed nolumus in iis recenſendis eſſe prolixiores, quæ unusquisque facile obſervare poteſt. Illud ſaltem tenendum, cum caſus emergant, in quibus inhumanitatem occultari conſultum eſt erga petentem, eandem tamen prodi erga alios, quando de officio ab altero petito ſermo eſt, vel etiam erga eum, qui petentis deſideria ad inhumanum defert.

§. 152.

Digitized by Google

§. 152.

Qui alios quoſcunque diligit tanquam ſeipſum, officioſus eſt. Qui enim alios diligit tanquam ſeipſum, ei voluntas conſtans & perpetua eſt felicitatem cujuscunque promovendi (§. 617. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum perfectionem aliorum promovere debeat, qui eorum felicitatem promovere vult (§. 652. *part. 1. Jur. nat.*), in eo autem officia erga alios conſiſtant (§. 222. 225. *part. 1. Phil. pract. univ.*); qui alios diligit tanquam ſeipſum, officia aliis lubentiſſime præſtat, quæcunque in poteſtate ſua ſunt, conſequenter ad ea præſtanda ſemper paratus eſt. Quoniam itaque officioſus eſt, qui ad officia humanitatis aliis præſtanda ſemper paratus eſt (§. 898. *part. 1. Jur. nat.*); qui alios quoſcunque diligit tanquam ſeipſum, officioſus eſt. *Quinam ſint officioſi.*

Medium officioſitatis eſt dilectio univerſalis: ubi hæc adfuerit, officioſitas ſua veluti ſponte ſequitur. Etenim in dilectione jam adeſt voluntas unicuique, quicunque tandem fuerit, officia præſtandi: expectatur ſaltem occaſio, qua quod quis vult actu facere poteſt. Quamobrem quamprimum quis officium humanitatis petit, aut occaſio etiam non petenti præſtandi ſeſe offert, extemplo idem præſtat. Hoc autem officioſitatis eſt (*not.* §. 898. *part. 1. Jur. nat.*). Cum diligentis voluntas conſtans & perpetua ſit, officioſitatem in ſinu ſuo fovet. Quoniam enim perpetua eſt, in quolibet caſu emergente qui diligit alios quoſcunque tanquam ſe ipſum, officium alteri præſtare vult, ut nullo demum motivo indigeat ad voluntatem determinandum, quæ jam determinata eſt. Et quoniam voluntas conſtans eſt, nullis quoque motivis a propoſito ſuo abduci ſeſe patitur, ut nec de iis cogitet, quæ ipſum a propoſito ſuo abduci poterant, nec diſſuadentibus aurem præbeat. Officioſitas non ſpectatur niſi in ipſa præſtatione officiorum: animus enim idem eſt, qui charitate pollen-

pollentis. Fieri equidem poteſt, ut quis officioſum ſe præbeat ſaltem commodi ſui cauſa: aſt tum nondum ea virtute conſpicuus eſt, cui officioſitatis nomen tribuitur. Qui enim hac virtute imbutus eſt, is ad præſtanda officia humanitatis cuicunque paratus eſt, quamprimum ſeſe offert occaſio, non vero promptitudo præſtandi officia ad certas ſaltem perſonas, aut ad unicam ſaltem reſtringitur. Officioſitas optime perſpicitur in perſonis, quæ, cum nihil ab aliis ſperare poſſint, nec ex actionibus ſuis gloriam capere, lubentiſſime tamen & ſine mora faciunt, quod petitur. Fieri autem nequit, ut veram formam habeat, nec labe ulla inficiatur, niſi ex dilectione univerſali proficiſcatur.

§. 153.

De officioſitatis cum charitate nexu.

Cum qui alios quoscunque diligit tanquam ſeipſum, officioſus ſit (§. 152.), habitus vero alios diligendi charitas ſit (§. 620. *part. 1. Jur. nat.*); *officioſitas ex charitate oritur, nec ab hac ſeparari poteſt.*

Loquimur hic de officioſitate, qualem urget lex naturæ & quæ promiſcue ad omnes homines extenditur (§. 899. *part. 1. Jur. nat.*). Officioſitas, quæ ad certam perſonam, vel ad certas quasdam reſtringitur, quamvis ad vitium referri nequeat, labe tamen omni minime caret, quemadmodum in aliis quoque actionibus externis contingit, quæ in ſe ſpectatæ legi quidem naturæ conveniunt, ad animum tamen relatæ ab eadem recedunt, & vel a vitiis, vel virtutis cujusdam defectu labem quandam contrahunt. Vera officioſitas, quæ perfecta eſt, nec ulla ex parte deficit, neque labe ulla aliunde contracta inficitur, matrem non agnoſcit niſi charitatem. Quodſi dilectioni univerſali majorem impenderent operam eidemque a primis unguiculis adſuefierent homines, ut charitas ipſorum animis ingigneretur altasque in iis radices ageret, ad humanitatem & officioſitatem nullæ prorſus curæ cogitationesque laborare tenerentur.

§. 154.

Digitized by Google

§. 154.

Qui officioſus eſt, ei præſtatio officii in caſu emergente nullis demum rationibus perſuadenda, ſed ſufficit, ut agnoſcat eam eſſe in poteſtate ſua. Qui enim officioſus eſt, ad officia humanitatis alteri præſtanda ſemper paratus eſt (§. 898. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter voluntas ejus jam ſufficienter determinata eſt, ut ad ipſam præſtationem nihil amplius requiratur quam præſtandi occaſio. Quamprimum itaque hæc offertur, nihil eſt, quod præſtationem remorari poſſit. Quamobrem non opus eſt, ut ullis demum rationibus ea ipſi perſuadeatur. *Quod erat unum.*

Qualis ſit diſpoſitio animi in eo, qui officioſus eſt.

Et quia officioſitas ex charitate oritur, nec ab hac ſeparari poteſt (§. 153.), charitas vero atque amor univerſalis ſororio vinculo copulantur (§. 54.); amor tendens ad promovendam felicitatem & depellendam infelicitatem alterius ſtimulus eſt officii præſtandi (§. 292. *part. 2. Eth.*). Qui ergo officioſus eſt, ei abunde ſufficit, ut agnoſcat, officii præſtationem eſſe in poteſtate ſua. *Quod erat alterum.*

Officioſitas potiſſimum ſpectatur in facilitate, quando occaſio officium aliis præſtandi offertur. Cumque *Cicero* pro Lege Manilia facilitatem vocet virtutem, qua libenter multis gratificamur; ecquis eſt qui non videat, eam ipſam virtutem, quam nos officioſitatem dicimus, idiomate patrio die Dienſtfertigkeit appellamus, facilitatem vocari: Conſiſtit autem facilitas in eo, quod jam parati ſimus ad officium præſtandum, & ſaltem expectetur occaſio, ut actu præſtari poſſit. Quamobrem non opus eſt ut a petente allegentur rationes, quibus officioſum commovere vult ad officium, quod petit, ſibi præſtandum. Quin potius ſi hic ſibi conſcius eſt, quid velit alter ſibi fieri, ſtatim annuit, antequam is rationes, quas allegare vult, proferre poſſit, immo proferre vo-

lentem interpellat, ipſumque certum eſſe jubet, ſe lubentiſſime facere, quod petit, nec opus eſſe, ut rationes petitionis exponat. Immo cum amore univerſali impellatur ad commodum aliorum promovendum, & officium præſtet tanquam debitum naturale, non vero utilitatis ſuæ cauſa; ſi petens ſignificare velit animum ad officia quædam viciſſim præſtanda paratum, extemplo regerit, ſe hoc minime deſiderare. Cui hic eſt animus, is demum certus eſſe poteſt, ſe virtutem poſſidere, quam ſive officioſitatem, ſive facilitatem appellare malis, nobis perinde eſt, qui non vocabulorum, ſed rerum rationem habemus. Atque hinc porro intelligitur, quantum profecerimus in charitate & quam altas radices in animo egerit amor univerſalis. Officioſitas itaque, ſeu aliis inſerviendi facilitas ſignum certiſſimum charitatis eſt, modo tibi non patiaris imponi dilectione aliorum propre[illegible] ex circumſtantiis datis haud difficulter agnoſcenda. Ce[illegible] enim ex charitate proficiſcatur officioſitas (§. 153.), & [illegible] lum habeat amorem univerſalem, *per demonſtrata;* tam la[illegible] te patet quam charitas & amor univerſalis. Quemadmodum itaque qui homines omnes amat, omnes redderet felices, ſi in poteſtate ſua eſſet (§. 50.); ita officioſus omnibus ope aliena indigentibus officium quodlibet præſtaret, modo in poteſtate ſua eſſet. Quoniam vero nemo eſt qui neſciat, quam curta nobis ſit ſuppellex; *Cicero* tenuitatis virium humanarum ſibi conſcius facilitatem dixit virtutem, qua multis gratificamur, quamvis ſi voluntas ſpectetur, omnibus gratificare vellemus: impoſſibile vero eſt gratificare omnibus. Sortitur autem voluntas in infinitum extenſa hunc effectum, ut ſine ullo perſonarum reſpectu, nulla attenta utilitate propria, unicuique ope noſtra indigenti pro virili ſuccurramus. Etſi amor univerſalis ab ipſa natura hominibus inſitus multis modis infirmetur atque ſupprimatur; non tamen adeo extinctus eſt in animis omnium, ut non paſſim occurrant exempla, in quibus hominibus ignotis in periculo præſertim conſtitutis ſuccurrunt qui opem ferre poſſunt. Atque eadem præbent

ideam

Digitized by Google

ideam exemplarem illius facilitatis, quæ officioſitatis anima eſt.

§. 155.

Quando denegatio officii non ſit inofficioſitatis, nec præſtatio ſit officioſitatis.

Qui petenti officium denegat, quod in poteſtate ſua non habet, ſive deſint vires, ſive ſalva obligatione ſua fieri nequeat, inofficioſus non eſt: nec officioſitatis eſt alteri facere, quod ſalva obligatione fieri nequit. Nemo enim alterius perfectionem promovere ac imperfectionem præcavere tenetur, niſi quatenus in poteſtate eſt (§. 611. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter officia, quæ in poteſtate non ſunt, recte denegantur, ſive deſint vires, ſive ſalva obligatione noſtra fieri nequeat, quod efflagitat alter. Quoniam itaque denegatio legi naturæ minime contrariatur, ad vitium vero, quale inofficioſitas eſt (§. 900. *part. 1. Jur. nat.*), referri nequeunt actiones, niſi quæ legi naturæ contrariantur (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*); qui petenti officium denegat, quod in poteſtate ſua non habet, ſive deſint vires, ſive ſalva obligatione ſua fieri nequeat, inofficioſus non eſt. *Quod erat unum.*

Enimvero cum obligatio naturalis ſit neceſſaria & prorſus immutabilis (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*); nemo in gratiam alterius facere poteſt, quod obligationi ſuæ naturali quomodocunque contrariatur, conſequenter ſi quid faciat, quod alteri utile eſt, ſalva tamen obligatione ſua facere nequit, actionem ſuam contraria ratione determinat, quam lege naturæ præſcribitur (§. 141. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque ad vitium ea adſcribenda (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum officioſitas virtus ſit (§. 898. *part. 1. Jur. nat.*); officioſitatis non eſt facere alteri, quod ſalva obligatione noſtra fieri nequit. *Quod erat alterum.*

Officioſitatem & inofficioſitatem norma naturali, quæ lex naturæ eſt, dividere tenemur. Hæc enim nos docet, quando officium alteri ſit præſtandum, quando denegari poſſit, immo denegandum. Nemo obligatur ultra id, quod poſſibile (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter in poteſtate ſua eſt (§. 175. *part. 1. Jur. nat.*): in poteſtate vero ſua quoque non eſt, quod alteri præſtare non valet, niſi cum neglectu officii erga ſeipſum (§. 610. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter non ſalva obligatione ſua. Quando igitur officium quoddam præſtandum alteri, non modo conſiderare tenemur, utrum phyſice, verum etiam num moraliter poſſibile ſit, ut id præſtemus. Prius ex viribus æſtimatur, quæ nobis ſunt; poſterius ex lege naturali, quæ facienda & non facienda præſcribit. Quomodo vero explorandæ ſint vires, patet per ea, quæ in poteſtate noſtra eſſe dicuntur (§. 175. *part. 1. Jur. nat.*). In cenſum nimirum veniunt non modo vires corporis, verum etiam facultatum ac rerum noſtrarum uſus una cum ope atque auxilio aliorum, quod nobis præſto eſt. De his cum non ſemper certo conſtare poſſit aliis, cautione opus eſt, ne denegationem officii ad inofficioſitatem referamus, antequam certum fuerit, denegari quod in poteſtate eſt, & ſalva reverentia legi naturæ debita fieri poteſt. Officii vero nomen non meretur, quod petenti utile eſt, præſtari autem nequit niſi violata obligatione, quæ a lege naturæ venit. Officium non eſt niſi actio legi naturæ convenienter determinata (§. 225. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamprimum itaque in determinationem voluntatis ad agendum influit, quod legi naturæ quomodocunque contrariatur, actio officium eſſe deſinit, etſi alias officium eſſet. Non obſtat, quod vulgo officium appelletur: quoniam enim in ratione populari omnis noſtra verſatur oratio, populariter loqui haud raro neceſſe eſt & nomen tribuere rei, quod vi definitionis eidem minime convenit. Nullibi magis hoc obtinet, quam in Philoſophia morali: ubi actio, quæ virtutis eſſe videtur, actu interno vitiatur, ut ad virtutem adſcribi nequeat. Qui alterum com-

commendat Patrono, ut ad munus quoddam publicum evehatur; officium eidem præſtare cenſetur, cumque in eo ſe facilem præbeat petenti, officioſus eſſe videtur. Enimvero ſi bono publico adverſetur, ut petentis deſiderio ſatisfiat, cujus in commendatione maxime habenda ratio eſt, commendatio, quamvis proficiſcatur ab eo, qui lubenter aliis officia præſtat, nec denegare ſolet, quod alteri facere poteſt, officoſitatis non eſt.

§. 156.

Quoniam inofficioſus non eſt, qui petenti officium denegat, quod ſalva obligatione præſtare nequit, nec officioſitatis eſt alteri facere, quod ſalva obligatione fieri non poteſt (§. 155.); *officioſitas ſupponit legis naturæ ſcientiam* (§. 131. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter *legi naturæ intime perſpiciendæ operam dare debet qui puritatem animi in officioſitate conſervare vult* (§. 599. *part. 2. Eth.*). *Scientia legis naturæ ad offitioſitatem requiſita.*

Vulgo æſtimatur officium ex eo, quod alteri utile, aut commodum: hoc vero ſolum ad id non ſufficit. Lex enim naturæ officiorum norma eſt (§. 225. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter in determinationem voluntatis ad præſtandum alteri, quod ipſi utile, aut commodum eſt, nihil influere debet, quod legi naturæ quomodocunque contrariatur: id quod ne fiat, ſollicite expendendæ ſunt omnes circumſtantiæ, quæ actionem, ſi eam in genere ſpectes, bonam faciunt malam. Proficiſci poteſt a bona voluntate, quæ generaliter determinata eſt ad inſerviendum alteri, conſequenter eam facilitatem gignere poteſt, quæ ad officioſitatem requiritur. Enimvero cum voluntas bona non ſufficiat ad actiones bonas committendas (§. 131. *part. 2. Eth.*), multoque minus ad puritatem animi (§. 605. *part. 2. Eth.*); ita quoque eadem non ſufficit ad officioſitatem. Voluntatem perficere debemus (§. 273. *part. 1. Jur. nat.*): perfecta autem voluntas requirit exactam juris naturæ ſcientiam (§. 133. *part. 2. Eth.*). Quamobrem

Digitized by Google

quoque officioſitas, ſeu aliis inſerviendi facilitas a voluntate perfecta proficiſcatur neceſſe eſt, ideoque totam moderari debet lex naturæ. Facile patet, cum virtus omnis conſiſtat in habitu actiones ſuas legi naturæ convenienter determinandi (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*); quæ de officioſitate dicuntur, de virtute quacunque alia intelligenda eſſe, niſi præter omnem opinionem actiones inde manantes labe quadam infici debeant.

§. 157.

Amoris univerſalis & charitatis carentia in inofficioſitate.

Qui inofficioſus eſt, homines quoscunque alios nondum diligit tanquam ſeipſum, neque amat. Qui enim inofficioſus eſt, nemini facile præſtat aliquod officium humanitatis, quin potius petenti denegat (§. 900. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum officia conſiſtant in actionibus legi naturæ conformiter determinatis (§. 224. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ut conſtantem ac perpetuam habeamus voluntatem perfectionem ac felicitatem aliorum quorumcunque promovendi (§. 615. *part. 1. Jur. nat.*); qui inofficioſus eſt, voluntate conſtante ac perpetua aliorum quorumcunque perfectionem ac felicitatem promovendi caret. Enimvero in hac voluntate conſiſtit dilectio alterius (§. 617. *part. 1. Jur. nat.*). Qui ergo inofficioſus eſt, homines quoscunque alios nondum diligit tanquam ſeipſum. *Quod erat unum.*

Quoniam vero inofficioſus caret voluntate aliorum felicitatem promovendi, *per demonſtrata*; ex felicitate quoque hominis cujuscunque non perinde ac ex propria voluptatem percipit (§. 156. *part. 2. Eth.*). Quamobrem cum alterum non amet, niſi is, cujus animus diſpoſitus eſt ad voluptatem percipiendam ex ipſius felicitate (§. 633. *Pſych. empir.*); inofficioſus homines alios quoscunque nondum amat tanquam ſeipſum. *Quod erat alterum.*

Sicuti

Digitized by Google

Sicuti fons officioſitatis charitas eſt (§. 153.), quæ cum amore univerſali ſororio vinculo copulatur (§. 54.); ita inofficioſitas oritur ex carentia charitatis & amoris univerſalis. Qui amore univerſali caret, in eo deficit ſtimulus ad officia præſtanda cuicunque, qui ope, auxilio, vel conſilio aliorum indiget. Parum curat ea, quæ aliorum ſunt, niſi cum iisdem connectatur utilitas propria. Quem vero commodum ſuum impellit ad officium quoddam præſtandum alteri, is non ſe utilem alteri præbet, quia ipſum diligit & amat.

§. 158.

Animus inofficioſi indifferens erga alios.

Quoniam inofficioſus homines quoscunque alios non amat (§. 157.), non tamen neceſſe eſt, ut eum oderit, cui officium denegat (633. 661. *Pſych. empir.*), qui vero alterum nec amat, nec odit, indifferente in ipſum animo eſt (§. 629. *part. 1. Jur. nat.*); *inofficioſus erga homines alios indifferenti animo eſt.*

Si hominem ſolummodo ſpectemus tanquam hominem, quemadmodum ſpectatur in amore univerſali, cur hominem qua hominem quis oderit vix concipi poteſt. Quamvis enim dentur nonnulli, quos aliena infelicitas per ſe delectare videtur; ratio tamen latet non in communi hominum natura, ſed in vitio aliquo, quo depravatus eſt animus. Quamobrem ſi quis amore carens aliorum felicitate non delectatur, non tamen ideo delectatur ipſorum infelicitate. Ac propterea indifferens erga alios animus ad inofficioſitatem ſufficit. Indifferentia animi gignit neglectum officiorum humanitatis & accedit denegatio, quando id petitur, quatenus inofficioſus autem non præbet petenti. Tenendum nimirum, duplici reſpectu officium petenti denegari poſſe, vel ut commodum alienum ſpectetur tanquam res, quæ ad nos minime pertinet, nobisque curæ eſſe minime debet, vel ut carentia ejus conſideretur tanquam malum, quo petentem afficimus officium

cium denegando. Prior conſideratio animi indifferentis eſt, atque ad inofficioſitatem ſufficit; poſterior autem odium ſupponit, nec ad inofficioſitatem inde proficiſcens denegatio adſcribenda. Inofficioſus nec prodeſt, nec nocet aliis: aſt qui alterum odio habet, alteri nocere intendit. Nocetur vero etiam alteri non modo quando damnum datur, ſed & quando damnum non depellitur, aut commodum non promovetur. Quod vulgo hæc non ſatis diſtingvantur, non alia eſt ratio, niſi quod nolitio non dividatur a nuda omiſſione volitionis, neque ideo noluntas tanquam peculiaris facultas contradiſtingvatur voluntati. Qui ea perſpexit, quæ de hac differentia tradidimus in Pſychologia empirica, de nimia ſubtilitate nullas movebit querelas: quin potius in praxi morali ubivis deprehendet, quam non ſolum utile, ſed etiam neceſſarium ſit, ut differentia iſta attendatur. Patet in præſenti, quod ea neglecta malitiam, quæ ineſt denegationi officii humanitatis, æſtimare non poſſimus. Majorem enim eſſe malitiam, ſi officium denegetur, vel negligatur odio in petentem, quam ſi id fiat, propterea quod quis indifferenti erga petentem animo eſt, ſatis liquet.

§. 159.

Ex indifferenti erga alios animo ſequi inofficioſitatem.

Qui indifferenti erga humanum genus animo eſt, inofficioſus eſt. Qui enim indifferenti erga genus humanum animo eſt, alios homines quoscunque neque amat, neque odit (§. 629. *part.* I. *Jur. nat.*). Aliorum igitur nec felicitate, nec infelicitate delectatur (§. 633. 661. *Pſych. empir.*). Quamobrem fieri nequit, ut habeat voluntatem conſtantem atque perpetuam felicitatem aliorum promovendi, conſequenter alios non diligit (§. 617. *part.* I. *Jur. nat.*). Quoniam itaque charitate deſtituitur (§. 620. *part.* I. *Jur. nat.*), hæc vero officia omnia erga alios complectitur (§. 654. *part.* I. *Jur. nat.*); qui indifferenti erga humanum genus animo eſt, ejus animus ad

Digitized by Google

ad officia aliis præſtanda parum diſpoſitus. Aliis igitur officium aliquod humanitatis haud facile præſtat, ſed petenti potius denegat. Quamobrem cum inofficioſus ſit, qui nemini facile officium quoddam humanitatis præſtat, quin potius petenti denegat (§. 900. *part. 1. Jur. nat.*); qui indifferenti erga humanum genus animo eſt, inofficioſus eſt.

Amorem & dilectionem cum lex naturæ extendat ad homines quocunque omnes (§. 618. 619. *part. 1. Jur. nat.*); qui appetitum ſenſitivum legi naturæ convenienter moderatur & voluntatem eidem conformat, quemadmodum conſenſus appetitus ſenſitivi cum rationali requirit, is genus humanum amat & diligit. Quemadmodum itaque omnes homines redderet felices ſi in poteſtate ſua eſſet (§. 50.); ita quoque nihil eorum omittit, quod ad utilitatem generis humani fieri a ſe poſſe videt. Quamobrem nec fieri poteſt, ut oblata occaſione cuicunque in præſtandis officiis ſe facilem præbeat. Atque ita ex amore generis humani, quem ipſa natura nobis inſtillat, tanquam ex fonte fluit officioſitas, quam exigit lex naturæ ſibi ſemper conſona ob inviolabilem nexum cum amore univerſali (§. 899. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam amore generis humani caret, qui indifferenti erga homines qua homines animo eſt (§. 629. *part. 1. Jur. nat.*); obturato fonte officioſitatis, officia aliis præſtanda parum curat & niſi peculiaris quædam ratio adſit, cur quempiam amet, nullum quoque officium eidem præſtat. Perinde igitur ex animo indifferenti ſequitur inofficioſitas lege naturæ prohibita (§. 901. *part. 1. Jur. nat.*), ſicuti ex amore generis humani officioſitas. Atque ideo patet, vitium hoc non poſſe eradicari, niſi ad amorem generis humani adducantur, quorum animus erga homines promiſcue omnes indifferens eſt. Quæ igitur de amore & dilectione univerſali in ſuperioribus demonſtrata ſunt, ad debellandum quoque hoc vitium abunde ſufficiunt: indifferentia nimirum animi tolli aliter nequit niſi ingenito amore univerſali (§. 629. *part. 1. Jur. nat.*), ex quo cum

Digitized by Google

procedat officioſitas, inofficioſitati nullus amplius locus eſt, quæ in omiſſione ejus conſiſtit, quod facit officioſus (§. 898. 900. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 160.

Inofficioſitatem cum inhumanitate non eſſe per ſe connexam.

Qui inofficioſus eſt, non neceſſario inhumanus quoque eſt. Etenim qui inofficioſus eſt, caret facilitate præſtandi officia aliis (§. 900. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque ea negligit (§. 750. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Nuda igitur omiſſio ejus, quod faciendum erat, cum non ſufficiat ad idem averſandum (§. 586. 587. *Pſych. empir.*); inofficioſus quamvis non propenſum habeat animum ad inſerviendum aliis, non tamen propterea ab officiis præſtandis averſum habet, ut ipſi moleſtiam creet officiórum præſtatio, nonniſi rationibus particularibus vincendam, quæ eandem jucundam faciunt nobisque commendant (§. 156. *part. 2. Eth.*). Quoniam igitur inhumanus non eſt, cujus animus ab officiis humanitatis averſus non eſt (§. 896. *part. 1. Jur. nat.*); qui officioſus eſt, non neceſſario quoque inhumanus eſt.

Neglectus officiorum erga alios non habet niſi cauſam deficientem; eorum vero averſio requirit efficientem. Inofficioſus negligit officia, quæ debentur aliis, quia animus nec ad faciendum, nec ad non faciendum determinatus eſt; aſt animus inhumani determinatus eſt ad non faciendum. Nullus igitur datur nexus inter inofficioſitatem & inhumanitatem. Id ipſum facile experiri datur, modo animus attendatur ad ea, quæ inhumanitatem ſignificant (§. 150.). Eorum enim abſentia ſignificat neglectum officiorum, in quo inofficioſitas conſiſtit. Inofficioſus ſibi ſoli vivit (§. 121.), nec diligit alios niſi propter ſe, quia ignorat, neminem ſibi ſoli naſci, ſibique perſuadet, unumquemque ſibi ſaltem proſpicere teneri, Deum vero providere omnibus. Aſt inhumanus aliis ſe utilem præbere non vult, quia reſpectu ſui pro

malo

malo reputat aliorum commodum promovere. Ideo ſenſus moleſtiæ nunquam abeſt, quando officium quoddam petitur ab eo, a quo nihil viciſſim ſperare poteſt: ſit ita ut rationes ſubinde particulares actus quosdam externos cohibeant, quibus inhumanitas proditur (§. 190.). In perpendendis ſignis virtutum & vitiorum cauti admodum eſſe debemus, ne in dijudicandis alienis nobis imponamus, vel etiam aliis præjudicemus, cum, quæ nobis in nobis ipſis aperta ſunt & intuitive cognoſcuntur, in aliis demum ex obſervatis ſint colligenda ratiociniis tam in forma, quam materia legitimis. Multum igitur juvamur, ſi experientiam domeſticam nobiscum habitantes præmittamus & quæ deinde in aliis obſervamus cum eadem ſollicite conferamus. Vix enim ac ne vix quidem quis ſibi cavebit, ne ceſpitet in dijudicandis moribus alienis, qui ſeipſum noſcere nondum didicit.

§. 161.

Officioſitate bonorum & bene judicantium amorem nobis conciliamus. Quoniam enim officioſus facilem ſe præbet aliis in præſtandis humanitatis officiis (§. 898. *part.* 1. *Jur. nat.*), qui bene judicant, intelligunt eum pro virili aliorum perfectionem, conſequenter felicitatem promovere, ideoque cum quilibet hoc ſibi ab aliis fieri velit, quod per ſe patet, immo etiam inde manifeſtum eſt, quod unusquisque per naturam ſuam felicitatem appetat (§. 324. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), ex officioſitate voluptatem percipit (§. 156. *part.* 2. *Eth.*), ideoque in officioſo deprehendit, quod ſibi placet (§. 542. *Pſych. empir.*). Et quia bonus eſt, non verendum, ne depravatio animi obſtet, quo minus verum cernere poſſit, aut judicium rectum mutet. Quoniam itaque amor oritur, ſi quid in altero obſervamus, quod nobis placet (§. 645. *Pſych. empir.*); officioſitate bonorum & bene judicantium amorem nobis conciliamus. *Effectus officioſitatis.*

Homini naturale eſt, ut amet officioſum, niſi vitio depravatus fuerit appetitus. Ideo vulgo absque omni reſtrictione dicitur nos officioſitate nobis conciliare amorem aliorum. Enimvero quoniam vitia impedire poſſunt quo minus amor oriatur; ideo neceſſe erat, ut definiretur, quinam ſint illi, qui amorem homini adeo naturalem non ſupprimunt. Requiritur autem ad hoc, ut de officiis erga alios bene judicent, ſatis instructi ſcientia, aut ſaltem notitia eorum, quæ qualis eſſe debeat, ex antea demonſtratis & theoria Juris naturæ colligitur, & ut voluntas ſequatur judicium intellectus, nec pravis affectibus appetitus in transverſum rapiatur. Cum diverſa ſint vitia, quæ officioſitati mercedem debitam detrahunt, ratio quoque multiplex eſt, cur malorum & male judicantium amorem officioſitate nobis minime conciliemus. Has rationes qui cognoſcere voluerit, obſervet caſus, quos ſuggerit experientia, & ex circumſtantiis datis eas colligat. Nimis ſane prolixum foret atque ab inſtituto noſtro alienum, ſi hic in eas inquirere vellemus. Aſt ne nihil prorſus dixiſſe videamur, demus ſaltem exemplum. Dantur homines faſtoſi, qui ſibi perſuadent, quaſi omnes, quos ſe inferiores eſſe exiſtimant, quodlibet officium tanquam debitum ſibi proprium præſtare teneantur reprehendendi ſi non faciant, ſed nulla laude digni, ubi fecerint, ab iis autem, quos ſe ſuperiores agnoſcunt, officium, quod petunt, præſtandum eſſe ob meritum, ut juſtæ ſint querelæ, ſi denegaverint. Dantur etiam homines ingrati, quibus equidem placet officii præſtatio ob utilitatem, quam inde percipiunt, per modum boni ſui, cum revera ex commodo ſuo præſtatione officii promoto voluptatem percipiant, non vero ex officioſitate alterius, tanquam virtute, quæ ipſum ornat: non tamen officii præſtationem pro beneficio habent, ob quod amandus ſit qui præſtat.

§. 162.

An conciliatio amoris

Quoniam officioſitate bonorum & bene judicantium amo-

amorem nolis conciliamus (§. 161.), conſequenter eos nobis amicos reddimus (§. 625. *part. 1. Jur. nat.*), operam vero dare tenemur, ut amicitiam aliorum acquiramus & conſervemus (§. 636. *part. 1. Jur. nat.*); *legi naturæ non repugnat, ut officioſitati operam demus animo amorem aliorum nobis conciliandi*, conſequenter *ut conciliatio amoris ſit motivum officioſitatis.* Quoniam tamen officioſi erga omnes eſſe debemus (§. 899. *part. 1. Jur. nat.*), nec ideo nobis permiſſum eſt obligationi noſtræ non ſatisfacere, quia alter eidem minime ſatisfacit (§. 631. *part. 1. Jur. nat.*); *ſi vel maxime contingat, ut officioſitate noſtra aliorum amorem nobis non conciliemus, non tamen eidem propterea valedicendum.* *recte ſit motivum officioſitatis.*

Convenit hoc cum eo, quod ſuperius oſtendimus (§. 140. & ſeqq.) dilectioni aliorum minime repugnare, officio aliquem ſibi devincire, qui commoda noſtra promovere quocunque modo poteſt, & ut commodum ab altero promovendum ingrediatur motivum officii eidem præſtandi ipſum nobis devinciendi cauſa, modo officium præſtetur cum ſenſu obligationis noſtræ. Officioſus facilem ſe præbet cuivis in præſtandis officiis: alii vero viciſſim ſe æque faciles præbere debent. Una eademque obligatio tenet omnes (§. 899. *part. 1. Jur. nat.*). Quamvis itaque animo ſatisfaciendi obligationi noſtræ officium alteri præſtamus tanquam debitum; non tamen eidem repugnat, ut alios permovere intendamus ad præſtandum nobis viciſſim officia nobis debita obligationi ſuæ eo lubentius ſatisfacturos. Intendit ipſa natura mutuam benevolentiam reciproca facilitate præſtandi officia alendam & conſervandam. Eidem igitur conformatur intentio noſtra, ſi officioſitate aliorum benevolentiam nobis conciliare ſtudemus. Neque vero propterea ad inſerviendum aliis faciles ſumus utilitatis ſaltem noſtræ cauſa: obſtat enim animus ſatisfaciendi obligationi ſuæ, qui ab officioſitate nunquam abeſt, nec propterea mutatur, ſi non conſequamur,

 quod

Digitized by Google

quod intendimus, ſed æquo potius animo ferimus inofficioſitatem aliorum, etiam illorum, quos officioſitate nobis devincire voluimus. Non tamen injuſtæ officioſi ſunt de inofficioſitate aliorum querelæ: tanto enim turpior eſt inofficioſitas, quando præter bonitatem intrinſecam, quæ obligationis ratio eſt, adhuc accedit motivum aliud ex parte officioſi, noſtri nimirum commodi promotio, ſufficiens ratio ad bonum bono referendum, ſi vel maxime hoc facere non obligaremur.

§. 163.

Quando officioſus non ſit, qui alteri ſe facilem præbet in præſtandis officiis.

Qui unice ſaltem intendit aliorum amorem facilitate præſtandi officia ſibi conciliare, officioſus non eſt. Etenim qui unice ſaltem intendit aliorum amorem facilitate præſtandi officia ſibi conciliare; is non habet animum ſatisfaciendi obligationi ſuæ. Cumque facilis ſeſe non præbeat niſi iis, a quibus commodum quoddam ſuum ſperat; ceteros parum curat. Enimvero cum officioſitas virtus ſit (§. 898. *part.* I. *Jur. nat.*), ideoque requirat determinationem actionum legi naturæ conformem (§. 321. *part.* I. *Phil. pract. univ.*), lex vero naturæ præcipiat, ut officioſi ſimus erga omnes (§. 899. *part.* I. *Jur. nat.*), ipſos etiam inofficioſos atque inhumanos (§. 902. *part.* I. *Jur. nat.*); qui unice ſaltem intendit aliorum amorem facilitate præſtandi officia ſibi conciliare, officioſus non eſt.

Facilitas hæc præſtandi aliis officia ab officioſitate duplici modo deficit, nimirum quod officia non præſtentur tanquam debita, absque ſenſu obligationis ſuæ, & quod facilitas iſta reſtringatur ad eos, a quibus commodum aliquod ſperatur: id quod revera redit ad dilectionem aliorum propter ſeipſum, quæ magis dilectio ſui, quam aliorum (§. 138.). Officioſitas adeo late patet, quam dilectio, nec ullam admittit reſtrictionem,

nem, quæ ſi non a vitio quodam proficiſcitur, defectum tamen quendam arguit. Quando de officioſitate tanquam virtute ſermo eſt, ea ex lege naturæ æſtimanda, a qua formam ſuam accipit. Facilitate ſibi conciliare hujus, vel iſtius benevolentiam non idem eſt ac officioſum eſſe; ſit ita quod cum vulgo ſubinde ita loquamur, quamvis etiam haud infrequenter in communi ſermone addamus reſtrictionem dicentes, quod quis ſe huic, vel iſti facilem præbeat in omni officiorum genere, quæ ab ipſo proficiſci poſſunt.

§. 164.

Quando præſtandis officiis non officiat officioſitati.

Si quis legi naturæ convenienter in officiorum præſtatione unum alteri præfert, id nec amori, nec dilectioni univerſali, nec officioſitati repugnat. Cum enim vires hominis non ſint inexhauſtæ, fieri omnino nequit, ut omnium promiſcue hominum felicitatem prompta officiorum quorumcunque præſtatione actu promoveamus, aut infelicitatem depellamus, quamvis maxime vellemus, conſequenter neceſſe eſt, ut unum alteri in præſtatione actuali præferamus. Quodſi ergo hoc fiat legi naturæ convenienter, vi cujus particularis quædam obligatio ad univerſalem accedit, quæ prælationem urget; in hac nihil vitii ineſt (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam vero voluntas defectu virium non reſtringitur; prælatio quoque non obſtat, quo minus eorum, quibus officium quoddam præſtare non poſſumus, felicitate delectemur tanquam noſtra, eandemque promovendi atque infelicitatem depellendi voluntatem conſtantem ac perpetuam habeamus. Quamobrem cum amor ſit diſpoſitio animi ad voluptatem percipiendam ex alterius felicitate (§. 633. *Pſych. empir.*) & dilectio conſiſtat in voluntate conſtante ac perpetua aliorum quorumcunque felicitatem promovendi & infelicitatem depellendi (§. 617. *part. 1. Jur. nat.*); ſi quis legi naturæ convenien-

Digitized by Google

venienter in officiorum præſtatione unum alteri præfert, id nec amori, nec dilectioni univerſali repugnat. *Quod erat unum.*

Similiter qui legi naturæ convenienter in officiorum præſtatione unum alteri præfert, actiones ſuas legi naturali conformiter dirigit. Quamobrem cum hoc virtutis ſit (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), officioſitas vero etiam virtus ſit (§. 898. *part. 1. Jur. nat.*); propterea ad officia aliis præſtanda faciles eſſe non deſinimus, ſi actualem præſtationem moderamur juxta legem naturalem. Quamvis itaque officioſitas requirat, ut ad officia aliis præſtanda ſemper parati ſimus, ideoque nos faciles unicuique præbeamus (§. 898. *part. 1. Jur. nat.*); eidem tamen minime repugnat, ſi legi naturæ convenienter in præſtatione unum alteri præferamus, quin potius convenit, ut idem faciamus. *Quod erat alterum.*

Oſtendimus jam ſuperius dilectioni univerſali minime repugnare denegationem officii ob rationes particulares, quas inter etiam obtinet arctior quædam obligatio, qua aliis tenemur (§. 98.). Ibidem igitur demonſtrata & annotata propoſitioni quoque præſenti lucem uberiorem affundunt, in qua potiſſimum officioſitatis rationem habemus, quæ ab amore & dilectione univerſali tota pendet. Cum officioſitas virtus ſit, eam quoque moderatur lex naturæ, atque ex hac genuina ejus forma determinanda (§. 321. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Vi amoris & dilectionis univerſalis officioſus ſemper paratus eſt ad officium quodlibet unicuique præſtandum, & quamprimum videt aliquem, qui ope aliena indiget, voluntas in eam ferendam fertur. Quando vero agnoſcit, ſeſe id facere minime poſſe, niſi deſit particulari cuidam obligationi, qua alli cuidam tenetur; id tanquam moraliter impoſſibile in poteſtate ſua non eſſe videt. Facere igitur omittit, quod facere

re maxime vellet, ideoque invitus (§. 581. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Facilitas illa, quæ officioſitatis anima eſt, primario in voluntate ſpectatur, quatenus præſtatio officii non demum particularibus quibusdam rationibus in caſu emergente perſuadenda (§. 154.), inde vero in actionem externam derivatur, quæ ab eadem voluntate proficiſcitur, quamprimum quod præſtandum in poteſtate noſtra eſſe agnoſcitur (§. *cit.*). Perpendenda hic quoque ſunt, quæ paulo ante demonſtravimus & uberius expoſuimus (§. 155.), denegationem ſcilicet officii, quod in poteſtate noſtra non habemus, ſive deſint vires, ſive ſalva obligatione noſtra præſtare nequeamus, non officere officioſitati. Quodſi enim lex naturæ nobis quosdam præ aliis commendat, ut eos in præſtandis officiis præferamus aliis; ſalva utique obligatione noſtra fieri nequit, ut officium iis potius præſtetur, quos poſtponi jubet lex naturæ. Dari autem obligationes particulares, ob quas in præſtandis officiis unum alteri præferre tenemur, nemo ignorare poteſt, qui legem naturæ novit. Nec minus manifeſtum eſt in caſu colliſionis obligationem fortiorem, qualis eſt ſi ad univerſalem accedit particularis, vincere debiliorem.

§. 165.

De æqualitate amoris & dilectionis hominum omnium.

Homines omnes æque amare ac diligere debemus. Lex enim naturæ vult, ut unusquisque alium quemcunque amet (§. 619. *part. 1. Jur. nat.*) ac diligat tanquam ſeipſum (§. 618. *part. 1. Jur. nat.*), ideo quoad omnes homines, qualescunque tandem fuerint, eandem communem ſtatuit amoris atque dilectionis menſuram. Homines igitur omnes æque amare ac diligere debemus.

Naturaliter appetitus hominis fertur in felicitatem ſuam (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), infelicitatem autem unusquisque per naturam ſuam averſatur (§. 325. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum ſe amet, quatenus animus

ejus diſpoſitus eſt ad voluptatem percipiendam ex ſua felicitate (§. 633. *Pſych. empir.*), ac ſe diligat, quatenus habet voluntatem conſtantem & perpetuam felicitatem ſuam promovendi, infelicitatem depellendi (§. 606. *part. 1. Jur. nat.*); amor & dilectio ſui nullo modo limitatur. Quoniam itaque amorem & dilectionem hominum omnium, quicunque tandem fuerint, amori & dilectioni ſui ipſius æquare debemus; quantum amamus ac diligimus unum, tantum quoque amare ac diligere debemus alium quemcunque. Quodſi hinc inferas, hoc modo tantum amandos & diligendos eſſe homines improbos, quantum amandi & diligendi ſint probi; ultro id concedimus, notandum ſaltem, quod bonos & malos æque diligens, non tamen propterea mala ipſorum facta approbet (§. 81.); ſed dum facta odio habet, perſonam ſaltem amet atque diligat (§. 82.), neque amori & dilectioni univerſali, quæ nullam differentiam inter perſonas admittit, repugnet, ut unum alteri in præſtatione officiorum præferamus (§. 164.).

§. 166.

An in amore & dilectione obſervandus ſit ordo.

Quoniam homines omnes æque amare ac diligere debemus (§. 165.); *nullus homo magis amandus & diligendus eſt ceteris, nec quisquam ſeipſum magis amare ac diligere debet alios quocunque; ſed animus æque diſpoſitus eſſe debet ad voluptatem percipiendam ex felicitate hujus perſonæ, quam alius cujuscunque atque ſua* (§. 633. *Pſych. empir.*) *& voluntas æque propenſa in felicitatem perſonæ hujus, quam alius cujuscunque atque propriam* (§. 617. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter *ordo ſaltem obſervandus eſt in actuali officiorum præſtatione, quando nimirum unus alteri ob colliſionem præferendus, vel nosmetipſi aliis ſumus præferendi* (§. 229. 230. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Nemo eſt qui neſciat, vulgarem eſſe hanc opinionem, & non modo a Philoſophis, verum etiam ab ipſis Theologis inculcari, ordinem eſſe obſervandum in amore ac dilectione,

ita ut homo magis diligat ſeipſum; quam alios, ſeu, ut Theologi loquuntur, quam proximum, quosdam homines magis, quam alios, magis conjugem, quam patrem & matrem, filium magis, quam patrem, conſangvineos magis, quam alia ratione conjunctos, benefactorem magis quam alios, a quibus nullum beneficium accepit, amicum magis, quam inimicum, ſocium magis, quam extraneum, bonos magis, quam malos & quæ ſunt alia hujus generis exempla. Enimvero cum qui ita loqui amant non diffiteantur, nos unumquemque amare ac diligere debere tanquam nos ipſos & ipſos inimicos tanquam nos ipſos amandos ac diligendos eſſe; revera nobis non contradicunt, nec aliud, niſi manifeſto ſibi contradicere velint, dicere volunt, quam in actuali præſtatione officiorum alios aliis eſſe præferendos, ita ut aliquem magis diligere quam alterum idem ſignificet, ac in præſtatione officiorum eum præferre aliis. Quamvis itaque interdum loquendum ſit cum vulgo, ſentiendum tamen cum doctis. Licet ex amore & dilectione ſequatur præſtatio officiorum, ex ea tamen menſuram ſuam non accipit amor & dilectio. Quoniam enim charitas, qui diligendi habitus eſt (§. 620. *part.* 1. *Jur. nat.*) & officia omnia erga alios complectitur (§. 654. *part.* 1. *Jur. nat.*), virtus eſt (§. 620. *part.* 1. *Jur. nat.*), ea in voluntate potiſſimum ſpectanda tanquam fonte, ex quo fluunt actiones externæ (§. 276. 277. *part.* 1. *Jur. nat.*). Ecquis vero eſt, qui neſciat, vires ad actiones externas requiſitas non tam late patere, quam voluntatem, conſequenter ſi actiones externæ reſtringendæ ſint ad certas perſonas, propterea minime reſtringendam quoque eſſe voluntatem, quæ fertur in felicitatem aliorum promovendam & infelicitatem depellendam, nec variandam eſſe diſpoſitionem animi ad voluptatem percipiendam ex aliorum felicitate. Animus ſemper idem manet, nec quicquam mutatur voluntas, licet ex ipſa reverentia legis naturæ in actuali officiorum præſtatione nos ipſos omnibus & certas perſonas aliis præferamus. Abſit ut tibi perſuadeas, nos nimia ſubtilitate diſtin-

gvere, quæ a ſe invicem dividi non erat opus, ac nimis ſcrupuloſum eſſe in loquendo! Etenim in Philoſophia morali, in qua omnia accurate diſcutienda, & ſollicite cavendum, ne perverſa verborum interpretatione in errorem incidamus, ea, quæ diximus, probe obſervanda ſunt; & ſermo menti legis naturæ attemperandus; ita enim demum pateſcit, quænam ſit in ſanctiſſima illa lege concordia, & quomodo puritas animi conſervetur ac præcaveatur, ne ulla labe inficiatur animus: immo etiam hoc modo liquet, quomodo æqua interpretatione populariter loquentium præcaveamus, ne ex populari oratione præjudicium fiat veritati.

§. 167.

De intenſitate amoris. *Amor qua affectus ſuos habet gradus, & ejus intenſitas æſtimatur ex gradibus voluptatis, quæ ex bono alterius percipitur.* Etenim amor diſpoſitio animi eſt ad percipiendam voluptatem ex alterius felicitate (§. 633. *Pſych. empir.*), conſequenter ex eo, quod veram alteri voluptatem creat (§. 638. *Pſych. empir.*), ideoque ipſi revera bonum eſt (§. 559. *Pſych. empir*). Enimvero cum bonum verum revera nos ſtatumque noſtrum perficiat (§. 557. *Pſych. empir.*), quo major vero fuerit perfectio, eo major quoque fit voluptas (§. 516. *Pſych. empir.*); amor, quatenus affectus eſt, ideoque in actu vehementiore appetitus ſenſitivi conſiſtit (§. 603. *Pſych. empir.*), ſuos habet gradus. *Quod erat unum.*

Quoniam intenſitas æſtimatur ex graduum quaſi multitudine (§. 759. *Ontol.*), cum gradum concipiamus tanquam compoſitum ex aliis minoribus veluti partibus (§. 750. *Ontol.*), amor autem qua affectus ſuos habet gradus a gradu voluptatis, quæ percipitur, pendentes, *per demonſtrata n. 1*; intenſitas amoris æſtimatur ex gradibus voluptatis, quæ ex bono alterius percipitur. *Quod erat alterum.*

Omnes

Omnes affectus ſuos habere gradus, ut unus idemque nunc major deprehendatur, nunc minor, ipſa experientia abunde docet. Naſcuntur omnes ex confuſa boni & mali repræſentatione (§. 605. *Pſych. empir.*), ideoque intenſitas affectuum omnium pendet ex gradibus voluptatis, vel moleſtiæ, quæ ex bono, vel malo percipitur. Non aliter fert natura hominis. Quamobrem homini quoque naturale eſt, ut ex bono alterius pro ratione magnitudinis nunc majorem, nunc minorem percipiat voluptatem, & ea de cauſa amor nunc ſit intenſior, nunc remiſſior. Tenendum vero in magnitudine boni æſtimanda idem non ſolum conſiderari in ſe, ſed etiam reſpectu ejus, qui eodem gaudet. Noto enim notius eſt, pro diverſo hominum ſtatu quod uni ingens bonum eſt, id alteri eſſe exiguum. Et plura perpendenda ſunt, ſi magnitudinem boni reſpectivam rite æſtimare velimus, quæ ſollicita diſcuſſio circumſtantiarum diligenti obſervatori offert. Immo contingere poteſt, ut magnitudo reſpectiva minuat abſolutam; veluti ſi quis profunda ſcientia gaudeat, qua in munere ſuo obeundo carere poteſt, cum præſtaret imbutum eſſe ſcientia, qua ad omnes ejus partes accuratius explendas uti poſſet. Notandum vero terminum intenſitatis ſeu intenſionis dudum in Philoſophiam moralem fuiſſe introductum, quemadmodum apparet, quando Scholaſtici de ordine charitatis loquuntur, & ipſum *Ciceronem* jam olim in Tuſculanis de intenſione ſeu intentione & remiſſione animi fuiſſe locutum, ut perperam ſibi perſuadeant Mathematici *μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος* committentes eum ex Matheſi demum in Philoſophiam moralem a ſe introduci ad ſpuriam æſtimationem felicitatis humanæ, ut ſibi videantur inveniſſe, de quo tanquam inſigni invento glorientur felices, quod vulgo dicitur, errore ſuo.

§. 168.

Intenſitas amoris qua affectus non obſtat, quo minus homines alios quoscunque & nos ipſos æque amemus ac diligamus. Cum

An intenſitas amoris obſtet, quo mi-

 enim

Digitized by Google

nus omnes ac nos ipſos æque diligamus.

enim intenſitas amoris qua affectus æſtimetur ex voluptate, quæ ex bono alterius percipitur, ideoque ſi nos ipſos amamus, ex bono, quod nos poſſidemus, aut cujus compotes reddimur (§. 167.); amor qua affectus nunc major, nunc minor eſt, pro diverſo gradu boni, ſive nos, ſive alios amemus. Quamvis itaque alios quoscunque & nos ipſos æque amemus, non tamen ideo neceſſe eſt, ut eadem ſemper ſit amoris qua affectus intenſio, præſertim ſi magnitudinis boni non modo abſolutæ, verum etiam reſpectivæ habeatur ratio, quemadmodum utique habenda (*not.* §. 167.). Sufficit, ut, ſi fingamus, alium quemcunque eſſe loco amati, cujus reſpectu bonum eadem ratione æſtimari poſſit, animum ita eſſe diſpoſitum, ut ex eodem eandem voluptatem perciperemus, quam nunc percipimus. Quamobrem intenſitas amoris qua affectus minime obſtat, quo minus homines quoscunque alios & nos ipſos æque amemus. *Quod erat unum.*

Quodſi aliquem diligimus, conſtans nobis ac perpetua voluntas eſt felicitatem ejus promovendi (§. 617. *part. 1. Jur. nat.*). Huic autem voluntati minime contrariatur, ut major voluptas percipiatur ex majore bono, quo quis vel gaudet, vel mactandus. Quoniam itaque hinc æſtimatur intenſitas amoris, qua affectus; ea non obſtat, quo minus alios quoscunque & nosmetipſos æque diligamus. *Quod erat alterum.*

Dilectio ad charitatem pertinet, quæ virtus eſt (§. 620. *part. 1. Jur. nat.*) & amor qua affectus ad eam accedit, quatenus appetitus ſenſitivus reducitur ad conſenſum cum rationali: id quod fit, ſi ab intellectu regitur, ut ex ratione ordinetur. Atque tum non attenditur intenſitas amoris, niſi quatenus ſtimulus eſt dilectionis, quam nulla labe afficere poteſt,

poteſt, quamdiu ab intellectu regitur, quod regimen pro norma agnoſcit legem naturæ. Intenſitatis igitur amoris effectus eſt, ut legi naturæ convenienter determinetur prælatio in actuali officiorum præſtatione, illæſa æqua dilectione omnium.

§. 169.

An vitia omnia charitati contrarientur.

Vitia omnia charitati contraria ſunt. Etenim charitas, quatenus eſt habitus diligendi alios quoscunque tanquam ſeipſum (§. 620. *part. 1. Jur. nat.*), complectitur omnia officia erga alios (§. 654. *part. 1. Jur. nat.*), quatenus vero refertur ad ſeipſum & denotat habitum diligendi ſeipſum, ſeu charitas propria, officia omnia erga ſeipſum (*not.* §. 59.). Et quoniam homo tam ſeipſum (§. 53. *part. 4. Eth.*), quam alios diligere debet propter Deum (§. 63.), dilectio autem ſui (§. 56. *part. 4. Eth.*) & aliorum propter Deum a charitate Dei dependet (§. 66.), atque homo ſe ipſum diligere debet propter alios (§. 61.); charitas tam ſui, quam aliorum cum charitate, qua Deum diligimus (§. 241. *part. 3. Eth.*), ea facientes, quæ ipſi placent (§. 241. *part. 3. Eth.*), conſequenter quæ a nobis fieri vult (§. 243. *part. 3. Eth.*); in unum coaleſcit, ſicque charitas officia omnia tam erga Deum, quam erga nos & alios in ſinu ſuo fovet. Enimvero officia omnia ſunt complexus omnium actionum lege naturæ præſcriptarum (§. 225. 226. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quicquid igitur legi naturæ contrariatur, charitati contrariatur. Quoniam itaque vitia omnia legi naturæ contrariantur (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*); vitia omnia charitati contraria ſunt.

Oſtenditur etiam hoc modo. Vitia omnia ſunt habitus actiones ſuas contraria ratione determinandi, quam lege naturæ præſcribitur (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſe-

quenter

quenter cum lex naturæ urgeat perfectionem ſui & aliorum pro virili (§. 152. 222. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & determinationem actionum per motiva ab attributis divinis deſumta (§. 251. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter gloriæ divinæ promotionem (§. 919. *part. 1. Theol. nat.*), vitia tendunt ad imperfectionem ſui & aliorum, atque gloriæ divinæ obſcurationem. Enimvero qui ſeipſum diligit, perfectionem ſui ſtatusque ſui promovere conatur, quantum datur (§. 58. *part. 4. Eth.*), qui vero diligit alios, perfectionem eorum atque ſtatus eorundem promovere ſtudet (§. 56.) & qui Deum diligit, gloriam ejus omni animi contentione promovet (§. 268. *part. 3. Eth.*). Quamobrem cum charitas ſit habitus diligendi Deum (§. 241. *part. 3. Eth.*), ſeipſum (§. 51. *part. 4. Eth.*) & alios quoscunque (§. 620. *part. 1. Jur. nat.*); vitia omnia charitati contrariantur.

Poterat idem aliis adhuc modis demonſtrari, quatenus ſumuntur alia, quæ de dilectione Dei, ſui atque hominum aliorum quorumcunque demonſtrata ſunt. Quodſi quis ea probe cognita atque perſpecta habuerit, hoc facile per ſe videbit. Omnes veritates inter ſe cohærent. Quamobrem fieri quoque poteſt, ut una eademque veritas ex diverſis aliis deducatur. Quamvis vero in genere oſtendi poſſit, omnia vitia charitati contraria eſſe; conſultum tamen eſt, ut etiam inquiramus in actiones ex vitiis particularibus derivatas, quomodo charitati adverſentur. Juvat igitur actiones hominum vitiis deditorum ſub incudem revocare, ut appareat quantum charitati adverſentur. Et quoniam charitas Dei, charitas ſui & charitas aliorum, ſive proximi, ut cum Theologis loquamur, arctiſſimo vinculo cohærent, ut, quamvis a ſe invicem diſtingvantur, cum diverſæ ſint actiones inde profluentes, nunquam tamen a ſe invicem divelli queant, ſi charitas perfecta eſſe debet; ſingulæ actiones vitioſæ examinandæ ſunt,

quo-

Digitized by Google

quomodo pugnent cum charitate, qua Deum & qua nos ipſos atque homines alios diligere debemus. Hinc nimirum addiſcimus, quænam ad charitatem perfectam requirantur, cum oppoſita juxta ſe poſita clarius eluceſcant, & quomodo vitia labefactent charitatem, conſequenter cum charitas in omnem virtutem influat, quomodo vitium unumquodque tacite labe quadam inficiat virtutes omnes. Et hoc modo demum obtinetur, ut veræ ac perfectæ virtutis indolem intimius perſpiciamus, cumque ſine virtute nemo felix eſſe poſſit, nec felicitas a virtute ſejungi (§. 400. *part. 1. Phil. pract. univ.*), vitio autem deditus felix eſſe nequeat (§. 403. *part. 1. Phil. pract. univ.*), fons quoque omnis miſeriæ humanæ, de qua tot ac tantæ ſunt querelæ, penitus detegitur. Ampliſſimus hic aperitur campus meditationum moralium, quibus ſcientia moralis locupletari poteſt, quem inoffenſo pede ingredi ac peragrare poteſt, qui, quæ a nobis demonſtrata ſunt, ſibi familiaria reddiderit, ac intellectum eo, quem in parte prima Ethicæ expoſuimus, modo perficere ſtuduerit.

§. 170.

Signum profectus in charitate deficientis.

Quoniam vitia omnia charitati contraria ſunt (§. 169.), *ſi quis vitio cuidam adhuc deditus eſt, is certus eſſe poteſt, ſe in charitate nondum profeciſſe, quantum debet ac poterat*, conſequenter *qui charitati operam dat, omnem quoque in debellando vitio quocunque lapidem movere tenetur.*

Quamvis quis ſibi videtur eum habere animum, quem charitas requirit; ubi tamen perpendit, quænam ex actionibus ſuis cum reſpectu Dei, tum ſui atque hominum quorundam aliorum conſequuntur, ſe ſibimetipſi contrarium eſſe deprehendet, ac mutare animum, quando vitio cuidam indulget. Satis manifeſta hæc ipſi erunt, modo actiones vitioſas ad examen revocet, quemadmodum modo indicavimus (*not.* §. 169.). Optandum foret, ut hæ diſquiſitiones non

adeo negligerentur, quemadmodum fieri ſolet: etenim dubitandum non eſt, ut hoc pacto felicitati generis humani optime conſuleretur.

CAPUT III.

De Amicitia & Familiaritate.

§. 171.

Amicitia quid ſit.

Per *Amicitiam* intelligimus animorum mutuo amore factam unionem. Quoniam vero amicitiam hic conſideramus tanquam virtutem, virtutis autem omnis norma eſt lex naturæ (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *amor, qui amicitiam gignit, ad normam legis naturæ dirigendus,* conſequenter *vera demum amicitia eſt, quam gignit amor ad normam legis naturæ directus.*

Nobis hic non ſermo eſt niſi de vera amicitia, quæ ex aſſe legi naturæ reſpondet, ad quam tanquam normam dirigendæ ſunt omnes noſtræ actiones, componendi omnes mores. Quamobrem quamvis ſubinde in vulgari oratione loquendum ſit cum vulgo; in philoſophia tamen morali veritatis habenda ratio eſt, nec ab ea ne latum quidem ungvem recedendum. Non minus igitur *amicitiam apparentem*, quæ normam legis naturalis reſpuit, quam *fictam & ſimulatam*, hoc nomine non compellamus, quamvis vulgo ita dicatur. Neque in eo recedimus a ſignificatu dudum recepto. Sane *Cicero* lib. 2. de Invent. rhet. Amicitia, inquit, eſt voluntas erga aliquem rerum bonarum, illius ipſius cauſa, quem diligit, cum ejus pari voluntate. Quoniam ad amicitiam requirit parem eorum, quos inter amicitia eſt, voluntatem, ut unus alterum diligat, non ſui, ſed ipſius cauſa; nonne hoc idem eſt, ac dicere, amicitiam conſiſtere in animorum unione, unionem vero hanc perfici mutuo amore, qui tendit ad feli-

felicitatem amati promovendam & infelicitatem depellendam (§. 292. *part. 2. Eth.*)? *Goclenius* in Lexico philoſophico amicitiam eſſe dicit virtutem reciprocæ benevolentiæ, nec veram admittit niſi inter homines probos, ideo eam definiens, quod ſit proborum hominum mutuus, cognitus confirmatusque amor ex virtute ortus ad vitæ conjunctionem.

§. 172.

Qualis ſit animus eorum, qui amicitiam colunt.

Quoniam amicitiam gignit amor mutuus & eodem animi duorum, vel plurium uniuntur, amor vero tendit ad felicitatem amati promovendam & infelicitatem depellendam (§. 292. *part. 2. Eth.*); *inter quos amicitia eſt, eorum voluntas in promovenda felicitate & depellenda infelicitate ita conſpirat, ut quemadmodum unus habet voluntatem conſtantem ac perpetuam alterius felicitatem promovendi, infelicitatem depellendi, ita reciproce alter quoque habeat voluntatem conſtantem ac perpetuam ipſius felicitatem promovendi, infelicitatem depellendi*, conſequenter *qui ſibi mutuo amici ſunt, ſe invicem æque diligunt* (§. 617. *part. 1. Jur. nat.*). Et quoniam qui alios diligit propter ſe ipſum, ſeu utilitatis ſuæ cauſa, non tam alios diligit, quam ſeipſum (§. 138.); *qui ſibi mutui amici ſunt, ſibi mutuo volunt id, quod bonum eſt, & pro virili præſtare ſtudent, non ſui, ſed alterius cauſa* (§. 76.).

Atque hinc clarius apparet, cur *Goclenius* amicitiam dixerit virtutem reciprocæ benevolentiæ: neque enim benevolentia aliud ſignificat, quam velle alicui bonum ipſius, non ſui cauſa: ſicuti etiam *Ariſtoteles* lib. 2. Rhet. amare idem eſſe dicit ac velle alicui, quæ bona arbitramur, illius, non ſui cauſa & ea pro viribus efficere, amorem nimirum ſumens non pro affectu, ſed pro dilectione, ſeu actu charitatis, ad quem nos impellit affectus (§. 292. *part. 2. Eth.*).

§. 173.

Quomodo amicitia vera ab apparente dividatur.

Quoniam qui ſibi mutui amici ſunt, ſeu inter quos amicitia intercedit, ii ſibi mutuo volunt id, quod bonum eſt & pro virili præſtare ſtudent, non ſui, ſed alterius cauſa (§. 172.); *amicitia vera ab apparente dividitur, ſi inquiramus, num qui ſibi mutui amici ſunt bonum ſibi reciproce velint non ſui, ſed alterius cauſa.* Quoniam vero amicitia amorem mutuum & eandem utriusque voluntatem requirit (§. 171.), ideoque non ſufficit, ut unus velit alteri, quod bonum eſt, non ſui, ſed alterius cauſa (§. 172.); *amicitia vera non eſt, ſi unus ſaltem alteri velit quod bonum eſt non ſui, ſed ipſius cauſa, alter vero idem velit ſui cauſa.*

Intelligitur hinc, quam rara ſit vera amicitia. Quodſi enim inquiramus in rationem amoris & hinc manantis dilectionis, facile patebit, quam multi quod bonum eſſe putant velint alteri non alterius, ſed ſui cauſa. Id vero luculentius adhuc apparet, ſi conſideremus, rigori legis naturæ convenire, ut id, quod alteri volumus, ſit revera bonum, non ſaltem opinione noſtra. Quamvis enim in eo dijudicando facile committatur error, nec quivis error homini imputari poſſit, ac in amicitia præſertim dandum aliquid infirmitati humanæ; quatenus tamen amicitia virtus eſt, eam non aliter concipere debemus, quam patitur lex naturæ a veritate ne minimum quidem unquam recedens, ut conſtet ad quid adſpirare & omni animi contentione eniti debeamus, ſi amicitiam veram colere velimus (§. 171.).

§. 174.

An amicitia ſit in poteſtate noſtra.

Similiter quia ad amicitiam requiritur, ut non ſolum nos alteri velimus, quod bonum eſt, idque pro virili præſtemus, ſed etiam ut alter reciproce velit, quod nobis bonum eſt, idque pro virili nobis præſtet, non ſui cauſa (§.

172.),

172.), ut vero hoc velit & faciat alter, non a noſtra voluntate pendet, quod per ſe patet; *quamvis alteri ſimus amici, non tamen propterea amicitia in noſtra poteſtate eſt.*

Lex naturæ præcipit, ut homines omnes ſibi mutuo ſint amici, ſeu quilibet cum altero amicitiam colat (§. 627. *part. 1. Jur. nat.*). Aſt non omnes obligationi ſuæ naturali ſatisfaciunt. Quamvis itaque tu eidem ſatisfacias, non tamen ideo amicitiam contrahere potes cum altero, niſi & ipſe eidem ſatisfacere velit. Præcipit autem lex naturæ amicitiam cum omnibus colendam, quia præcipit amorem univerſalem omnium (§. 619. *part. 1. Jur. nat.*): reciprocus enim amor gignit amicitiam (§. 625. *part. 1. Jur. nat.*). Quodſi homines omnes ſe mutuo amarent, quemadmodum vult lex naturæ; univerſalis quoque daretur amicitia. Aſt cum conſtet, amorem iſtum univerſalem raram eſſe avem in his terris; univerſalis quoque amicitia rara eſt. Neque ea confundenda eſt cum amicitia particulari, qua amor univerſalis quoad actus dilectionis ad certas perſonas reſtringitur: quæ differentia diſertius a nobis explicanda.

§. 175.

Amicitia naturalis a nobis dicitur, quæ ex amore univerſali fluit: Poteſt quoque, ſi mavis, *univerſalis*, appellari, vel *generalis*. *Particularis* autem a nobis vocatur, vel, ſi mavis, *ſpecialis*, qua amor univerſalis quoad actus dilectionis externos ad certas perſonas reſtringitur legi naturæ convenienter. Quodſi amicitia particularis conſuetudine confirmetur, *Familiaritatem* appellare lubet. Quando vulgo amicitiam dicimus, ſpecialem intelligimus: ſit ita quod familiaritatem ab amicitia diſtingvamus. *De amicitia naturali ac ſpeciali, & familiaritate.*

Differentia amicitiæ, quam hic tradimus, probe notanda, ne difficultates circa legem naturæ oriantur, quaſi eadem

præcipiantur, quæ obſervari nequeant; vel non ſint ſatis conſona. Amicitia autem naturalis, ſeu univerſalis, quamvis videatur inter ea referenda, quæ dari nequeunt; eam tamen intimius perſpicere utilitate minime vacat, cum amicitia ſpecialis normam ſuam inde accipiat. Qua de cauſa etiam contingit, ut, qui de amicitia ſpeciali loquuntur, talia tradant, quæ cum univerſali communia habet. Cumque vulgo ſibi perſuadeant, quaſi unice arbitrii ſit, cum quonam amicitiam contrahere velint; neceſſe omnino eſt, ut oſtendatur, quomodo hanc quoque regat lex naturæ. Sunt etiam qui familiaritatem cum amicitia confundunt, quaſi is demum amicus ſit, quo familiariter utimur. Aſt in Philoſophia morali omnia probe diſcernenda ſunt, ad mentem legis naturæ, ne in amicitia quicquam committatur, quod eidem adverſatur. Quamvis vero multis adhuc aliis modis amicitia diſtingvi poterat, veluti pro diverſitate perſonarum, inter quas intercedit, & pro diverſitate finium particularium, quorum cauſa contrahitur; in Ethica tamen non opus eſt, ut dividendo progrediamur ultra id, quod ad obſervantiam legis naturæ ſufficit. Neque enim in ea aliud intenditur, quam ut amicitiam legi naturæ convenienter colamus.

§. 176.

Quid requiratur, ut vigeat amor univerſalis.

Si homines omnes ſe mutuo amarent tanquam ſeipſos, amicitia univerſalis vigeret. Quodſi enim homines omnes ſe mutuo amarent tanquam ſeipſos, quilibet ex felicitate alterius tantam perciperet voluptatem, quantam ex ſua percipit (§. 633. *Pſych. empir.*); ideoque alteri perinde cuperet ac ſibi (§. 805. *Pſych. empir.*), non ſui, ſed alterius cauſa, & pro virili præſtare conaretur bonum, quod alteri vult (§. 172.). Idem igitur cum eſſet omnium animus (§. 181. *Ontol*); mutuo amore animi omnium conjungerentur, ut quaſi in unum coaleſcerent. Quamobrem cum in hac unione conſiſtat amicitia

citia (§. 171.); ſi homines omnes ſe mutuo amarent tanquam ſeipſos, amicitia univerſalis vigeret (§. 175.).

Poterat idem brevius hoc modo oſtendi. Quodſi homines omnes ſe mutuo amarent tanquam ſeipſos, omnes ſibi mutuo eſſent amici (§. 625. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum mutuus amor amicitiam gignat (§. *cit.*); ſi homines omnes ſe mutuo amarent tanquam ſeipſos, amicitia univerſalis vigeret (§. 175.).

Demonſtrationes breviores vulgo præferuntur prolixioribus; non tamen ſemper illæ his præferendæ, præſertim in Moralibus, ubi non ſolum attenditur vis, quam habent in aſſenſum, ſed & quam habent in appetitum, aut averſationem pro ſubſtrata materia. In Moralibus nimirum demonſtrationes tanto ſunt efficaciores, quo lucidiores, quod plus valeant adverſus rationes, quibus appetitus ſenſitivus in contrarium rapitur, & veritas in dubitationem adducitur, ut aſſenſus vacillet. Quamobrem prolixitas non attendenda, modo demonſtratio uberiorem lucem affundat intellectui, cujus eſt debellare appetitum, quando inter ſenſitivum & rationalem datur pugna. Cum lex naturæ nobis innoteſcat per rationem (§. 259. *part. 1. Phil. pract. univ.*), &, ſi ratio objective ſumatur pro catena veritatum (*not.* §. 483. *Pſych. empir.*), revera pars quædam ipſius ſit, ut ideo quoque a nonnullis ipſa ratio dicatur; rationi quoque nihil magis convenit quam amicitia naturalis, eademque naturæ humanæ, quia homo a brutis ratione potiſſimum diſtingvitur, maxime conformis, quamvis in his terris fruſtra ſperetur referenda inter ea, quæ optanda, non ſperanda. Hoc tamen non obſtante, cum lex naturæ nos ad eandem obliget, operam dare tenemur, ne ex parte noſtra quicquam deſideretur, quo minus detur, ut, cur deficiat, nihil culpæ noſtræ ſit tribuendum.

§. 177.

§. 177.

An amicitia inter abſentes & inter incognitos ſubſiſtere poſſit.

Amicitia ſubſiſtere poteſt inter abſentes, immo etiam inter ignotos. Etenim amicitia conſiſtit in unione animorum mutuo amore facta, & amor, qui eam gignit, ad normam legis naturæ dirigendus (§. 171.). Quoniam etiam abſentem amare poſſumus tanquam nos ipſos, habentes animum ita diſpoſitum, ut ex ejus felicitate eandem voluptatem percipiamus, quam ex propria percipimus (§. 633. *Pſych. empir.*), quemadmodum præcipit lex naturæ (§. 619. *part. 1. Jur. nat.*), amor vero nos impellit ad felicitatem amati promovendam & infelicitatem depellendam (§. 292. *part. 2. Eth.*); abſentium quoque uterque eandem habere poteſt voluntatem alterius felicitatem promovendi, infelicitatem depellendi, ita ut ſibi mutuo velint id, quod unicuique bonum eſt & pro virili præſtent, non ſui, ſed alterius cauſa, conſequenter animi abſentium mutuo amore, juxta normam legis naturæ directo, uniri poſſunt. Amicitia igitur conſiſtere poteſt inter abſentes. *Quod erat unum.*

Ponamus jam duos, qui hominem quemcunque amant & diligunt tanquam ſeipſum, quemadmodum vult lex naturæ (§. 618. 619. *part. 1. Jur. nat.*). Amor & charitas ipſorum, quæ in diligendi habitu conſiſtit (§. 620. *part. 1. Jur. nat.*), extenditur ad homines quoscunque, conſequenter iidem ſibi mutuo ſunt amici, etiamſi unus alteri ne nomine quidem notus ſit. Quodſi quomodocunque contingat, ut unus alteri innoteſcat, amor mutuus, quem alto ſub pectore concluſum fovent, ſtatim proditur. Unio igitur animorum, in qua amicitia conſiſtit (§. 171.), jam aderat, antequam ſe invicem noſſent. Amicitia igitur ſubſiſtere poteſt etiam inter ignotos. *Quod erat alterum.*

De

Digitized by Google

De parte prima propoſitionis vix eſt, qui dubitet. Indies enim experimur, ſibi mutuo amicos eſſe, qui abſentes ſunt, ita ut amicitia & contrahatur, & conſervetur inter abſentes. Colitur etiam amicitia inter abſentes commercio epiſtolico, neque in eo ſubſiſtit, ut literis reciproce ſibi invicem ſignificent benevolentiam, ſed oblata quoque occaſione unus alteri præſtet, quod bonum arbitratur. Pars vero altera propoſitionis præſentis dubia nonnullis videri poterat. Cum enim amici ſibi mutuo velint quod bonum eſt & pro virili præſtent non ſui, ſed alterius cauſa (§. 172.), animo nimirum ſignificandi amorem, propterea quod alterum diligens propter ſe, ſeu ſui cauſa, non tam alterum, quam ſe diligit (§. 138.), incognitum vero nec appetere, nec averſari poſſimus (§. 148. *part. 2. Eth.*); fieri non poſſe videtur, ut velimus ei, qui nobis prorſus ignotus eſt, immo quem exiſtere ignoramus, quod ipſi bonum eſt, ipſius ſolummodo cauſa, ac is viciſſim eundem habeat erga nos animum. Enim vero bonum, quod alteri velle debemus, non ſui, ſed ipſius cauſa, incognitum dici nequit, quia lege naturæ ſatis definitum, nec eadem lege refertur ad perſonam certam, ſed promiſcue ad quamcunque (§. 618. 619. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem amicum habere poſſumus animum etiam erga perſonas incertas, quas ſaltem ut exiſtentes conſideramus, ſi vel maxime ignoremus, ubinam locorum exiſtant. Quodſi ergo duo fuerint, qui animum iſtiusmodi habent; nonne utriusque animus is eſt, qui ad amicitiam requiritur, & nonne dici poteſt, animos ipſorum eſſe unitos, utut neuter norit, ubinam ſit alter, & qualem is habeat animum? Conſiſtit unio in identitate voluntatis, quæ determinata eſt ad volendum alteri id, quod bonum eſt, non ſui, ſed ipſius cauſa. Ea igitur cum locum habeat inter incognitos; nec in dubium vocari poteſt, conſiſtere inter ipſos amicitiam, quamvis nondum apertam. Quamobrem etſi absque ratione ſufficiente nil quicquam eſſe poſſit (§. 70. *Ontol.*); nulla tamen ratione opus eſt ad amicitiam contrahendam, ſed ſaltem re-

quiritur reciproca animorum manifeſtatio, quæ ſtatim ponitur, quamprimum datur occaſio, ut ſibi invicem innoteſcant, qui erant incogniti. Experientia, ad quam provocavimus in ipſa demonſtratione, quæ modo diximus, ea abunde confirmat. De oblata enim occaſione ſibi invicem manifeſtandi animum ſuum adeo propenſum in mutuam felicitatem gaudent, nec minus eſt gaudium, quam quo exultat qui amicum diu abſentem & pro mortuo habitum, cum nihil minus quam de ipſo cogitaret, offendit, aut ad ſe venientem videt.

§. 178.

Poſſibilitas amicitiæ naturalis evicta.

Quoniam amicitia ſubſiſtere poteſt non modo inter abſentes, verum etiam inter ignotos (§. 177.); *amicitia naturalis*, quam nimirum gignit univerſalis amor (§. 175.), *poſſibilis eſt*, conſequenter *lex naturæ*, quæ vult, ut quilibet cum altero amicitiam colat (§. 627. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque amicitiam naturalem urget, *quando amicitiam univerſalem præcipit, nos non obligat ad id, quod impoſſibile in ſe eſt.*

Qui ſibi perſuadent, impoſſibile eſſe, ut homines omnes cum omnibus amicitiam colant, vel mores hominum reſpiciunt, qui ipſos ad amicitiam colendam reddunt ineptos, vel opinantur fieri non poſſe ut amicitia detur inter ignotos. In caſu priori duæ confunduntur quæſtiones, quæ dividendæ erant, nimirum num in ſe poſſibile ſit, ut amicitia vigeat inter homines omnes, & num fieri poſſit, ut ad amicitiam adducantur omnes. Poſterius nemo affirmaverit, qui rerum humanarum peritus eſt: prius vero nemo negaverit, qui amorem erga omnes naturæ humanæ non repugnare agnoſcit. In caſu autem poſteriori error manifeſtus eſt per demonſtrationem partis ſecundæ propoſitionis præcedentis & per ea, quæ ad eandem annotavimus. Quamvis itaque amicitia naturalis, quæ univerſalis eſſe debet vi legis naturæ, nunquam ſperanda; qui tamen virtutem amat & vitam homine dignam vivere

re vult, operam dare tenetur, ut ipſe habeat animum, qualis ad amicitiam cum quolibet colendam requiritur, ut ipſe ſit omnibus amicus, conſequenter ex parte ſui nihil deſit, ut amicitia etiam ſubſiſtat cum ignotis.

§. 179.

Amicitia vera non datur ſine virtute, & vitium quodlibet eidem adverſatur. Etenim quos inter vera amicitia eſt, illi amorem dirigunt ad normam legis naturalis (§. 171.), conſequenter cum habitus dirigendi actiones ſuas ad normam legis naturæ virtus ſit (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ſine virtute vera amicitia dari nequit. *Quod erat unum.*

Virtus ad amicitiam requiſita, nec ea ullum fert vitium.

Et quoniam qui mutuo ſibi amici ſunt, ſe invicem diligunt (§. 172.), habitus vero diligendi charitas eſt (§. 620. *part. 1. Jur. nat.*); quicquid charitati adverſatur, amicitiæ veræ contrarium eſt. Enimvero charitati vitia omnia contraria ſunt (§. 169.). Veræ igitur amicitiæ vitium quodlibet adverſatur. *Quod erat alterum.*

Non eſt quod excipias, amicitiam coli ab hominibus vitio deditis, præſertim ſi eodem vitio delectentur: nego enim ac pernego, veram hanc eſſe amicitiam, cum hanc non gignat amor juxta legem naturæ directus, ſine quo vera amicitia concipi nequit (§. 171.). Neque eſt quod urgeas, nullam dari amicitiam veram, ſi qui ſibi mutuo amici ſunt omni vitio carere debent. Ecquis enim hominum eſt, qui ab omni vitiorum labe prorſus immunis eſt? Etenim non unum eſt, quod reponendum. Nimirum ante omnia conſiderandum, non ſtatim eum vitio obnoxium dicendum eſſe, qui ad actiones quasdam lege naturali prohibitas adhuc proclivis eſt & ſubinde in pugna appetitum rationalem cum ſenſitivo ſuccumbere. Vitium enim conſiſtit in habitu actiones ſuas contraria ratione dirigendi, quam lege naturæ requiritur (§. 322. *part.*

Digitized by Google

part. 1. Phil. pract. univ.), neque in vitio ulla eſt pugna appetitus rationalis cum appetitu ſenſitivo, ſed appetitus ſenſitivus dominatur & conſcientia dormitat (§. 499. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Vitium igitur latius ſerpit, & in determinationem actionum aliarum ad alia vitia referendarum pro datis circumſtantiis tacite influit, ipſasque actiones, quæ alias in ſe ſpectatæ legi naturæ conformes forent, labe quadam inficit, cum ex adverſo eum, qui in pugna appetitus rationalis cum ſenſitivo ſuccubuit, facti ſui ſtatim pœniteat. Verendum igitur non eſt, ne vitium vires capiat, ut latius ſerpere poſſit. Notandum porro, quemadmodum omnis virtus humana imperfecta eſt, ut ideo per omnem vitam in eadem proficere poſſimus & debeamus; ita quoque amicitiam imperfectam eſſe, & in eadem colenda nos continuo proficere poſſe ac debere. Sicuti vero omnis virtus in Ethica non aliter exponenda, quam quomodo caſtiſſimæ illi legi, quam natura conſtituit, exacte convenit; ita quoque vera amicitia non aliter concipienda, quam quomodo ad amuſſim reſpondet legi naturali. Dandum quoque in amicitia multum eſt infirmitati humanæ, quemadmodum in amore ejus matre ac omni actionum genere. Ceterum experientia ſatis docet, quantum vitium quodlibet adverſetur amicitiæ, cum videamus amicitiam langveſcere, aut prorſus extingvi, immo in ipſam inimicitiam degenerare, ubi quid accidit, quod vi vitii ferri nequit. Ita ambitioſus invidet amico, ſi ad dignitatem evehatur, qua ipſum antecellit, &, ſi amicum erga ipſum animum non prorſus deponit, plurimum tamen eundem mutat & tacito ſaltem odio locum concedit. Ambitio igitur in cauſa eſt, ne alterum diligamus ipſius ſaltem cauſa. Sine hac autem dilectione vera amicitia concipi nequit (§. 172.). Ampliſſimus hic aperitur diſquiſitionum moralium campus, ut nimirum inquiratur, quomodo unumquodque vitium veræ amicitiæ adverſetur. Omnes autem diſquiſitiones huc redeunt, ut eruatur, quomodo contingere poſſit, ut propter hoc vel iſtud vitium alios diligere nequeamus ipſorum cauſa. Noſtrum

ſtrum jam non eſt ingredi hunc campum, nec cumulare volumus exempla ad confirmandam propoſitionem præſentem: ſufficit excitare attentionem ad obſervationes morales neceſſariam, ut etiam illi, qui tanta vi intellectus minime pollent, ut contrarium vitiorum in amicitiam influxum a priori inveſtigare poſſint, eundem tamen a poſteriori cognoſcere valeant.

§. 180.

De cura virtuti afferenda & fuga vitiorum amicitiæ cauſa & vera amicitia dijudicanda.

Quoniam amicitia vera non datur ſine virtute, & vitium quodlibet eidem adverſatur (§. 179.); *cui vera amicitia curæ cordique eſt, is omni virtuti ſedulam operam navare debet, & omni animi contentione eo anniti, ut in debellando vitio quocunque aſſiduus ab omni vitiorum labe animum purget, quantum detur, inprimis autem ſollicite caveat, ne amorem*, amicitiæ matrem (§. 171.), *temeret vitiam.* Et ne amicitiæ nimium credamus, ob eandem rationem *ſemper meminiſſe debemus, amicitiam ejus nondum veram eſſe, quem a virtute quadam alienum, aut vitio cuidam deditum agnoſcimus.*

Quo quis virtute plurimum præſtat, eo cenſendus aptior ad veram amicitiam colendam. Ex adverſo igitur, quo quis a virtute remotior eſt, aut vitio quodam magis deditus, eo minus aptus deprehenditur. Virtus veram amicitiam alit & conſervat; vitium eandem enervat & ex improviſo eandem deſtruit. Hæc probe perpendenda ſunt & obſervationibus confirmanda, ne nos a vera amicitia culpa noſtra deficiamus, nec amicitia, quam cum aliis habemus, nimium confidamus, conſequenter caute nos geramus.

§. 181.

Cum quibusnam amici-

Quoniam amicitia vera non datur ſine virtute & vitium quodlibet eidem adverſatur (§. 179.); *amicitiam parti-*

tia particularis contrahenda. *cularem contrahere non debemus, niſi cum eo, qui virtutem amat, vitia odit*, conſequenter *antequam amicitiam particularem cum aliquo contrahas, in mores ejus inquirendum.*

Similitudine morum conjunguntur animi hominum. Enatum hinc eſt proverbium: Similis ſimili gaudet. Non tamen quælibet conjunctio amicitiam facit: ad amicitiam enim requiritur, ut amor juxta legem naturæ dirigatur (§. 171.). Conſtat autem homines quoque ſceleratos, aut certo cuidam vitio deditos ſe mutuo amare, quorum tamen amor ordinatus non eſt. Et, ſi eundem ad vivum reſeces, tandem deprehendes, qui ſibi mutuo amici videntur, ſe invicem amare non alterius, ſed ſui cauſa, quatenus nimirum unus alterum conſiderat tanquam cauſam delectationis ſuæ: id quod a vera amicitia maxime alienum. Quamvis vero ex parte tui a veritate non abhorreat, cum tamen ex parte alterius amor ita ſeſe non habeat, quemadmodum amicitia vera exigit, vera quoque amicitia non eſt, quippe quæ eundem amorem ex utraque parte requirit. Quamobrem apparet in vera amicitia contrahenda opus eſſe cautione, quam in propoſitione præſente inculcamus. Lex naturæ præcipit, ut omnibus ſimus vere amici (§. 627. *part.* 1. *Jur. nat.*), ita ut nec inimici noſtri excludantur (§. 633. *part.* 1. *Jur. nat.*): cum tamen men propterea amicitia non ſit in poteſtate noſtra (§. 174.), quod in poteſtate noſtra non eſt, non eſt appetendum, ideoque particularis amicitia non contrahenda cum eo, cum quo vera contrahi nequit, id eſt, pro vero amico non habendus, qui non eſt, nec volendum, ut is ſit, qui eſſe nequit. Etſi enim qui verus omnium amicus eſt omnes quoque alios vere ſibi amicos eſſe mallet; cum tamen vota tollere nequeant, quod in poteſtate noſtra non eſt, ſapientis quoque eſt in votis acquieſcere.

§. 182.

Effectus veræ amicitiæ. *Inter quos vera amicitia eſt, iidem unam repræſentant perſonam,*

nam, & tam bona, quam mala, quæ ſibi obveniunt, communicant. Cum enim amor mutuus gignat amicitiam (§. 171.), qui vero alterum amat, is eum conſideret tanquam ſeipſum (§. 659. *Pſych. empir.*); haud aliter fieri nequit, quam ut ſpectentur tanquam una perſona. Quatenus igitur vera inter ipſos amicitia eſt, unam perſonam repræſentant. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam qui ſibi mutuo amici ſunt, eorum unus alterum conſiderat tanquam ſeipſum, *per demonſtrata*, ideoque alteri vult, quod ſibi, & non vult alteri, quod ſibi velle nequit; ſi uni obtingit aliquid boni, perinde delectatur alter, ac ſi ſibi obtigiſſet, ſin accidat quod malum eſt, perinde eodem commovetur, ac ſi ſibi eveniſſet. Quamobrem tam bona, quam mala communicant. *Quod erat alterum.*

Inde eſt, quod verus amicus dicatur alter ego, & hoc ſenſu recte dicitur, amicorum tam bona, quam mala eſſe communia. Quo perfectior eſt amicitia, eo quoque magis hoc eluceſcit. Immo idem obſervatur ex parte ejus, qui vere amicus alteri eſt, ſi vel maxime contingat, ob defectum amoris ſinceri ex parte alterius amicitiam veram non eſſe. Et propterea quoque qui vere amicus eſt omnibus, quamvis nulla particularis amicitia cum iisdem contracta, eodem modo ſpectat tam bona, quam mala, quæ aliis obtingunt, ac ſi ſibi eveniſſent. Atque hinc maxime intelligitur, quod ſupra oſtendimus, veram amicitiam ſubſiſtere poſſe etiam inter ignotos, ſi nimirum ponamus, dari duos, quos amor univerſalis efficit omnibus vere amicos. Propoſitio præſens notionibus communibus annumerari poteſt. Quamvis enim vera amicitia admodum rara ſit, eidem tamen loquendi formulas conformat uſus. Inde eſt, ut alteri de bono, quod adeptus, gratulaturi dicant, ſe de eo tantopere gaudere, ac ſi ſibi-

ſi ſibimet ipſi obtigiſſet, & more recepto ſignificaturi, ſe vicem alterius dolere, aſſeverent, ſe malum, quod alteri evenit, communicare. Idiomate patrio dicere ſolemus, wir nehmen Theil an allem, was dem andern wiederfähret. Nimirum verba quidem legi naturæ attemperant gentes moratiores, aſt non æque animum. Urbanitatis enim eſſe exiſtimant uti verbis, quæ per ſe quod verum & rectum eſt ſignificant, ſed quæ ſaltem eo fine adhibentur, ut urbanitatis ſigna ſint, non attento ſignificatu, quem per ſe habent, aut vi legis naturæ habere debent. Perperam igitur ex formulis loquendi, quas urbanitas introduxit, judicium fit de animo hominum. Habent enim eædem duplicem ſignificatum, quatenus nimirum in ſe ſpectata certum quid ſignificant, & quatenus nonniſi modus quidam loquendi ſunt, quem urbanitas introduxit. Abſit vero ut formulas loquendi, quæ urbanitatis ſigna ſunt, cum verbis ſimulatis confundas. Simulatione enim intenditur, ut alter ſibi perſuadeat ea eſſe, quæ verba per ſe ſignificant; qui vero eadem urbanitatis cauſa profert, id minime intendit, ſed ſaltem ut pro urbano habeatur, cum de ſignificatu ipſis alias proprio nulla mentem ſubeat cogitatio.

§. 183.

Quidnam communicatio boni & mali inter amicos operetur.

Quoniam illi, quos inter vera amicitia eſt, inſtar unius perſonæ ſpectandi ſunt, & tam bona, quam mala ipſis obvenientia communicantur (§. 182.); *qui uni amicorum benefacit, etiam alteri benefeciſſe putatur, & qui uni ægre facit, alteri quoque ægre feciſſe videtur*, conſequenter *amicus ob beneficium amico præſtitum*, cum ſe inſtar beneficiarii conſiderare debeat (§. 20. *part. 4. Jur. nat.*), beneficiarius vero ad gratias benefactori agendas obligetur (§. 45. *part. 4. Jur. nat.*) & ad beneficium oblata occaſione reddendum (§. 41. *part. 4. Jur. nat.*), *benefactori gratias agere & beneficium occaſione oblata redde-*

reddere tenetur, & ex adverſo quod jus amico ſuo competit in mali autorem, eodem quoque amicus alter una uti poteſt.

Diximus paulo ante formulas loquendi apud gentes cultiores ad normam legis naturæ compoſitas eſſe, quamvis qui iisdem utuntur non habeant animum, quem per ſe ſignificant, quemadmodum contingit, ut ii, qui formulas precum veritatibus divinis conformes recitant, ac hymnos ſacros cantant, verba quidem ore proferant, ſed de eo, quod proprie ſignificant, parum cogitent, immo etiam iis, quæ affirmantur, vel negantur, aſſenſum minime præbeant, nec habeant animum, quem verba indicant (*not.* §. 182.). Inter illas formulas etiam deprehenduntur, quæ propoſitioni præſenti ſatis apte reſpondent: id quod ſatis prodit earum autoribus eam fuiſſe notionem, quæ propoſitioni præſenti reſpondet. Immo ſi qui ſibi mutuo fuerint vere amici, aut ſi vel maxime unus ſaltem fuerit alteri vere amicus; ipſa experientia docet, quod propoſitioni præſenti convenienter ſe gerat, ſi amico ſuo, vel ei, cui ipſe vere amicus eſt, beneficium, aut officium quoddam humanitatis fuerit præſtitum, vel malum quoddam illatum: ſit ita quod in caſu altero iræ ac vindictæ detur, quod omittendum erat, in præſenti autem non attendendum venit, ubi ſaltem ratio habetur opinionis, quam fovet amicus de bono, vel malo, quod amico ſuo infertur. A vero igitur vix aberravero, ſi propoſitionem præſentem inter notiones communes retulero: neque in obſcuro latet ratio. Notionem enim propoſitioni præſenti reſpondentem inſinuat amor, qui amicitiam gignit (§. 171.), cum qui alterum amat, conſequenter ipſi amicus eſt (§. 625. *part. 1. Jur. nat.*); ex voluptate alterius voluptatem (§. 641. *Pſych. empir.*), ex tædio ſive moleſtia tædium ſeu moleſtiam percipiat (§. 642. *Pſych. empir.*) & voluptatem ipſius appetat (§. 650. *Pſych. empir.*), moleſtiam averſetur (§. 651. *Pſych. empir.*). Ob nexum neceſſarium veritatum moralium appetitus uni conformatus inſinuat menti notionem alterius, ut ideo

tam virtus, quam vitium ſit magiſtra opinionum, tam verarum, quam falſarum, quamvis in eas una influant opiniones aliæ cum iisdem connexæ, quibus imbuta mens eſt. Datur nimirum mutuus quidam influxus appetitus & intellectus, qui nondum ſatis expenſus eſt, quemadmodum meretur. Eum omnium faciliime obſervare licet in actionibus hominum, quæ ex habitu proficiſcuntur. Ac inprimis notari meretur, rationem objective ſumtam pro catena veritatum, in natura humana intime concluſam latere, ut ad veritatem cum aliis cognitis connexam perſpiciendam non opus ſit niſi excitatione attentionis, qualis ab appetitu proficiſcitur. Inde omnino eſt, ut haud raro homines plebeji, quorum natura ſola magiſtra eſt, videant veritates nonniſi longa ratiociniorum ſerie eruendas & demonſtrandas. Ampliſſimus hic aperitur disquiſitionum campus ad rationem, qua homo a brutis differt, penitius inſpiciendam facientium, & haud parum lucis non modo latebris & receſſibus in animis hominum affundentium, verum etiam in ipſa arte inveniendi haud poſtremum locum ſibi vindicantium. Velim huc animum advertant, qui ſibi perſuadent, ſolam eſſe Matheſin, in qua mentis aciem & ingenii vim oſtentare detur. Habent enim etiam diſciplinæ philoſophicæ doctrinas profundas & generi humano non minus, ne dicam, magis utiles, quam plurimæ mathematicæ, præſertim Geometriæ ſublimioris, modo non deeſſent, qui ad eas eruendas eandem mentis aciem & ingenii vim cum pari induſtria afferrent, quam Geometriæ ſublimiori impendunt. Multæ autem ſunt rationes, ob quas ſpes tantæ felicitatis nondum adeo propinqua videtur. Sed de his dicere nec præſentis inſtituti eſt, nec ſatis conſultum videtur.

§ 184.

De circumſpectione ſu

Quoniam qui uni amicorum benefacit, etiam alteri benefeciſſe putatur, & qui uni ægre fecit, etiam alteri ægre

feciſſe

ſeciſſe exiſtimatur (§. 183.); *ſi aliorum amorem nobis conciliare, vel conſervare velimus, operam quoque dare debemus, ut in præſtandis officiis nos faciles præbeamus iis, quibus ipſi amicis utuntur vel amici ſunt, & cavendum, ne eos quocunque modo offendamus.*

gulari in amore aliorum nobis conciliando & conſervando adhibenda.

Neceſſitatem circumſpectionis in amore aliorum conciliando & conſervando adhibendæ, quam hic commendamus, nemo non agnoſcit. Non tamen propterea ſuperfluum eſt, ut ea demonſtretur, non ſolum, quia inculcanda ſunt in Philoſophia morali, quæ quamvis trita facile tamen negliguntur, non ſine manifeſto negligentis damno, ſed & quia neceſſe eſt, ut eorum veritas evincatur, cum in dirigendis actionibus noſtris ſemper ſtandum ſit veritate, a qua ne latum quidem unguem recedendum, ut actioni conſtet ſua rectitudo.

§. 185.

Num amicitia particularis naturæ humanæ & legi naturæ conveniat.

Ipſa natura homines ducit ad contrahendum amicitiam particularem, eademque legi naturæ convenit. Appetitus hominis naturaliter determinatus eſt ad appetendum ſocietatem (§. 39. *part. 2. Eth.*), & ex adverſo facultas averſandi naturaliter determinata eſt ad averſandum vitam ſolitariam (§. 40. *part. 2. Eth.*). Quamobrem cum homo nihil appetat, niſi quatenus voluptatem ex eo percipit, nec quicquam averſetur, niſi quatenus moleſtiam creat (§. 156. *part. 2. Eth.*); neceſſe eſt, ut ex vita ſociali voluptatem, ex ſolitaria moleſtiam percipiat. Et quoniam appetitus ejus naturaliter quoque determinatus eſt ad inſerviendum aliis (§. 39. *part. 2. Eth.*), facultas vero averſandi ad non nocendum aliis (§. 40. *part. 2. Eth.*), conſequenter etiam ad non prætermittendam occaſionem aliis inſerviendi, quod nocumentum privativum eſt; eodem modo patet, neceſſe eſſe, ut ex eo voluptatem percipiat, quod poſſit inſervire aliis, & moleſtum accidat prætermittere

tere occaſionem aliis inſerviendi. Quamobrem naturæ humanæ conveniens eſt, ut, qui ſibi mutuo ſe utiles præbere poſſunt, animos conjungant ad reciproca officia ſibi invicem præſtanda, conſequenter amorem univerſalem, ad officia præſtanda ſtimulum (§. 655. *part. 1. Jur. nat.* & §. 292. *part. 2. Eth.*), quoad præſtationem ad ſe invicem reſtringant, quatenus in poteſtate non eſt eadem officia promiſcue præſtare omnibus (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque in eo conſiſtit amicitia particularis, ut quoad actus externos dilectionis, ſeu, quod perinde eſt, officiorum præſtationem (§. 620. 654. *part. 1. Jur. nat.*), amor univerſalis reſtringatur ad certas perſonas, quæ conjunctis viribus ſibi invicem prodeſſe volunt (§. 175.); ipſa natura homines ducit ad amicitiam particularem contrahendam. *Quod erat unum.*

Enimvero lex naturæ vult, ut homines conjunctis viribus perfectionem ſuam ſtatumque ſuum promoveant (§. 221. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & unusquisque ad perfectionem alterius ſtatusque ipſius conferat, quantum conferre valet (§. 222. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Ecquis vero eſt qui neſciat, non tantas eſſe hominis vires, ut omnibus eo modo prodeſſe poſſit, quemadmodum vellet, ſiquidem vires tam late paterent, quam voluntas, nec pro diverſa hominum conditione fieri poſſit, ut quilibet ſit aptus ad officia, quibus alter quidam indiget, præſtandum? Cumque homo quilibet ope & auxilio conſilioque alterius indigeat, quod a poſteriori ſatis conſtat; plurimum quoque refert, ut certus ſit, a quonam auxilium & conſilium, quando eodem opus habet, expectare poſſit. Legi naturæ igitur maxime convenit, ut, qui ſibi mutuo ſe maxime utiles præbere poſſunt, conjun-

conjungant animos ad officia ſibi mutuo præſtanda, conſequenter amorem univerſalem quoad officiorum præſtationem ſeu actus dilectionis externos ad perſonas ſuas reſtringant, quantum lex naturæ patitur. Quamobrem cum amicitia particularis in eo conſiſtat, ut amor univerſalis legi naturæ convenienter ad certas perſonas quoad actus dilectionis externos reſtringatur (§. 175.); amicitia particularis legi naturæ maxime convenit. *Quod erat alterum.*

Cum lex naturæ præcipiat, ut cum omnibus amicitiam colamus (§. 627. *part. 1. Jur. nat.*), & univerſalis amicitia ex amore univerſali fluat (§. 175.), quo alios quoscunque amare debemus tanquam nos ipſos (§. 619. *part. 1. Jur. nat.*); videri poterat amicitia particularis, quæ ad certas perſonas reſtringitur (§. 175.), vel ſuperflua, vel legi naturæ prorſus adverſa. Quamobrem ut hoc dubium, quod nonnullis ſuccurrere poterat, tollatur; e re viſum fuit, ut oſtenderemus, amicitiam particularem legi naturæ minime adverſari & ipſam naturam, quæ legis hujus fons eſt (§. 135. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nos ad eandem ducere. Quibus dubium hoc ſuboriri poteſt, illi mentem legis naturæ nondum ſunt aſſecuti. Etenim lex naturæ, quæ propenſum erga omnes animum exigit, minime nos obligat ultra id, quod a nobis fieri poteſt, cumque ipſamet velit, ut in caſu colliſionis, quando omnibus aut pluribus utiles eſſe non poſſumus, quemadmodum quidem vellemus, niſi deficerent vires, in actuali præſtatione unum alteri præferamus, utique etiam probat, ut quoad eandem amorem univerſalem ad certas perſonas reſtringamus. Ipſa autem natura & conditio hominis ſuppeditat rationes, ob quas hæc reſtrictio fieri debeat, quemadmodum in demonſtratione partis ſecundæ propoſitionis præſentis jam indicavimus. Non omnes homines uniuscujusque ope & conſilio æque indigent; ideoque nec particularis amicitia cum quo contrahatur perinde eſt. Ac propterea quoque contingit, ut

amicitiæ particulares contrahantur finium particularium cauſa, veluti ut Geometra amicitiam colat cum Geometra, quoniam unus alterius ſtudia excitare ac promovere valet. Quemadmodum vero amor, quem ratio quædam particularis movet, non tendit ad promovendam felicitatem & depellendam infelicitatem alterius, ultra quam ratio iſta exigit (§. 293. *part. 2. Eth.*); ita idem tenendum de amicitia, qualem amor iſtiusmodi gignit. Aſt hic potiſſimum reſpicimus amicitiam particularem, qua quoad officiorum quorumlibet præſtationem amorem reſtringimus ad certam quandam perſonam, non ſine ratione ſufficiente, quam ex aſſe lex naturæ approbat, ſive eam examines quoad officia erga ſeipſum, ſive quoad officia erga alios. Facile tamen concedimus, immo manifeſtæ experientiæ contradiceremus, ſi id negare vellemus, amicitias particulares utplurimum contrahi ob rationes, quæ nunc legi naturæ adverſantur, nunc non ſatis eidem reſpondent, ideoque in caſu primo veræ amicitiæ nomen non merentur, in altero ab omni prorſus labe non ſunt immunes. Immo ipſa lex naturæ præcipit amicitias particulares, quatenus arctiorem obligationem amoris introducit inter certas perſonas, veluti inter conjuges (§. 465. *part. 7. Jur. nat.*), inter parentes & liberos (§. 733. 745. 754. *part. 7. Jur. nat.*), inter cives, ſeu ejusdem civitatis membra (§. 1085. *part. 8. Jur. nat.*) & inter eos, qui ſocietatem vitæ contrahunt (*not.* §. 473. *part. 7. Jur. nat.*). Perpendendum hic quoque eſt, ipſam naturam ad ſocietatem colendam nos obligare (§. 138. *part. 7. Jur. nat.*) & prohibere vitam ſolitariam, ne ſcilicet quis ſibi ſoli vivere velit, non vero aliis (§. 439. *part. 7. Jur. nat.*).

§. 186.

An amicitia particularis præjudicet univerſali.

Amicitia univerſalis juxta particularem ſubſiſtere poteſt. Etenim amicitia particularis amorem univerſalem quoad actus dilectionis externos ad certas ſaltem perſonas reſtringit (§. 175.), ideoque eundem minime delet. Amor igitur cum con-

conſiſtat in diſpoſitione animi ex amati felicitate voluptatem percipiendi (§. 633. *Pſych. empir.*), indeque naſcatur voluntas conſtans & perpetua felicitatem amati promovendi, infelicitatem depellendi (§. 292. *part.* 2. *Eth.*), quæ dilectio eſt (§. 617. *part.* 1. *Jur. nat.*); animus, qui requiritur ad amicitiam univerſalem, erga homines in univerſum omnes non mutatur per amicitiam particularem, ſed unus idemque eſt erga homines promiſcue omnes atque eos, cum quibus amicitia ſpecialis colitur. Rerum vero humanarum conditio aliter non fert, quam ut in actuali officiorum præſtatione unus alteri præferatur, ac propterea ipſa lex naturæ hanc prælationem urget atque dirigit (*not.* §. 185.). Quamvis itaque in amicitia particulari amicus præferatur aliis in præſtatione officiorum, non tamen ideo officium quodcunque humanitatis denegandum alii cuicunque, ſi ſine neglectu amici fieri poteſt. Neque hoc obſtat, quo minus aliis nos utiles præbere valeamus, quamvis lex naturæ, dum inter quasdam perſonas amicitiam ſpecialem inſtituit, veluti inter parentes & liberos & inter conjuges, menſuram officiorum ampliet. Amicitia ergo univerſalis juxta particularem ſubſiſtere poteſt.

Cum per rerum humanarum conditionem officiorum colliſio evitari minime poſſit, nec menſuræ officiorum præſtandorum ampliatio; ut in præſtandis officiis unum alteri præferamus & reſpectu certarum perſonarum officia ipſa extendamus ipſa neceſſitas exigit. Quoniam vero lex naturæ regit omnes actus humanos, ita ut ne quidem ullus fingi poſſit, qui per eam determinatus non ſit; illam quoque prælationem ac menſuræ ampliationem determinat, & ideo eundem animum in amicitia univerſali atque particulari requirit, actus autem externos dilectionis, qui in actuali officiorum præſtatione conſiſtunt, ad certas perſonas ipſamet reſtringit. Qua

de

de cauſa in amicitia particulari colenda non minus norma legis naturalis obſervanda, quam in ceteris actionibus quibuscunque. Et hac norma vera amicitia a ſpuria, perfecta ab imperfecta dividitur, & quamdiu hac norma utimur, verendum non eſt, ne amicitia particularis ullo modo præjudicet univerſali. Ita quamvis parentes magis proſpiciunt liberis ſuis, quam aliis, & liberi magis inſervire ſtudent parentibus, quam aliis, non tamen propterea illi deponunt animum aliis quibuscunque eodem modo proſpiciendi, quo liberis ſuis, etſi ut faciant, quod facere vellent, in poteſtate ipſorum non ſit, nec liberi deponere tenentur animum aliis quibuscunque æque inſerviendi, ac parentibus, etſi idem actu facere nequeant. Licet deſint vires, non tamen deeſt voluntas, quæ ſemper ſufficit, ubi facere haud quaquam potes, quod facere malles, niſi viribus deſtituereris. Quodſi hæc omnia probe expendantur, multo quoque clarius intelligitur, quod amicitiæ particulares legi naturæ conveniant. Patet etiam hinc inter amicitias particulares dari differentiam, in quantum legi naturæ conveniunt, ut una arctior ſit altera & amicorum quoque prælationem in actuali præſtatione officiorum exigat. Non dubito fore haud paucos, qui exiſtimaturi ſunt, nimiam requiri in amicitia ſcrupuloſitatem, quam ferre nequit humana conditio. Enimvero hi ſunt, qui ſcientia legis naturæ deſtituti concordiam in ea regnantem non introſpiciunt, neque perpendunt, multa veluti ſua ſponte ſequi in actionibus humanis ob indiſſolubilem veritatum moralium nexum, de quibus minime cogitaverant, modo actiones ſuas ad normam legis naturæ componere ſtudeant. Vide, quæ paulo ante annotavimus (*not.* §. 183.). Ceterum hinc apparet, quod in legibus naturæ inculcandis ſelectus quidam habendus, nimirum ut earum inprimis ſcientia imbuatur mens, quæ notiones ceterarum agenti inſtillant. Velim vero hoc ſatis ponderari, ne disquiſitiones paulo ante commendatæ (*not.* §. *cit.*) videantur inutiles: a quo præjudicio facile ſibi cavebunt, qui perſuaſiſſimi ſunt, veritatem omnem eſſe utilem,

utilem, etſi ejus utilitas non ſtatim appareat, & ſicut omnem praxin theoria perfecta efficit perfectam, ita ut perfectio praxeos æſtimanda ſit ex perfectione theoriæ, prouti non uno exemplo confirmari poterat ex Matheſi, ita idem quoque obtinere in praxi morali. Nec dubito hoc quodammodo jam perſpici poſſe ex praxi morali, prouti a nobis traditur.

§. 187.

An commodi noſtri promovendi cauſa amicitiam contrahere liceat.

Amicitiam particularem contrahere licet cum iis, qui commoda noſtra promovere valent & commodum noſtrum ingredi poteſt motivum amicitiæ contrahendæ, nec hoc obſtat, quo minus alios diligamus atque amemus ipſorum cauſa. Licet enim alterum officio devincire, qui commoda noſtra promovere poteſt (§. 140.). Quamobrem, cum conſtet nos alterum nobis devincire, ſi ejus amorem nobis conciliamus, quo impellitur ad felicitatem noſtram promovendam, infelicitatem depellendam (§. 292. *part. 2. Eth.*), conſequenter commoda noſtra promovenda, nos vero viciſſim qui amat nobis amicus exiſtat (§. 625. *part. 1. Jur. nat.*), & in unione animorum amore mutuo facta amicitia conſiſtat (§. 171.); amicitiam particularem cum iis contrahere licet, qui commoda noſtra promovere valent.

Idem quoque ex dilectione ſui lege naturæ præcepta (§. 607. *part. 1. Jur. nat.*) eodem modo oſtendi poteſt, quo ſupra evicimus, dilectioni aliorum minime repugnare, ut aliquem nobis officio devinciamus, qui commoda noſtra promovere valet (§. 140.). Qui enim amicitiam cum altero contrahere vult, ex parte ſua jam ipſi amicus eſſe (§. 171.), conſequenter ipſum amare debet (§. 625. *part. 1. Jur. nat.*), ac propterea non alia re opus eſt, quam ut alterius amorem ſibi conciliet (§. 171.): quod ipſum intenditur, ſi alterum

nobis devincire ſtudemus. Demonſtratio igitur ſuperior ad primam propoſitionis partem evincendam tranferri poteſt, ut veritas dilucidius appareat. *Quod erat primum.*

Et quoniam dilectioni minime repugnat, ut commodum ab altero promovendum ingrediatur motivum officii eidem præſtandi ipſum nobis devinciendi cauſa (§. 141.), ut ſcilicet nos viciſſim diligat, qui vero ſibi mutuo amici ſunt, ſe invicem diligunt (§. 172.); commodum quoque noſtrum ingredi poteſt motivum amicitiæ contrahendæ. *Quod erat ſecundum.*

Enimvero quamvis amicitia cum altero colenda utamur tanquam medio commoda noſtra promovendi, hoc tamen minime obſtat, quo minus quod bonum eſt ipſi velimus ipſius cauſa, nullo habito reſpectu ad commodum quoddam viciſſim recipiendum. Etenim commodum ab altero promovendum conſideramus officio erga nos, dilectioni nimirum ſui, ſatisfacturi; bonum vero, quod alteri volumus, ſpectamus officium erga alios præſtituri. Quamobrem etſi amicitiam contrahamus cum eo, qui commoda noſtra promovere poteſt, ne deſimus officio erga nos ipſos; hoc tamen minime obſtat, quo minus eum, qui commoda noſtra promovere poteſt, amemus & diligamus ipſius cauſa. *Quod erat tertium.*

Amicitia non tollit amorem ſui, ſed cum amore alterius copulat. Etenim amor ſui homini naturalis eſt, nec eradicari poteſt, cum ſe amare idem ſit ac felicitate ſua delectari (§. 633. *Pſych. empir.*), quam per naturam ſuam quivis appetit (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Amare alterum idem eſt ac felicitate ipſius delectari (§. 633. *Pſych. empir.*). Non vero repugnat, ut quis delectetur felicitate & ſua, & alterius, conſequenter ut faciamus, quod felicitatem noſtram pro-

promovet, & quod felicitatem alterius, ideoque bonum, quod alteri arbitramur, ipſi velimus ipſius cauſa. Lex naturæ non requirit, ut alium amaturi & dilecturi amori ac dilectioni noſtri quicquam detrahamus. Quoniam animi amicorum ita uniuntur (§. 171.), ut unam repræſentent perſonam & tam bona, quam mala communicent (§. 182.); ſincero amore unus alteri præſtat, aut, ſi deſint vires, vel occaſio, ſaltem vult, quod ipſi bonum eſt, quia ipſi bonum eſt, non quia ſibi quoddam bonum inde ſperat, ceſſante nimirum inter veros amicos, quorum unus alterum ſpectat tanquam ſeipſum, conſideratione boni reſpectu ſui & reſpectu alterius. Omnium optime hoc experimur in nobis ipſis, ſi veram amicitiam cum altero contrahimus, aut, ſi nos ſaltem ſincero amore alterum complectimur. Cum qui alterum amat felicitate ejus delectetur (§. 633. *Pſych. empir.*), quicquid vero nos delectat, ad felicitatem noſtram faciat (§. 638. *Pſych. empir.*); qui alterum amat felicitatem alterius in ſuam adſciſcit. Quoniam igitur eam per ſe appetit (§. 156. *part. 2. Eth.*); amor, ſine quo amicitia contrahenda non concipitur, etſi bonum proprium eum ad eandem impellat, ab omni tamen utilitatis reſpectu ſeparari poteſt. Atque ea de cauſa in vera amicitia amor ſui cum amore alterius coaleſcit ita, ut is minime mercenarius evadat. Vide, quæ jam ſupra annotavimus de modo, quo commodum noſtrum ingredi poſſit motivum diligendi alterum (*not.* §. 141.). Ceterum nihil in hiſce difficultatis eſt, modo naturam humanam ſatis cognitam atque perſpectam habeamus eamque probe conſideremus.

§. 188.

Quoniam amicitiam particularem contrahere licet cum iis, qui commoda noſtra promovere valent (§. 187.), vera autem amicitia non eſt, niſi qui ſibi mutuo amici ſunt ſe invicem diligant non ſui, ſed alterius cauſa (§. 173.), in poteſtate autem noſtra non eſt efficere, ut alter quoque velit

Quid faciendum, ſi alterius amor ſaltem mercenarius ſit.

Kk 2 bonum,

bonum, quod nobis eſt, non ſui, ſed noſtri cauſa; *ſi amicitiam contrahere velimus cum altero, obligationi noſtræ ſatisfecimus, ubi ex parte noſtra fuerit amor, qualem vera amicitia requirit, nec propterea ab amore alterius, qui commoda noſtra promovere poteſt, abſtinendum, quod mercenarius ſit, ſeu, quod ſine utilitate propria quod nobis bonum eſt non velit.*

Sine amore mutuo, quo unus alterum diligit non ſui, ſed alterius cauſa, non concipitur vera amicitia (§. 172.). Qui alteri ſeſe utilem præbet ea ſaltem de cauſa, quia is viciſſim ſe ipſi utilem præbet; is non delectatur bono alterius, ſed proprio, quod ex illo ſperat. Alterum igitur non amat (§. 633. *Pſych. empir.*), ideoque verus amicus non eſt, etſi amicitiam ſimulet. Quamvis itaque vera amicitia contrahi nequeat, non tamen obſtat ut verus ſis amicus ejus, qui commoda tua promovere poteſt, ſi vel maxime alter ſaltem ſit ſimulatus. Contrahere poſſumus utilitatis noſtræ cauſa cum altero tantundem præſtando, quantum nobis præſtat alter, quocunque tandem in nos fuerit animo: quidni etiam amici eſſe poſſimus ei, qui noſtra commoda promovere poteſt, etiamſi alter amicitiam ſaltem ſimulet utilitatis ſuæ cauſa? Omnes homines ſibi mutuo amici eſſe debent (§. 627. *part. 1. Jur. nat.*), nec obſtat veræ amicitiæ, ſi ad amorem impellamur bono proprio (§. 187.), quod motivum nobis inſpirat amor & dilectio ſui, tam naturæ humanæ (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), quam legi naturæ conveniens (§. 607. *part. 1. Jur. nat.*). Et quamvis alter non ſatisfaciat obligationi ſuæ, ut quod tibi bonum eſt non velit niſi utilitatis ſuæ cauſa, ideoque amorem ſaltem ſimulet; non tamen propterea deeſſe teneris obligationi tuæ tam erga teipſum, quam erga alterum (§. 631. *part. 1. Jur. nat.*), negligendo bonum proprium, nec ſine hujus reſpectu ipſum amando & diligendo, quemadmodum fieri poſſe conſtat (*not.* §. 187.). Abſurdum igitur non eſt, ut amicitia ex parte una ſit vera, ex altera ſimulata, ſeu apparens, neque illicitum eſt, ſi ad amicitiam contrahendam cum eo, qui commoda

Digitized by Google

commoda tua promovere poteſt, adſpires, etiamſi hujus amor eſſe nequeat niſi mercenarius, aut revera animus ipſius erga te ſaltem indifferens, immo nec omni odio vacet. Notandum vero hoc quoque eſt, ob inconſtantiam animi humani fieri vix poſſe, ut, ſi cujus amor non ſit niſi mercenarius, ſubinde tamen a reſpectu boni proprii ſeparetur, cum naturæ humanæ maxime conveniens ſit perfectione quoque aliena delectari, niſi affectuum perverſorum impetu animus in transverſum agatur (§. 511. *Pſych. empir.*), ut ideo quoque in iſtiusmodi amicitia, in qua ex parte una amor non niſi mercenarius cenſetur, ſubinde tamen veri amoris quaſi ſcintillulas videamus. Neque vero eſt, quod excipias, nos perfectione noſtra delectari, dum perfectionem alterius promovemus, minime autem perfectione ipſius. Advertendus ſaltem eſt animus ad iſtiusmodi caſus, in quibus perfectio amici veri non debetur amico apparenti, aut ſimulato, ſed cuidam alteri. Dari enim iſtiusmodi caſus, & ratione, & experientia fretus affirmare nullus dubito. Quodſi in obſervationibus moralibus imitaturi ſumus Aſtronomos, multa patebunt, quæ nunc non obſervantur.

§. 189.

Utilitas fructus amicitiæ eſt, non vero cauſa. Etenim amicitiam veram gignit amor mutuus (§. 171.), quo uterque gaudet felicitate alterius (§. 633. *Pſych. empir.*) & qui ſibi mutuo amici ſunt, ſibi mutuo volunt id, quod bonum eſt & pro virili præſtare ſtudent non ſui, ſed alterius cauſa (§. 172.), propenſiores nimirum ad bene merendum, quam ad repoſcendum. Quamobrem a cogitatione, quantum utilitatis amicitia ſit habitura, eadem oriri nequit, conſequenter manifeſtum eſt, utilitatem cauſam amicitiæ eſſe haud quaquam poſſe. *Quod erat unum.* *Utilitas quomodo inſit amicitiæ.*

Enim-

Enimvero qui ſibi mutuo amici ſunt, ſibi mutuo volunt id, quod bonum eſt & pro virili præſtant (§. 172.), ideoque unus alteri ſeſe utilem præſtat. Quoniam ex amore, qui amicitiam gignit, ſtudium ſeſe utilem præbendi amato naſcitur (§. 292. *part. 2. Eth.*), fructus vero ſunt res ex aliis quomodocunque provenientes (§. 956. *part. 1. Theol. nat.*); utilitas fructus amicitiæ eſt. *Quod erat alterum.*

Amicitia expetitur propter ſe tanquam bonum jucundum, cum omne per ſe delectabile per ſe expetatur, utpote ad felicitatem noſtram faciens (§. 638. *Pſych. empir.*), quam per naturam noſtram appetimus (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Enimvero ipſi amori, qui amicitiam gignit, ineſt omnis fructus ex amicitia percipiendus: tendit enim is ad felicitatem amati promovendam, infelicitatem depellendam (§. 292. *part. 2. Eth.*). Bonum itaque proprium quamvis per amicitiam non intendatur, ab ea tamen ſeparari nequit, ut, dum amicitiam colimus, eadem quoque fruamur. Cumque bono proprio delectemur (§. 558. *Pſych. empir.*), ut ipſam naturam humanam exuere deberemus, ſi hæc delectatio extirpanda eſſet; dum amicitia fruimur, ipſe fructus amorem inflammans eandem fervidiorem reddit atque conſervat. Si ſola utilitas eſſet amicitiæ cauſa, ut indigentia homines ad eandem compelleret; nemo delectaretur niſi bono proprio, nec alienum appeteret, niſi quatenus eodem producitur proprium. Ab amicitia igitur removeretur, quod maxime delectabile, & eandem maxime commendat.

§. 190.

De amicitia non ex utilitate æſtimanda.

Quoniam utilitas fructus ſaltem amicitiæ eſt, non vero cauſa (§. 189.); *amicitia quoque metienda non eſt ex utilitate, quam inde percipimus.*

Non nego, dari longe plurimos, qui amicitiam utilitate metiuntur, quaſi is maxime nobis amicus ſit, qui ſeſe maxime utilem nobis præbet, ſeu ad bonum noſtrum, quod arbitramur, augendum plurimum confert. Sed ex hoc errore magno numero propullulant alii complures, quos experientia abunde docet. Videtur equidem ſubeſſe aliquid veri, quod ipſum facile imponit non ſatis circumſpecto, ut in errorem rapiatur. Quamobrem non inconſultum videtur, ut oſtendatur, quasnam utilitas in dijudicanda amicitia habere poſſit partes. Cum amor tendat ad felicitatem amati promovendam, infelicitatem depellendam (§. 292. *part. 2. Eth.*); ex fervore amato inſerviendi colligitur intenſitas amoris, qui tanto ſincerior apparet, quanto minus ab amato recipitur. Ex amoris autem intenſitate magnitudo amicitiæ æſtimatur. Multum vero faciunt ad amoris ſinceritatem agnoſcendam circumſtantiæ particulares, ex quibus conſtat, amantem promovere felicitatem amati, vel ab aliis promota delectari, non ſui, ſed amati cauſa. Quamvis itaque hæ ſæpiſſime, ſi non plerumque adeo apertæ ſint, ut nec vulgi attentionem effugiant; non tamen inconſultum eſt, ut in eas accuratius inquiratur, cum quo quis acutior, eo quoque plura obſervet atque ex obſervatis colligat. Etenim quando duo vident idem, non eſt idem. Quamobrem quoque acumen inter virtutes intellectuales refertur (§. 182. *part. 1. Eth.*), uſus quoque in praxi morali cauſa (§. 196. *part. 1. Eth.*) perficiendum (§. 187. *& ſeqq. part. 1. Eth.*), & in arte obſervandi magnum momentum habens (§. 340. *part. 2. Eth.*). Exemplo eſſe poteſt amicitia, quam coluit *Jonathan* cum *Davide*, quod vulgo tanquam ſingulare celebratur & non immerito veræ amicitiæ exemplar habetur. Atque hæc, ſi rite ponderentur, ſatis declarant, quomodo utilitas ſit fructus amicitiæ, quamvis amor, quo coaleſcit (§. 171.), non quærat quod ſuum eſt, ſed quod alterius (§. 172.). Obtinet in amicitia, quod in Jure naturæ. Quamvis enim utilitas non ſit fons Juris naturæ (§. 266. *part. 1. Phil. pract. univ.*); idem

tamen

tamen homini utile eſt (§. 263. part. 1. Phil. pract. univ.), nec utilitas ab eo ſeparari poteſt.

§. 191.

Cur amicitia expetenda & quomodo amicus amico fruatur.

Similiter, quoniam utilitas fructus amicitiæ, non vero cauſa eſt (§. 188.); *amicitia per ſe expetenda & qui ſibi mutuo amici ſunt, propenſiores licet ſint ad bene merendum, quam ad repoſcendum, eorum tamen unus fruitur & uſu alterius, & moribus.*

Dudum hæc inculcavit *Cicero* in *Lælio*, dum ortum amicitiæ explicat. Cumque amici ſint pares in amore & æquales (§. 172.), ex amicitia maximæ capiuntur utilitates, quamvis utilitatis cauſa non contrahantur, ſit ita, quod bonum proprium ingrediatur motivum amicitiæ contrahendæ (§. 187.). Quoniam vero inter amicos honeſta quædam certatio eſt, quam inde oriri facile conſtat, quod neuter videri velit amare alterum ſui cauſa (§. 172.); amicitia vera quemadmodum nihil delectabilius, ita quoque nihil utilius. Sequitur utilitas fugientem; id quod ex illa certatione ſatis ſuperque eluceſcit, eademque maximam delectationem parit, oblata occaſione bene merendi de eo, qui bene de nobis meritus eſt, comprobandi amoris infucati ac minime mercenarii cauſa. Quando bonum proprium ingreditur motivum amicitiæ contrahendæ, reſpectus habetur ad fructum, qui amori mutuo per ſe ineſt. Quoniam homini naturale eſt ut bono proprio delectetur, naturale quoque eidem eſt, ut, dum omnem fructum in amore contentum perſpicit, appetentia amicitiæ excitetur, etſi deinde ratio in amicitia colenda amoris norma exiſtat, ut ſit ſincerus, qualem amicitia exigit. Quemadmodum alterum amare debemus tanquam nos ipſos, ita quoque amor ſui nos ducit ad amorem aliorum. Amore alterius cum fruimur, fieri non poteſt, quin delectemur bono proprio, & hac ipſa delectatione alitur amor erga alterum (§. 649. *Pſych. empir.*), quatenus nimirum alterum tanquam ejus

cauſam

cauſam agnoſcimus. Et hoc modo amicitia delectabilis efficitur, ita ut fervente continuo magis amore mutuo nihil delectabilius eadem exiſtimetur, eademque appetibilis (§. 156. *part. 2. Eth.*), id quod ad ejusdem conſtantiam plurimum confert.

§. 192.

Amicus verus ſollicite cavet, ne quid faciat, quod amico diſplicet; ſed ei in omnibus ſuis actionibus placere ſtudet. Verus enim amicus amicum amat (§. 625. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero qui alterum amat, nil facit, quod eidem diſplicet (§. 1175. *part. 1. Jur. nat.*). Ergo amicus verus ſollicite cavet, ne quid faciat, quod amico diſplicet. *Quod erat unum.*

Quænam in agendo ſollicitudo teneat amicum verum.

Porro qui alterum amat, voluptatem eidem creare ſtudet (§. 652. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum id placeat, ex quo voluptatem percipimus (§. 542. *Pſych. empir.*); ea facere ſtudet, quæ alteri placent. Quoniam itaque ipſimet alteri placemus, ſi ea facimus, quæ ipſi placent, quatenus nimirum ſpectamur tanquam cauſa voluptatis, quam ex facto noſtro percipit alter (§. *cit.*); amicus verus in omnibus ſuis actionibus amico ſuo placere ſtudet. *Quod erat alterum.*

Utrumque effectus amoris eſt & ex parte amati fructus, qui ineſt amori animos unientis, ſicque veram amicitiam gignentis (§. 171.). Utrumque ideo quoque efficit, ut amicus amico fruatur, & dulcedinis amicitiæ propriæ cauſa eſt, quam qui deguſtavit, quantum amicitia bonum ſit convictus eſt, nec magis convinci poteſt ratione alia. Quodſi quidam fuerint, qui hanc amicitiæ dulcedinem in dubium vocant, aut parvi faciunt; ex eo ipſo intelligunt, amicitiam veram non eſſe, quam cum altero colunt, ſive ex parte ſui, ſive ex parte altera deſideretur amor, qualem amicitia vera requirit. Ceterum illa ſollicitudo minime diſplicendi & hoc ſtudium pla-

cendi amico reciprocum certiſſimum amicitiæ veræ ſignum eſt.

§. 193.

De offenſa amicorum.

Quoniam amicus verus ſollicite ſibi cavet, ne quid faciat, quod amico diſplicet (§. 192.), alterum vero offendit, qui quid facit, ex quo moleſtiam percipit alter (§. 936. *part. 1. Jur. nat.*); *amicus habere nequit animum offendendi amicum.* Quamobrem cum offenſa doloſa ſit, quæ committitur a ſciente & volente (§. 938. *part. 1. Jur. nat.*); *in vera amicitia offenſa doloſa locum minime habet.* Et quoniam amicus certus eſt, amicum ſuum non habere animum ſe offendendi, *ſi vel maxime contingat, ut hic culpa quadam faciat, quod ſibi placere nequit, non tamen propterea cupit, quod ipſi moleſtiam creat*, conſequenter cum in eo conſiſtat cupiditas vindictæ, ut appetamus moleſtiam ejus, qui nos offendit (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*), *cupidine vindictæ minime corripitur.* Quamobrem cum ira tendat ad vindictam (§. 422. *part. 2. Eth.*); *ob offenſam culpoſam amicus amico non iraſcitur.*

Amicus dolum non præſumit, culpam facile excuſat atque condonat. Experimur quotidie, quemadmodum jam alias obſervavimus (*not.* §. 949. *part. 1. Jur. nat.*), amicorum offenſas patienter ferri, jam ab iis, qui alias ad iram facile provocantur, nec leves concoquere poſſunt offenſas, immo in ſe revera nullas, ſed per errorem pro talibus habitas (§. 936. *part. 1. Jur. nat.*). Facta nimirum amici in bonam partem interpretatur, quamvis alias conſueverit facta aliorum in malam partem interpretari, ut ſine ratione ſe offenſum putet (§. 937. *part. 1. Jur. nat.*) atque ad iram facile provocetur. Non poſtremum locum hoc ſibi vindicat inter fructus amicitiæ, qui amori amicitiæ parenti (§. 171.) per ſe inſunt, ut etiam hoc nomine amicitia ſit maxime appetibilis, utpote animum liberans multis moleſtiis, quibus alias torqueri

queri poterat. Conſiſtit enim in eo felicitas privativa poſitivæ haud raro parum cedens, immo etiam præferenda. Ecquis enim eſt, qui non potius velit magna moleſtia carere, quam exigua quadam voluptate frui? Neque puto quenquam eſſe, qui non minus ad felicitatem referat carentiam moleſtiæ, quam perceptionem voluptatis. Duplici autem modo amicitia moleſtiis nos liberat, nimirum quatenus amicus cavet, ne nobis moleſtiam creet, & quatenus facta culpoſa moleſte non ferimus. Si quæ vero ſunt, quæ nobis placere nequeunt, amica admonitione eum adducimus, ne denuo faciat. Amicus amicum conſiderat tanquam ſeipſum (§. 182.). Quemadmodum itaque unusquisque ad excuſanda facta ſua pronus eſt; ita non minus facilis eſt ad facta amici in meliorem partem interpretanda. Facta amici factaque ſua eodem modo æſtimat. Sicuti certus eſt animi ſui erga amicum; ita nullus dubitat, quin eundem erga ſe animum quoque habeat amicus. Sunt enim amici, quorum animos amor unit (§. 171.), animo pares & æquales. Si qua culpa cadit in amicum, eidem quoque ſe obnoxium fieri poſſe agnoſcit alter. Et ex ipſa notione culpæ patet, culpa non mutari animum (§. 717. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam igitur amicum tenet ſollicitudo nil quicquam faciendi, quod moleſtum accidere poteſt amico; ſi quid tale culpa quadam committit, admonitioni amici aures præbet faciles, cum ad id non faciendum jam diſpoſitus ſit animus.

§. 194.

Cura culpæ vitandæ in amicitia adhibenda.

Similiter quia verus amicus ſollicite cavet, ne quid faciat, quod amico diſplicet, ſed ei potius in omnibus ſuis actionibus placere ſtudet (§. 192.); *animum* quoque *ejus tenet ſollicitudo nec quicquam culpa committendi, quod amicum offendere poterat*, præſertim cum lex naturæ offenſionem prohibens (§. 939. *part. 1. Jur. nat.*), nec culpæ locum in ea concedat (§. 882. *part. 1. Jur. nat.*). *Qui* ergo *amicitiæ partes omnes*

 per-

peragere voluerit, omnes ſpecies culpæ cognoſcere ac perſpicere debet (§. 748. & ſeqq. part. 1. Phil. pract. univ.) & ut eam vitare diſcat ſedulam operam dare (§. 644. & ſeqq. part. 2. Phil. pract. univ.).

Non eſt, quod excipias, cum amicus culpam facile excuſet ac condonet (§. 193.), non opus eſſe tam anxia ſollicitudine vitandi culpam, ut culturam amicitiæ reddamus nimis difficilem, immo ne obligationem amicorum ultra humanam conditionem extendamus. Cum in Ethica demonſtrandum ſit, qualis amicitia eſſe debeat, ne quicquam in ea deficiat; nihil eorum prætermittedum, quod vi legis naturæ, quæ eam moderatur, ad eandem requiritur. Ita nimirum conſtat, ad quod eniti debemus, & quænam opera nobis danda, ut in vera amicitia colenda indies magis magisque proficiamus. Sicuti enim hanc operam debemus omni virtuti impendere, ita quoque amicitiæ. Nec eſt quod exiſtimes, hoc modo amicitiam reddi moleſtam: moleſtum enim eſſe nequit, quod maxime appetimus. Cum amicus ſollicitus maxime ſit, ne quid committat, quod quocunque modo moleſtum accidere, aut diſplicere poſſit amico, nec ipſi poteſt eſſe animus vel culpa ſua iſtiusmodi quid committendi. Ipſa igitur amicitia jam eum ducit ad vitandam culpoſam offenſionem. Eam vitandi cupido cum inſit ſollicitudini iſti, nec moleſtum accidere poteſt accuratius cognoſcere, in quonam culpa conſiſtat & quot ideo modis offenſio culpoſa committi queat. Studium autem in actionibus ſuis placendi amico ſtudium vitandi culpam facilitat & moleſtiam, quam alias habere poterat, eidem detrahit. Et hoc modo amicitia influit in praxin culpam vitandi, quæ magnum momentum habet in omni praxi morali. Placet amico, ſi alter leges amicitiæ rigoroſiſſime obſervet, cui quippe nil magis in votis eſt, quam ut amorem ſuum probet amico ſuo. Atque hinc omne ſtudium, quod culpæ intimius cognoſcendæ & ſollicitius præcavendæ impenditur, dulcedine ſua non caret.

§. 195.

Digitized by Google

§. 195.

Quoniam amicus verus ſollicite ſibi cavet, ne quid faciat, quod amico diſplicet, ſed ei in omnibus actionibus ſuis placere ſtudet (§. 192.), obligatio vero, quæ a lege naturæ venit, neceſſaria & immutabilis eſt (§. 142. *part. 2. Phil. pract. univ.*), *in gratiam amici facere non licet, quod legi naturæ repugnat*, conſequenter *ad verám amicitiam ex parte utraque requiritur conſtans & perpetua voluntas nil quicquam faciendi, niſi quod legi naturæ convenit*: quæ voluntas cum virtus ſit (§. 328. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *virtus amicitiam conſervat & firmat, nec ſine ea vera amicitia concipi poteſt*, quemadmodum jam ſupra alio modo oſtendimus (§. 179.). Et quoniam amicitia in unione animorum conſiſtit, quam mutuus amor facit, nec vera eſt, niſi quam gignit amor ad legem naturæ directus (§. 171.); *qui ſibi mutuo vere amici ſunt, animum habere debent nil quicquam faciendi, niſi quod legi naturæ conforme*, conſequenter *virtus eorum animos conjungere debet.* *Quanta ſit virtutis in amicitia neceſſitas.*

Luculentius hinc apparet, cur ſine virtute vera amicitia non poſſit concipi, eademque ex parte utraque requiratur, nec ſit niſi bonorum cum bonis. Pone nimirum, amicum tuum eſſe vitio deditum. Cum vitio deditus velit, quod legi naturæ repugnat (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*); fieri haud quaquam poterit, quin a te fieri velit, quod legi naturæ contrarium, idque ipſi diſpliceat, ſi facere nolis. Quamobrem cum nemo non amicitiæ adverſum judicet facere, quæ amico diſplicent, aut facere nolle, quod placet; te officio amici deeſſe ſibi perſuadebit, nec pro vero amico habebit. Ecquis enim eſt, qui neſciat, nihil audiri frequentius, ſi quis in gratiam alterius facere nolit, quod vult, quam quod dicatur: Non agnoſcam te amicum, niſi in gratiam mei hoc feceris, immo pro inimico declaretur, qui facere recuſat. Nolumus hæc a priori demonſtrare, prolixitatis vitandæ cauſa.

Facile tamen defectum per ſe ſupplebit, qui ea perpendit, quæ de amore in Pſychologia empirica tradita ſunt. Apparet itaque, amicitiam vigere ac ſubſiſtere diu non poſſe, niſi uterque amicorum fuerit virtutis ſtudioſus. Inprimis vero hic conſiderandum eſt, amicitiam a virtute ſejunctam contradictionem involvere. Etenim amicus non eſt, niſi qui alterum amat (§. 625. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter felicitate ejus delectatur (§. 633. *Pſych. empir.*). Sine virtute nemo felix eſſe poteſt, nec felicitas a virtute ſejungi poteſt (§. 400. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo virtutem ab amicitia ſepares, nec felicitas vera in amicitia locum habere poteſt. Felicitas igitur amati, qua delectatur amicus, nonniſi apparens eſt. Et quoniam vitia hominem reddunt infelicem (§. 406. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ſi qui ſibi mutuo amici ſunt vitiis fuerint dediti, dum felicitate alterius delectari videntur, re vera infelicitate delectantur: quod cum re vera ſit odii, non vero amoris (§. 661. *Pſych. empir.*), ecquis non videt, amicitiam a virtute ſejunctam contradictionem involvere? Vera amicitia felicitatis fons eſt non apparentis, ſed veræ. Etenim qui ſibi mutuo amici ſunt, ſe invicem diligunt (§. 172.), ideoque uterque pro virili id agit, ut alter ſit felix, & cavet, ne fiat infelix (§. 617. *part. 1. Jur. nat.*). Animi igitur ipſorum conjuncti ſunt ad mutuam felicitatem promovendam, conſequenter ut hoc fieri poſſit, cum ſine cuſtodia legis naturalis felicitas acquiri nequeat (§. 398. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nec conſervari (§. 397. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ſed ejus transgreſſione amittatur (§. 401. *part. 1. Phil. pract. univ.*), actiones ſuas, quibus unus alteri prodeſſe ſtudet, normæ legis naturalis attemperant. Hoc igitur pacto veros amicitiæ fructus, quos amor gignit, virtus alit, nec ſine virtute fructus ex omni parte boni ſperari poſſunt. Amicitia ſine virtute comparanda cum arbore mala; aſt ſi virtutē ſuſtentatur, cum bona.

§. 196.

§. 196.

Quando amicitia ſit ſempiterna.

Amicitia cum eo, qui virtutem colit, ſempiterna eſt: cum malis vero, qui vitio dediti ſunt, ſempiterna eſſe nequit. Qui enim virtutem colit, nihil in gratiam ſui ab amico fieri deſiderat, quod legi naturæ adverſatur (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem qui cum eo amicitiam habet, ſalva conſcientia ſtudere poteſt, ut ipſi in omnibus ſuis actionibus placeat, & cavere, ne faciat, quod diſpliceat (§. 598. *part. 2. Phil. pract. univ.*), ideoque non verendum, ne facto quodam ſuo ipſum offendat (§. 936. *part. 1. Jur. nat.* & §. 542. *Pſych. empir.*). Et ſi vel maxime contingat, ut culpa quadam committat, quod alterum offendere poterat, cum tamen hic certus ſit abeſſe animum offendendi, offenſa culpoſa ad iram minime provocatur, nec cupidinem vindictæ animo concipit (§. 193.). Quoniam itaque amor, amicitiæ genitor (§. 171.), conſervatur & continuo alitur (§. 649. *Pſych. empir.*), odium vero, quod amicitiam diſſolvere poterat (§. 626. *part 1. Jur. nat.*), procul arcetur (§. 677. *Pſych. empir.*); amicitia ſemper durat, nec eſt, quod eam diſſolvere poſſit. Quamobrem cum ſempiternum ſit, quod omni tempore conceptibili exiſtit (§. 75. *part. 1. Theol. nat.*), reſpectu vero hominum ſempiternitas reſtringenda ſit ad durationem vitæ, quod per ſe patet; amicitia cum eo, qui virtutem colit, ſempiterna eſt. *Quod erat unum.*

Enimvero ponamus amicitiam coli cum eo, qui vitio deditus eſt, quamvis ſine virture vera amicitia non detur, & vitium quodlibet eidem adverſetur (§. 179.); fieri haud quaquam poterit, quin ſubinde in gratiam ſui ab altero fieri velit, quod legi naturæ repugnat (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo alter hoc facere nolit, cum amicorum

eſſe

eſſe nemo dubitet, ut alter alteri placere ſtudeat in actionibus ſuis (§. 192.), hoc utique ipſi diſplicebit (§. 542. *Pſych. empir.* & §. 156. *part. 2. Eth.*). Quoniam itaque inde odium concitatur (§. 677. *Pſych. empir.*); amicitia diſſolvitur, aut, ſi vel maxime initio ſaltem langveſcat, tandem tamen prorſus interit, conſequenter cum ſempiternum non ſit, quod non ſemper durat §. 75. *part. 1. Theol. nat.*); amicitia cum iis, qui vitio dediti, ſempiterna eſſe nequit. *Quod erat alterum.*

Amor amicitiæ vinculum eſt (§. 171.). Eo langveſcente langveſcit amicitia, eodem extincto diſſolvitur. Quamdiu igitur amicus amico placet, amicitia viget (§. 649. *Pſych. empir.*); quamprimum placere deſinit, evaneſcit. Placent bonis boni, mali malis, non vero virtute præditis qui vitio dediti ſunt, nec omne vitium fert ſocium. Ita ambitioſus non gaudet ambitioſo, nec avarus avaro. Sempiternam igitur amicitiam non facit niſi virtus, malorum vero amicitia vel nulla eſt, vel ſi qua talis apparet, facile extingvitur, immo in inimicitiam convertitur (§. 179.). Quamvis non difficile ſit hæc a priori demonſtrare; ipſa tamen experientia ſingula abunde docet, ut eadem niſi culpa ſua ignoret, qui vel demonſtrationis vim capere nequit, vel non vult. Indies videmus, qui fuerant amici, eos vel indifferenti erga ſe invicem fieri animo, aut prorſus inimicos. Quodſi in rationem inquiſiveris, eam repetendam eſſe a vitio quodam, cui pars altera indulget, reperies. Sola virtus eſt, quæ voluntatem conſtantem & perpetuam facit. Quodſi ergo ex utraque parte conſtans & perpetua eſſe debet, neceſſe eſt ut uterque virtutem amet, vitium oderit. Tunc enim omni animi contentione unus alteri in virtutis ſtudio ſimilis evadere conabitur, & ſic amicus amici moribus fruetur. Virtute cum delectetur uterque, amor mutuus continuo efficitur intenſior, ſicque vinculum amicitiæ arctius. Conjunctionem igitur cum

amico

Digitized by Google

amico nonniſi mors dirimere poteſt. Amici vero mortui dulcis ſemper manet recordatio. Mortuus apud ſuperſtitem triſte ſui deſiderium relinquit, quamdiu hic vivit. Vera igitur amicitia, quæ a virtute ortum trahit, plurimum differt ab ea, quæ vulgo hoc nomine cohoneſtatur. Vulgus confundit quod verum eſt cum eo, quod apparet, nec ullibi magis, qnam in moralibus. Philoſophus amorem verum ab apparente dividit. Quando igitur vulgus & philoſophus dicunt idem, non eſt idem. Verba philoſophi interpretanda ſunt de eo, quod verum eſt: aſt verba vulgi accipiuntur quoque de eo, quod apparet. Sed cum vocabula invenerit vulgus & in populari ſermone iisdem utatur vago ſuo ſignificatu, philoſophus vero, ut intelligatur, iisdem uti teneatur, ipſi aliud relictum non eſt, quam ut ſignificatum vagum reducat ad determinatum atque fixum, eundemque veritati conformem, & ex eo interpretanda mens ipſius, niſi ex ſubſtrata materia intelligatur, quod ſubinde neceſſitas urgeat contra eundem loqui cum vulgo, veluti cum in propoſitione præſente dicimus, cum malis vel vitio deditis amicitiam ſempiternam eſſe non poſſe: revera enim amicitia cum malis nulla eſſe poteſt, etſi qui virtute præditus vere amicum animum erga eos habeat amori univerſali convenientem. Tenenda nimirum hic ſunt, quæ de differentia amicitiæ naturalis, ſeu univerſalis & particularis in ſuperioribus expoſuimus (§. 175.).

§. 197.

Amicitia, quæ ſolius utilitatis cauſa contrahitur, vera non eſt, nec diutius durat, quam utilitas quædam ſperatur. Si enim amicitia ſolius utilitatis cauſa contrahitur, alteri non volumus id, quod bonum eſt, & pro virili præſtamus, non noſtrum, ſed alterius cauſa (§. 173.). Vera igitur amicitia non eſt, quæ ſolius utilitatis cauſa contrahitur. *Quod erat unum.*

De amicitia utilitatis cauſa contracta.

Quodſi quis ſolius utilitatis ſuæ cauſa amicitiam cum altero contrahit, cauſa amicitiæ utilitas eſt, quæ ſperatur. Quodſi ergo ab altero utilitatem nullam amplius ſperare poteſt, cauſa amicitiæ ceſſat. Quamobrem cum nulla ratio ſit, cur amicitiam diutius cum altero colat, ſine qua tamen id fieri nequit (§. 70. *Ontol.*); amicitia non diutius durat, quam utilitas quædam ſperatur. *Quod erat alterum.*

Oſtendimus equidem in ſuperioribus, quod amicitiam particularem contrahere liceat cum iis, qui commoda noſtra promovere valent, & commodum noſtrum ingredi poſſe motivum amicitiæ contrahendæ (§. 187.); non tamen hinc ſequitur, ut amicitia ſolius utilitatis ſuæ cauſa contracta ſit vera. Aliud nimirum eſt fructu amicitiæ moveri ad amicitiam veram contrahendam, aliud vero amicitiam metiri utilitate ſua, quæ ab altero ſperatur, & hanc unice intendere tanquam finem, ut ſis propenſior ad repoſcendum, quam ad merendum. Veram amicitiam cum iis, qui commoda noſtra promovere poteſt, contrahi poſſe, quamvis ad eandem moveat appetitum fructus amicitiæ, ſuperius & oſtendimus, & uberius explicavimus (§. *cit.*): oſtendimus vero etiam qui alios diligit propter ſe, non tam alios diligere, quam ſeipſum (§. 138.), id quod utique amicitiæ veræ adverſum, quæ mutuam dilectionem requirit, qualem lex naturæ præcipit. Qui amicitiam utilitate metitur, amicitiam ſaltem ſimulat, quam ſpectat tanquam medium commoda ſua promovendi. Fine igitur obtento, aut non amplius obtinendo, nulla prorſus ratio eſt, cur amicitiam cum altero colere velit. Inde eſt, quod dives multos numeret amicos, quamdiu lauta convivia facit. Quodſi vero contingat ipſum fortunis ſuis everti, ut eos Cerere ac Bacho hilarare non amplius poſſit, cum accubatione epulari ſtatim ceſſat omnis vitæ conjunctio. Similiter qui ære alieno eget, amicitiam ſimulans convivas ſibi abducit eos, quos ad credendum fidei ſuæ faciles experitur. Aſt ubi

ubi nummis ipſorum non amplius eget, aut ipſi exigunt, quod crediderunt, ab amicitia eorum avertitur. Mortalis itaque amicitia eſt, cujus vinculum utilitas eſt, quam unusquisque ſuo modulo metitur, prouti ſua ipſum trahit voluptas. Equidem utilitas, quemadmodum fere in Jure civili obtinet, ad ſolum lucrum pecuniarium vulgo reſtringitur; nos tamen, quemadmodum in Jure naturæ (§. 262. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ita quoque hic utilitatem in ſignificatu multo latiore accipimus pro eo, quod nobis quomodocunque uſui eſt, retento ſignificatu uſus, quem eidem vindicavimus in Theologia naturali (§. 646. *part. 1.*). Ita voluptuoſo utile eſt, quod ſenſus exhilarare aptum; ambitioſo, quod honori ſervit; ſcientiæ cupido, quod ſcientiam ipſius auget & ita porro. Amplificamus vero ſignificatum, ne, quod unica demonſtratione evinci poteſt, pluribus demonſtrationibus habeat opus, præter neceſſitatem utique non multiplicandis. Uſus itaque propoſitionis præſentis latiſſime patet, quemadmodum exempla modo in medium prolata docent. Simulatæ amicitiæ, quas ſi ſpurias, ſive falſas appellare velis, nobis perinde eſt, frequentiſſimæ ſunt: rara admodum avis amicitia vera, ſi eam præſertim ad vivum reſeces convenienter iis, quæ de ea demonſtravimus. Cum tamen amicitia vera ſit nihil optabilius, falſa autem non uno modo periculoſa; amicitiam veram a falſa ut dividere diſcamus multum intereſt, ne illius fructu privemur, nec huic nimium credamus.

§. 198.

Amicus verus bonum, quod vult alteri, reſpectu ſui conſideret tanquam jucundum, non tanquam utile. Amicus enim verus bonum, quod alteri vult & præſtat, non vult ſui, ſed ipſius cauſa (§. 172.), conſequenter ſeponit omnem reſpectum productionis proprii pronior ad merendum, quam ad reponſcendum. Et quia alterum vere amat, eo, quod ipſi bonum eſt, conſequenter ad ejusdem felicitatem aliquid con- *Quomodo bonum ſpectet amicus, quod vult alteri.*

 fert

fert (§. 558. 638. *Pſych. empir.*), delectatur (§. 633. *Pſych. empir.*) Quamobrem cum bonum jucundum ſit, quod delectationis ſaltem cauſa appetitur (§. 200.), quod tanquam omnibus notum ſumi poterat; quod alteri vult & præſtare ſtudet bonum, cum id appetat, quia eodem delectatur, reſpectu ſui ſaltem conſiderat tanquam bonum jucundum, non vero tanquam utile.

Veri omnino amoris eſt velle, quod eſt bonum alteri, quia eodem delectamur, ita ut non attendatur bonum, quod inde in nos redundare poteſt, ut perinde ſit, ſive nobis bonum quoddam producat, ſive minus, conſequenter ſeponitur omnis reſpectus boni proprii. Quamobrem cum homini naturale ſit, ut ex bono, quod ſibi obtingit, voluptatem percipiat (§. 558. *Pſych. empir.*), ſeu eodem delectetur; quod alteri obtingit bonum, cum id conſideret tanquam objectum delectationis ſuæ, idem pro bono jucundo proprio habet, appetens quod alteri bonum eſt, qualecunque tandem id fuerit, tanquam bonum proprium jucundum. Quoniam hoc modo bonum alterius efficitur bonum noſtrum, id maxime convenit communicationi bonorum & conjunctioni animorum, qua amici una quaſi efficiuntur perſona (§. 182.). Atque hoc modo clariſſime patet, quomodo amicitia, quam mutuus amor gignit (§. 171.), per ſe ſit appetibilis, cum nihil appetatur, niſi quatenus voluptas inde percipitur (§. 156. *part. 2. Eth.*). Qui ex bono alterius voluptatem percipit, quatenus producit bonum quoddam proprium, cum voluptas concitetur conſideratione productionis boni proprii; is non delectatur bono alterius, ſed revera bono proprio, quod ex eo ſperat, conſequenter dici revera nequit, quod alterum amet ac diligat (§. 138.): id quod clariſſime perſpicitur, quod ſepoſita conſideratione productionis boni proprii ceſſet delectatio, & boni in alterum conferendi volitio. Hinc etiam penitius intelligitur, quomodo amicus verus pronior ſit ad merendum,

quam

Digitized by Google

quam ad repoſcendum: neque enim ſolum omnem conſiderationem boni proprii ſeponit, verum etiam ab amico non petit, quod aliunde obtinere poteſt, ne propter ſe eundem diligere videatur in præjudicium amoris ſinceri, quo ipſum proſequitur, volens nimirum, ut amoris ſui erga ipſum certus ſit amicus. Ad præſtanda autem alteri officia ultro ſe offert, quamprimum occaſionem offerri videt. Cui paradoxa videntur, quæ hic dicuntur, is perſuaſiſſimus eſſe poteſt, ſe amorem verum in ſe nondum fuiſſe expertum, vel quod eodem careat, vel ut animum ad eundem non ſatis attendat, quando obſervandi occaſio aderat. Ceterum diviſio boni in jucundum, utile ac honeſtum pervulgata eſt: ne tamen quicquam prætermiſiſſe videamur, quod explicatione indigere videri poterat, ſequentes definitiones addere lubet.

§. 199.

Bonum jucundum dicitur, quod ſaltem delectationem affert; *utile*, quod ad aliud uſui eſt, vel commodum quoddam præſtat; *honeſtum* vero, quod meritum honoris ac laudis confert. *Quodnam bonum ſit jucundum, quod utile, quod honeſtum.*

Ita imago, quam delectationis cauſa nobis comparamus, bonum jucundum eſt, ſimiliter cibus ac potus, quo fruimur non alio fine, quam ut ſaporem gratum percipiamus. Et huc referenda ſunt omnia ſenſum hilarantia. Liber bonum utile eſt, cujus lectione in ſcientia vel eruditione proficere poſſumus. Pecunia bonum utile eſt, cum eadem & res, & operæ, quibus indigemus, comparari poſſint. Et talia ſunt omnia, quæ propter certum uſum comparantur. Virtutes intellectuales & morales bonum honeſtum ſunt, quia meritum honoris ac laudis conferunt. Conſona hæc ſunt iis, quæ de bonitate entis tradit *Goclenius* in Lexico philoſophico, qui *jucunditatem* dicit bonitatem entis, per quam ens voluptatem parit; *utilitatem* vero bonitatem entis, per quam ens ad aliud

utile, ſeu commodum ſibi vel aliis; *Honeſtatem* denique bonitatem moralem, per quam ens aliquod apud alios honorem & laudem meretur ſibi, vel aliis. Notandum vero diverſo reſpectu bonum aliquod & utile, & jucundum eſſe poſſe. Ita cibus, quatenus facit ad conſervationem ſanitatis & vitæ, utile bonum eſt; ſed quatenus ſapore ſuo guſtum hilarat, jucundum. Pecunia, quatenus habetur ſolius delectationis cauſa, bonum jucundum eſt; quatenus vero eadem comparatur ad res alias & operas, quibus indigemus, comparandas, bonum utile. Bona utilia & jucunda abuſui patent, propter quem bona eſſe deſinunt reſpectu abutentis & in mala degenerant: aſt bona honeſta abuſui obnoxia non ſunt, quamvis ad ea ſubinde accedere poſſit vitium, veluti ſi faſtus ad ſcientiam accedit, qui meritum laudis ob ſcientiam non tollit, quamvis faſtus vituperandus. Et ita intelligitur, quo ſenſu dicitur, ſola bona eſſe, quæ honeſta ſunt.

§. 200.

Cur iſtiusmodi bona appetantur.

Quoniam bonum jucundum eſt, quod delectationem ſaltem affert; utile, quod uſui cuidam inſervit, vel quod commodum quoddam præſtat; honeſtum, quod meritum laudis ac honoris præſtat (§. 199.); *bonum jucundum ſolius delectationis cauſa; utile uſus cujusdam aut commodi gratia; honeſtum propter meritum honoris & laudis appetitur.*

Ita voluptuoſus appetit ſenſum hilarantia, propterea quod ſenſum hilarant; quilibet appetit pecuniam, ut ſibi comparare poſſit res & operas, quibus indiget ad vitam conſervandam & commode ac jucunde tranſigendam. Et quamvis honorem & laudem non intendere debemus tanquam finem (§. 562. *part.* 1. *Jur. nat.*), ideoque nec appetere; cum tamen operam dare debeamus, ut ſimus honore ac laude digni (§. 545. 546. *part.* 1. *Jur. nat.*), bona honeſta propter meritum honoris ac laudis appetere licet. Meritum honoris ac laudis a bonis

bonis honeſtis inſeparabile. Quamobrem qui bona honeſta appetit, cum ab iis meritum dividere nequeat, meritum quoque honoris ac laudis ſimul appetit, non tamen propterea honorem ipſum atque laudem, ut, niſi honorem ac laudem conſequi poſſit, nec bona honeſta appetat. Bonum honeſtum in utile convertit, qui id appetit tanquam medium conſequendi honorem ac laudem, cum idem per ſe appetendum; honor vero & laus ſint conſequens hujus boni, minime autem neceſſarium, cum pendeat ab aliorum voluntate, ſique honor verus eſſe debet & laus vera, a ſcientia tribuentis. Plurimum itaque differunt appetere honorem & laudem ac propterea bonum honeſtum, & moveri merito honoris atque laudis ad appetendum bona honeſta. Enimvero qui appetitum ſuum legi naturæ convenienter dirigit, ei verendum non eſt, ne in appetendo bona jucunda, utilia & honeſta a veri tramite deflectat, vel aberret. Ceterum quamvis nihil appetamus, niſi quatenus voluptatem ex eo percipimus (§. 156. *part. 2. Eth.*), & bonum appetitus objectum ſit (§. 904. *Pſych. empir.*); non tamen inde ſequitur, ut omne bonum ſit jucundum, aut ut ſub ratione boni jucundi appetatur. Aliud nimirum eſt moveri ad appetendum, quatenus voluptas ex eo, quod appetitur, percipitur, aliud vero appetere quidpiam non alio fine, quam ut eodem delectemur. Ita ex libro voluptatem percipimus, cujus lectione ſcientiam, vel eruditionem noſtram amplificare poſſumus: non tamen eundem nobis comparamus, ut eodem delectemur, ſed ut ejus lectione in ſcientia, vel eruditione proficiamus. Eundem igitur non appetimus ſub ratione boni jucundi, ſed ſub ratione utilis.

§. 201.

Quænam in amicitia contrahenda obſervanda.

Qui amicitiam contrahere vult, primum operam dare debet, ut ſit virtuti deditus ipſe, deinde amicum eligat, qui virtute præditus ſit. Etenim amicorum animos virtus conjungere debet (§. 195.),

(§. 195.), nec ſempiterna amicitia eſt niſi cum iis, qui virtutem colunt (§. 196.). Quamobrem ſi vera & perfecta eſſe debet amicitia, neceſſe eſt, ut uterque amicorum ſit virtute præditus, ideoque virtutem amet (§. 351. *part. 1. Phil. pract. univ.*), vitium oderit (§. 368. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodſi quis ergo amicitiam contrahere velit, ante omnia operam dare debet, ut ipſe ſit virtuti deditus, deinde autem eligat amicum, qui virtute itidem præditus eſt.

Neceſſitatem virtutis in amicitia ſatis oſtendimus ſupra (§. 195.). Ex ea autem ſequitur, ut in amicitia contrahenda virtutis ratio omnium maxime habeatur. Animorum unio, in qua conſiſtit amicitia, ſine virtute non concipitur. Qui actiones ſuas juxta legem naturæ determinant, eadem volunt & nolunt: qui ab eadem recedunt, cum non idem de eo, quod bonum, vel malum eſt, ſentiant, idem ſemper velle ac nolle nequeunt. Animorum ergo conjunctio eadem facilitate diſſolvitur, qua conglutinata fuerat, nec fieri poteſt, quin ſæpiſſime unus faciat id, quo alter ſe offenſum putat. In vera amicitia nihil eſt niſi verum: omne autem vitium a veritate alienum. Quamprimum vero a veritate receditur, omnia confunduntur. Non eſt quod dicas, poſſe quoque homines, ſi idem vitium amant, in easdem actiones conſentire. Etenim ut taceam, hunc ipſum conſenſum non uno modo parere poſſe diſſenſiones, veluti ſi quis voluptatem nocuam experitur ex facto, quod unus alteri perſuaſit, aut cujus ſocium habuit alterum, idem conſenſus ultra hoc vitium non extenditur. Arctis itaque limitibus circumſcribitur amicitia; quæ nonniſi vitio quodam conglutinatur, nec vera eſt (§. 171.). Vera amicitia non datur niſi bonorum cum bonis. Quodſi objicias hoc pacto veram amicitiam fore rariſſimam; ultro hoc concedo. Notandum vero cum virtus omnimode perfecta humanam conditionem ſuperet; bonos numerandos eſſe, qui habentur, omittendos autem, qui nusquam reperiuntur.

Quam-

Quamvis enim voluntas perfecta non ſit ex omni parte, in iis tamen, in quibus deficit, ſufficit bona ad excuſandum facta nonnulla, ne ad offenſam trahantur. Ratum tamen manet, quo plus proficitur in virtute, eo ſtabiliorem fore amicitiam & fructus uberiores percipi. Vide, quæ ſupra demonſtravimus & uberius explicavimus de virtute ad amicitiam veram requiſita, nec vitium nullum ferente (§. 179.).

§. 202.

Amicus curæ habere debet, ut amicus ſuus in virtute proficiat, nec vitiorum labe inficiatur. Quoniam enim amicus amicum amat (§. 171.), ideoque ex felicitate ipſius voluptatem percipit (§. 633. *Pſych. empir.*); nil magis ſibi curæ habet, quam ut amicus felicitate fruatur, omnisque infelicitas ab eo depellatur. Huc ſane per ipſam naturam humanam tendit amor (§. 292. *part. 2. Eth.*). Quoniam itaque ſine virtute nemo felix eſſe poteſt, nec felicitas a virtute ſejungi (§. 400. *part. 1. Phil. pract. univ.*), vitium autem hominem infelicem reddit (§. 406. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter quo plus quis proficit in virtute & quo ſollicitius ſibi caveat, ne ulla vitiorum labe inficiatur, eo ſtabilior felicitas ipſius eſt; amicus omnino curæ habere debet, ut amicus ſuus in virtute proficiat, nec vitiorum labe inficiatur. *De profectu amici in virtute promovenda.*

Idem quoque oſtenditur hoc modo. Si vera fuerit amicitia, quemadmodum hic ſupponitur (neque enim nobis niſi cum vera amicitia in præſenti negotium eſt); non eſt quod dubites, utrumque amicorum velle, ut ſempiterna ſit amicitia. Quoniam itaque virtus amicitiam conſervat & firmat (§. 195.), ideoque ſine virtute amicitia ſempiterna eſſe nequit; amicus verus omnino curæ habet, ut amicus ſuus in virtute proficiat, vitiorum vero labe minime inficiatur.

Digitized by Google

Quemadmodum vulgo confunditur, eſſe felicem & eſſe fortunatum, quæ tamen duo plurimum a ſe invicem differunt (*not.* §. 409. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ita ut fortunæ bona per ſe neminem reddant felicem (§. 410. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nec qui fortunatus eſt ideo ſit felix (§. 412. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ita quoque vulgo creditur, omnes amicitiæ partes abunde adimpleri, ſi quis curæ habet, ut amicus bonorum fortunæ fiat particeps, nec ea in pejus mutentur. Enimvero cum absque virtute bona fortunæ neminem felicem reddant (§. 416. *part. 1. Phil. pract. univ.*), amicorum vero voluntas in promovenda felicitate & depellenda infelicitate mutua conſpiret (§. 172.); præcipua amicitiæ pars negligitur, niſi amicus curæ habeat, ut amicus ſuus in virtute proficiat, nec vitiorum labe animus ipſius inficiatur. Immo cum ſatis exploratum ſit, ut qui vitio deditus eſt, aut actiones quasdam legi naturæ adverſas committit, fortunæ bonis privetur & in mala fortunæ incidat; ipſa delectatio, ad quam amicum bona fortunæ amici revocant, profectum amici in virtute curæ amici commendat. Nec profecto niſi virtus eſt, quæ impedit, ne fortuna, quam dudum cæcam dicere ſolent omnes, cæcos reddat etiam eos, quos complexa eſt: quod ubi contigerit, ipſa fortunæ bona amicitiam dirimere valent, veluti ſi tu invideas amico honorem, quo ipſe ornari malles, aut ſi is honore florens ſe inſolentius effert. Eadem de divitiis intelliguntur.

§. 203.

De amico monendo & objurgando.

Quoniam *amicus* curæ habet, ut amicus ſuus in virtute proficiat, nec vitiorum labe inficiatur (§. 202.); *ſi videt amicum facere velle, quod legi naturæ parum convenit*, conſequenter a virtute alienum (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *eum monere debet, ne faciat, &, ubi fecerit, objurgare.* Quoniam vero animum habere debet amicum minime offendendi, *monere debet ſine acerbitate, objurgare absque contumelia* (§. 936. 943.

943. *part.* 1. *Jur. nat.*). Et quia *qui ab amico monetur, vel objurgatur*, certus eſſe poteſt, ipſum hoc facere non offendendi animo, *id moleſte ferre non debet* (§. 936. *part.* 1. *Jur. nat.*).

Dudum inculcavit *Cicero* in amicitia habendam eſſe rationem & diligentiam, ut monitio acerbitate, objurgatio contumelia careat, veræ amicitiæ proprium judicans monere & moneri, atque alterum libere facere, non aſpere, alterum patienter accipere, non repugnanter. Exemplum vero hoc eſto, ex quo diſcatur, quod præclara veterum præcepta ex principiis noſtris demonſtrari a priori poſſint, ex ipſis nimirum rerum notionibus. Neque enim inanem operam ſumeret, qui ſalutaria veterum præcepta ex ipſorum ſcriptis excerperet, atque a priori demonſtraret. Ego præcepta iſta comparare ſoleo cum phænomenis phyſicis, quorum notitia obſervationibus communibus debetur. Quemadmodum itaque Phyſici eſt ea revocare ad notiones diſtinctas easque determinatas & eorundem rationes reddere a priori; ita idem incumbit labor Philoſopho circa præcepta moralia, quæ diuturna obſervatione comperta. Cumque ſenſu multo ampliore & auguſtiori verum ſit, quam *Carteſius* ſtatuit, animam nobis notiorem eſſe quam corpus; circa præcepta moralia facilius elaborat Philoſophus, quam circa phænomena phyſica, & ſucceſſus certior in moralibus, quam in phyſicis, modo in Pſychologia fuerit ſatis verſatus & artis demonſtrandi peritus. Congeſſere veteres materiam, nobis relictum eſt ut opus extruamus. Hoc pacto plurimum locupletari poterit ſcientia moralis & vere practica evadet, ipſique Philoſophi pragmatici erunt atque vel ipſe pudor eruditos ceteros ab inconditis moribus, de quibus hodienum tot effunduntur querelæ, & noſtræ dies nefanda exempla habent, ad imitamentum adduceret. Neque inepti ac friuoli ſimulatores ſibi adeo facile perſuaderent, ſe aliis imponere poſſe verbis facto contrariis.

Digitized by Google

§. 204.

Quinam ad veram amicitiam ſint inepti.

Quoniam monere & moneri amicitiæ veræ proprium eſt (§. 203.); *& qui ad aſſentandum atque adulandum eruditi ſunt, & qui moneri moleſte ferunt, ad amicitiam inepti ſunt.*

Vera amicitia veritatem requirit, ad quam nihil loquuntur aſſentatores & adulatores, & cui aures claudunt, qui ab amico moneri nolunt. Ita vero amicitia privatur fructu præcipuo, profectu nimirum in virtute & correctione vitiorum (§. 202.). Quoniam virtus hominem reddit felicem (§. 400. *part. 1. Phil. pract. univ.*), cum vitio infelicitas fugatur (§. 403. *part. 1. Phil. pract. univ.*), amicorum autem voluntas in promovenda felicitate & depellenda infelicitate conſpirat (§. 172.); nihil in amicitia dulcius cenſendum, quam monere & moneri. Qui enim monet, voluptatem percipit ex felicitate amici, quam maxime curæ habet: qui monetur, voluptatem capit ex correctione, quatenus ea adverſus infelicitatem præſidium eſt. Atque ita demum amicus amico dulcis eſt, non videtur, & alter de altero bene meretur. Abſurdos merito dixit *Cicero* in *Lælio*, qui moneri moleſte ferunt, quod eam moleſtiam non capiunt, quam debent capere; eam capiunt, qua vacare debent. Delicto enim dolere, correctione gaudere oportebat. Tenendum idem de errore, cujus amicus amicum admonet: ſit ita, quod plerisque moleſtum accidat erroris argui. Liberari ab errore utique beneficium eſt, & liberare legi naturæ conveniens eſt (§. 709. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 205.

Aſſentatio quid ſit.

Aſſentari dicitur, qui omnia alterius dicta & facta captandæ utilitatis gratia approbat. Facile itaque patet, *aſſentatorem nullam habere rationem veritatis, ſed ſalſum loqui ad voluptatem alterius.* Quoniam itaque verbis ſuis non aliud intendit,

tendit, quam ut alteri placeat (§. 542. *Pſych. empir.*), conſequenter amorem alterius ſibi conciliet (§. 647. *Pſych. empir.*), commodi ſui cauſa (*per hypoth.*); *aſſentator utitur aſſentatione tanquam medio commodis ſuis apto.*

Aſſentatio & adulatio vago quodam ſignificatu promiſcue uſurpantur. Neque idiomate patrio duo hæc vitia diſtingvuntur, uno enim eodemque nomine Schmeicheley indigitantur. Quoniam tamen differunt, immeritis aliquem contra conſcientiam ornare laudibus ac honoribus & alterius dicta & facta approbare, quamvis utrumque fiat ad captandam benevolentiam commodi proprii cauſa; placuit prius adulationem (§. 892. *part. 1. Jur. nat.*), poſterius aſſentationem vocare: fit ita quod aſſentatio haud raro accedat ad adulationem, ut ideo tanto facilius contingat, ne differentia animadvertatur.

§. 206.

Blanditiæ vocantur ſigna amoris, quæ animo placendi vultu, geſtu & verbis atque actionibus ad voluptatem alterius unice compoſitis eduntur. Cum amor vel ſit ſincerus, vel ſimulatus; *blanditiæ* quoque *nunc ſumuntur in bono ſignificatu, ſi nihil in iis eſt ſimulatum, nunc in malo, ſi in iis nihil verum, ſed omne ſimulatum.* Quamobrem cum aſſentator ſaltem loquatur ad voluptatem alterius, non ad veritatem (§. 205.), & adulator ſciens immeritis laudibus ac honoribus alterum cumulet (§. 892. *part. 1. Jur. nat.*); *ad aſſentationem & adulationem etiam accedere poſſunt blanditiæ.* Et quoniam *in malo ſignificatu ſumtæ blanditiæ* amoris ſaltem ſimulatio ſunt, fiuntque animo alteri placendi, conſequenter amorem ipſius ſibi conciliandi (§. 647. *Pſych. empir.*); *captandæ* utique *utilitatis cauſa fiunt.* *De blanditiis.*

Blanditiæ proprie canum ſunt, ab iis vero etiam ad homines transferuntur. Senſus potiſſimum afficiunt, nec in iis

 attendi-

res & adulatores, quam aſſentationes atque adulationes ament. Omnium maxime in his eminent Pſeudophiloſophi, qui ſtatum jucundum cum felicitate confundunt & materialiſtarum ſectæ nomen dederunt. Quoniam enim felicitatem hominis ex perceptionibus jucundis æſtimant, quæcunque demum ſit ipſarum cauſa, & hominem in machinam convertentes ſe in ſempiternum nihiſum poſt mortem redigi arbitrantur; ipſis perinde eſt, ſive vera laus, ſive falſa tribuatur, nec verum honorem a ſimulato dividunt, modo laudibus immenſis & honoribus immeritis cumulentur, quamdiu vivunt, parum curantes ea, quæ poſt fata ſua eventura ſunt, quippe a ſe non percipienda. Eam ob cauſam aures, quas tanta facilitate patefaciunt aſſentatoribus, veritati claudunt, quam ſi prætenſis laudibus adverſam vident injuriam interpretantur, &, ſi ſuperos flectere nequeunt, acheronta movent, ut de veritate ſilentium agatur, quamdiu in vivis ſunt, ne perceptiones jucundæ interrumpantur, quas adulatores & aſſentatores excitant. Volunt videri, qui non ſunt. Abunde igitur ipſis ſufficit, ſi ſimuletur, eos videri, qui videri volunt. Abominantur eos, qui ſimulare neſciunt ab omni adulatione atque aſſentatione alieni. Quodſi hæc probe perpendantur, ſatis ſuperque manifeſtum eſt, ambitioſos & faſtoſos non tam adulatores & aſſentatores, quam ſeipſos diligere, dum adulationibus & aſſentationibus delectantur. Intelligitur hinc etiam, quanta ſollicitudo teneat neceſſe ſit animos aſſentatorum & adulatorum, ne quid committant, quod honori ac laudi ſuæ adverſum opinatur ambitioſus & faſtoſus, ut propterea ſervilis exiſtimetur ipſorum conditio.

§. 208.

Quantum amicitiæ noceant adulationes & *Adulationes & aſſentationes una cum blanditiis obſtant, quo minus vera amicitia contrahi & coli poſſit, nec amicitiam apparentem conſtantem ac perpetuam eſſe ſinunt.* Etenim ad aſſentationem & adulationem eruditi ad veram amicitiam inepti ſunt (§. 204).

Quo-

Quoniam itaque cum adulatoribus & aſſentatoribus vera amicitia contrahi nequit, nec coli poteſt; utraque omnino obſtat, quo minus vera amicitia contrahi & coli poſſit. *Quod erat primum & ſecundum.* *aſſentationes una cum blanditiis.*

Utrumque oſtenditur etiam hoc modo. Adulator alterum immeritis laudibus ac honoribus cumulat, quos eum non mereri probe novit (§. 892. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum debeat eſſe aliquod adulationis motivum (§. 889. *Pſych. empir.*), hoc vero conſiſtere nequeat, niſi in repræſentatione boni (§. 890. *Pſych. empir.*), adulator immeritis laudibus ac honoribus aliud intendere nequit, quam bonum quoddam proprium. Enimvero amicitia vera non eſt, quæ ſolius utilitatis cauſa contrahitur (§. 197.). Obſtant igitur adulationes, quo minus vera amicitia contrahi poſſit, cumque amicus verus alteri velit quod bonum eſt non ſui, ſed alterius cauſa (§. 172.), eædem obſtant, quo minus vera amicitia coli poſſit. *Quod erat primum.*

Similiter aſſentator utitur aſſentatione tanquam medio commodis ſuis apto (§. 205.). Et, ſi ad eam accedant blanditiæ, vel etiam ad adulationem, eædem tamen non fiunt niſi captandæ utilitatis cauſa (§. 206.). Patet igitur ut ante aſſentationes cum blanditiis obſtare, quo minus vera amicitia contrahi & coli poſſit. *Quod erat ſecundum.*

Quoniam tam in adulatione, quam in aſſentatione atque blanditiis accedentibus nihil fit ad veritatem, ſed omnia ſaltem fiunt ad voluptatem ejus, quem adulamur, aut cui aſſentamur & blandimus (§. 892. *part. 1. Jur. nat.* & §. 205. 206. *h.*), nec adulatione, aſſentatione atque blanditiis aliud intenditur, quam utilitas propria, qualiſcunque tandem ea fuerit, *per demonſtrata;* multis modis contingere

poteſt, vel ut adulator & aſſentator ac blandiens aliquid committat, quod ad voluptatem alterius non eſt, aut prorſus moleſtum ipſi accidit, conſequenter quo ſe offenſum putat (§. 936. *part. 1. Jur. nat.*), vel ut alter ab adulatore & aſſentatore ac blandiente exigat, quod utilitati ipſius repugnat, aut faciat, quod utilitati ſperatæ contrarium, ut taceam verba & facta, quibus adulator & aſſentator ſe offendi putat. In caſu igitur priori mutatur animus ejus, qui aſſentationibus, adulationibus & blanditiis delectatur, erga adulatorem & aſſentatorem ac blandientem; in poſteriori autem animus adulatoris, aſſentatoris & blandientis erga alterum, ad cujus voluptatem adulationes, aſſentationes & blanditiæ erant compoſitæ. Quamobrem fieri haud quaquam poteſt, ut amicitia, quæ apparebat, & in qua nihil erat ad veritatem, ſit conſtans atque perpetua. *Quod erat tertium.*

Tertium quoque oſtenditur hoc modo. Adulatores & aſſentatores ac blandientes non intendunt niſi propriam quandam utilitatem, *per demonſtrata.* Enimvero amicitia utilitatis ſaltem cauſa contracta non diutius durat, quam utilitas ſperata (§. 197.). Quamobrem adulationes, aſſentationes & blanditiæ accedentes amicitiam, quæ apparet, non ſinunt eſſe conſtantem & perpetuam. Accedit, quod, cum adulationes & aſſentationes cum accedentibus blanditiis vitia ſint, qui vitia aliena amat, & ipſe vitiis deditus eſſe debeat: id quod vel inde patet, quod ambitioſi & faſtoſi adulationes & aſſentationes ament (§. 207.). Enimvero amicitia ſempiterna eſſe nequit cum iis, qui vitiis dediti ſunt (§. 196.). Quamobrem aſſentationes, adulationes & blanditiæ ex parte quoque ejus, qui iisdem delectatur, amicitiam apparentem non ſinunt eſſe conſtantem ac perpetuam.

Cum

Digitized by Google

Cum vera amicitia nec contrahi, nec coli, nec conſervari poſſit, ſi adulationibus, aſſentationibus & blanditiis concedatur locus, ac propterea, quia amicitia, quæ apparet, vera non eſt, ea quoque careat fructibus veræ amicitiæ, qui eam faciunt maxime delectabilem atque per ſe appetibilem (§. 191. 194.); *Cicero* adulationes, aſſentationes & blanditias merito dixit peſtem amicitiæ. Et profecto nihil magis amicitiæ nocet quam adulatio & aſſentatio cum blanditiis accedentibus. Me autem vel tacente patet, blanditias ſemper ſumi in malo ſignificatu, quando ad adulationem & aſſentationem accedunt. Occurrunt indies exempla, quibus propoſitio præſens confirmatur, modo animum ad ea attendere velimus. Adulatores & aſſentatores peſſimis hominibus accenſentur. Nocent enim humano generi multis multis modis, & utilitati, quam haud raro ſaltem ſomniant, ſuæ plurimorum felicitatem poſtponunt, eosque, quos adulantur & quibus aſſentantur ac blandiuntur, erroris atque vitii pertinaces faciunt: quod quamvis in ſe ſatis turpe ſit, utpote e diametro legi naturæ adverſum (§. 709. 713. *part.* 1. *Jur. nat.*), ad infamiam tamen utique referendum, ſi error & vitium cedat in multorum nocumentum. Utilitatis ſuæ cauſa, ſi præſertim ea ſaltem apparens eſt, nocere aliis & veritati atque boni progreſſui obicem ponere, ecquis laudi duxerit?

§. 209.

Omnis adulatio & aſſentatio ſimulatio eſt. Adulator immeritis laudibus ac honoribus alios cumulat (§. 892. *part.* 1. *Jur. nat.*). Aut igitur aliorum merita æſtimare novit, aut non novit. In priori caſu non ignorat, ſe laudes aliorum ſinimium extollere eosque ultra meritum honorare. In poſteriori ſe ignorare ſibi conſcius eſt, utrum alteri laudes ac honores, quibus ipſum cumulat, debeantur, nec ne. Quoniam tamen videri vult, ſe merita ejusdem agnoſcere, cum *Omnem adulationem & aſſentationem eſſe ſimulationem.*

 abſo-

abſonum foret confiteri, ſe ignorare, utrum laudes & honores, quos alteri affert, is mereatur, nec ne; ſaltem habet animum ultra meritum alterum laudandi & honorandi, utpote unice loquens & agens ad voluptatem ipſius (*not. §. cit.*). In utroque igitur caſu actiones externæ ab internis differunt. Quamobrem cum ſimulatio in diſſenſu actionum externarum ab internis conſiſtat (§. 716. *part. 2. Phil. pract. univ.*); omnis adulatio ſimulatio eſt. *Quod erat unum.*

Aſſentator nihil loquitur ad veritatem, ſed ſaltem ad voluptatem ejus, cui aſſentatur (§. 205.), conſequenter quamvis quod approbat approbationem mereatur, non tamen ideo approbat, quia verum & rectum eſt, ſed quod putat, placere alteri approbationem, ideoque de eo parum ſollicitus ipſique perinde eſt, ſive norit, qualia revera ſint dicta & facta alterius, ſive ignoret: abunde nimirum ad approbandum ſufficit, ut alter hoc dixerit, vel fecerit. Aſſentatoris itaque actiones externæ ab internis differunt. Quare cum ſimulatio in diſſenſu actionum externarum ab internis conſiſtat (§. 716. *part. 2. Phil. pract. univ.*); omnis aſſentatio ſimulatio eſt. *Quod erat alterum.*

Ad adulationem & aſſentationem utique requiritur animus adulandi & aſſentandi, nimirum ut captandæ utilitatis cauſa alteri placere ſtudeas. Hic ſi abfuerit, non ad adulationem & aſſentationem adſcribendum, ſi vel maxime bona fide in laudando excedas, vel etiam approbes, quod approbari minime poterat, quamvis nec laudatio, nec approbatio ſemper culpa vacet, quæ & ipſa vitanda, niſi a rigore legis naturalis recedere velis (§. 299. *part. 1. Jur. nat.*). Poëtæ canunt ut placeant. Placere autem ſtudent non modo iis, quorum laudes canunt, verum etiam ſibimetipſis, quatenus bene canere ſibi videntur. Laudes igitur non metiuntur verita-

te,

te, ſed verbis ad laudes illuſtrandas & exaggerandas aptis, ut & ipſi laudem ingenii mereantur. Quamobrem cum ipſo facto confiteantur, ſe verum dicere nolle; ſimulatio omnis abeſſe videtur, nec luſus ingenii ad adulationem, vel aſſentationem adſcribendus, ut ideo magis reprehendenda ſit temeritas eorum, qui laudibus ipſorum delectantur, quaſi eſſent qui dicuntur, quam illorum blanda & arguta ſedulitas. Attamen fieri quoque poteſt, ut accedat adulatio & aſſentatio, quatenus perſpicientes ambitionem, arrogantiam & faſtum ejus, cujus laudes canunt, utilitatem quandam captare ſtudent, ſive veram, ſive apparentem: plurimum enim valet in hac æſtimanda cujusvis opinio. Ex adverſo autem fieri quoque poteſt, ut Poëta ſit veritatis ſtudioſus, nec carmina quicquam cum adulatione & aſſentatione habeant commune, neque ſcribantur niſi in merentem. Multa ergo cautione opus eſt, ne nimis credulus dictis Poëtarum fidem habeas, nec eos temere adulatoribus & aſſentatoribus accenſeas. Judicium probabilitati conformandum, perpendendo inprimis quinam laudent & quinam laudentur. Quæ de Poëtis diximus, ea de Oratoribus quoque & encomiaſtis intelliguntur.

§. 210.

Quoniam omnis adulatio & aſſentatio ſimulatio eſt (§. 209.), conſequenter verum a ſimulato dividere neſcit, qui adulatione & aſſentatione capitur, vel etiam delectatur, quamvis eandem agnoſcat, *imbecillis judicii & impotentis animi eſt adulationibus & aſſentationibus delectari.* *Quales ſint qui adulationibus & aſſentationibus delectantur.*

Imbecillitatem judicii utique arguit delectatio, quæ capitur ex adulationibus & aſſentationibus: qui enim hisce delectatur, nec ſe, nec alios noſcere didicit. Et ſi vel maxime acre ſit judicium de rebus aliis, firmum tamen non eſt, nec extra periculum poſitum, quando de ſe & factis ſuis & de dictis atque factis aliorum circumſpectum interponendum. Oſtendimus paulo ante, homines ambitioſos & faſtoſos adulatio-

 nes

Digitized by Google

nes & aſſentationes amare (§. 207.). Quamvis itaque ſumas, eos dividendo vero a ſimulato non eſſe impares; laudis tamen & honoris cupido mentem obnubilat, ne verum cernere poſſit, immo attentionem a veritate avertit, ut de ea nulla animum ſubeat cogitatio. Plerumque tamen magnam partem ſibi vindicat defectus ſcientiæ rerum moralium ſatis exaſciatæ. Ecquis enim eſt qui neſciat, quam confuſæ, nec ſatis determinatæ ſint vulgi de iisdem notiones, & quam pauci ſint, qui in moralibus ſupra vulgus indoctum ſapiunt? Impotentis animi ſunt, qui fræna cupiditatibus & ceteris affectibus, quibus impellitur animus, laxant, nec moderari didicerunt. Voluptate, quam ex immodicis laudibus & honoribus & dictorum factorumque ſuorum cœca approbatione capiunt, ad fidem ducuntur, ut verum eſſe putent, quod ſimulatum eſt, immo ſibi perſuadeant, quæ male a ſe facta ſunt, aut minus recte, bene ac recte facta eſſe, &, dum in magnis tenebris erroris ac inſcientiæ verſantur mentem ſuam clariſſimo lumine colluſtratam opinentur, ſibique tandem eſſe videantur, qui ab adulatoribus & aſſentatoribus dicuntur. Parum itaque ambitioſi & faſtoſi ſibi conſulunt, qui cupidinem ſuam exſatiaturi adulationes & aſſentationes vel emendicant, vel, ſi ipſorum fert conditio, metu extorquent.

§. 211.

Quomodo caveatur, ne adulatores & aſſentatores nobis imponant.

Quoniam omnis adulatio & aſſentatio ſimulatio eſt (§ 209.); *ſi quis ab adulatoribus & aſſentatoribus ſibi imponi noluerit, ad ſimulationes detegendas erudiendus* (§. 856. & *ſeqq. part.* 2. *Phil. pract. univ.*).

Ex iis, quæ de ſimulatione detegenda demonſtravimus (§. 856. & ſeqq. *part. 2. Phil. pract. univ.*), ſatis ſuperque apparet, artem detegendi ſimulationem & aſſentationem arduam & difficilem eſſe. Nos ſaltem in Philoſophia practica univerſali præcepta generalia tradidimus: quæ etſi fœcunda ſint & ſpecialia in ſinu ſuo foveant, non tamen cujusvis eſt

hæc

hæc ex illis deducere. Et ſi vel maxime præcepta cognita ſupponantur, ipſa tamen praxis ſupponit multum uſum (§. 436. *Pſych. empir.*). Qui præcepta generalia ſaltem perpendit atque ea, quæ de virtutibus intellectualibus tradidimus in parte prima Ethicæ; is abunde perſpiciet, quantum præſupponat ipſe uſus. Accedit, quod naturaliter gloriæ dulcedine demulceatur animus, qua mens ducitur in aſſenſum, ut adulatoribus & aſſentatoribus facile fides habeatur, cumque ambitioſi & faſtoſi potiſſimum adulationibus & aſſentationibus capiantur (§. 207.), vitia hæc mentem obnubilant, ut de adulatione & aſſentatione nulla eandem ſubeat cogitatio. Hisce impedimentis removendis parem eſſe non adeo facile eſt. Adulatio & aſſentatio vitia nocentiſſima ſunt. Nocet adulator & aſſentator non modo iis, quos adulatur & quibus aſſentatur, & per hos aliis, verum etiam ſibi ipſi multorumque malorum cauſa exiſtit, quæ pro diverſitate circumſtantiarum multipliciter variant. Ita homo eruditus adulatoris & aſſentatoris perſonam induens dedecus & infamiam ſibi conſequitur, ambitionem & faſtum eorum, quos adulatur & quibus aſſentatur, alit injurius in illos, quibus ambitio iſta & faſtus intolerabile jugum imponit, & credulitati aliorum inſidias ſtruit, ut a veritate ad inſulſas opiniones, a doctrina ſolida ad ſuperficiariam, immo a virtute ad vitia animum avocent. Plurimum itaque refert, ut tempeſtive ad aſſentationes & adulationes detegendas adducantur homines. Quamobrem maxime dolendum, ut de arte iſta addiſcenda parum ſolliciti ſimus, quam tamen literis ſine interprete & ſine multa exercitatione percipi non poſſe certum eſt. Equidem adulationes & aſſentationes ſæpiſſime adeo apertæ ſunt, ut vel vulgus imperitum eas agnoſcat, non tamen hoc ſemper obtinet, cum adulatores & aſſentatores alias non tam multis imponerent, quemadmodum indies videmus. Cumque ars detegendi aſſentationes & adulationes ſit pars quædam artis detegendi ſimulationes; neceſſitatem & utilitatem hujus artis multo mi-

nas quis in dubium vocare auſit, modo experientia doctus fuerit, quantum interſit, ne ſimulationi credamus.

§. 212.

Quænam ad adulationes & aſſentationes detegendas in ſpecie conducant.

Ad adulationes & aſſentationes detegendas conducit noſcentia ſui & eorum, qui honorem ac laudem nobis tribuunt & dicta factaque noſtra approbant & inquiſitio in utilitatem, quam a nobis capiunt, vel ſperant. Etenim qui ſeipſum noſcit, quantum in bono profecerit, quantum adhuc deficiat novit (§. 22. *part.* 4. *Eth.*), conſequenter de ſe & factis ſuis dictisque verum judicium ferre valet. Quamobrem cum facta ex virtutibus intellectualibus & moralibus profecta honore atque laude nos dignos reddant (§. 552. *part.* 1. *Jur. nat.*); honores quoque ac laudes meritas ab immeritis dividere poteſt. Quodſi quis ergo ipſi honorem ac laudem tribuit, aut dicta factaque ipſius approbat; haud ignorare poteſt, num meritis honoribus atque laudibus afficiatur, & num dicta & facta ſua eam mereantur approbationem, quam movent. Quodſi noſcat etiam eos, qui honorem ac laudem tribuunt & dicta factaque approbant; ex moribus ipſorum ſi non ſemper certo, ſaltem probabiliter colligitur, quo animo honor ac laus tribuatur, dictaque & facta approbentur, utrum loquantur & agant ad veritatem, an ſaltem ad voluptatem, conſequenter num adulentur (*not.* §. 892. *part.* 1. *Jur. nat.*) & aſſententur (§. 205.). Et quodſi porro inquiratur in utilitatem, quæ a nobis capitur, vel ſperatur; cum qui ſe noſcit intelligat, num contra veritatem honor & laus tribuatur, vel dicta factaque ſua approbentur, aut ſaltem in honorando, laudando & approbando nimietas ſit; haud obſcure colligitur, honorem ac laudem tribui, dicta & facta approbari captandæ utilitatis cauſa. Quamobrem cum qui captandæ utilitatis cauſa dicta

dicta & facta alterius approbat aſſentator (§. 205.), qui honoribus & laudibus immeritis alterum cumulat adulator ſit (§. 892. *part. 1. Jur nat.*); ad adulationes & aſſentationes detegendas conducit noſcentia ſui & eorum, qui honorem ac laudem tribuunt dictaque & facta noſtra approbant, & inquiſitio in utilitatem, quam capiunt, vel ſperant.

Noſcentia ſui difficilis eſt (§. 36. *part. 4. Eth.*), multoque magis noſcentia aliorum, cum quæ de nobis intuitive cognoſcuntur ex aliorum dictis & factis demum colligenda. Quamobrem adulationes quoque & aſſentationes infallibiliter detegere non difficultate caret. Subinde tamen ſeipſas veluti produnt, ut facile agnoſcantur, nimietate & utilitate ſua ſponte in oculos incurrente. Utilitas ad adulandum & aſſentandum impellit: nimietatem parit ſtudium placendi. Adulatores nimirum & aſſentatores ſibi perſuadent, ſe eo magis placere, quo magis aliorum laudes extollunt, quo majores honores afferunt, quo magis dicta & facta aliorum approbant. Putant enim hoc eſſe medium conſequendi utilitatem, cujus cauſa aſſentantur & adulantur. Nemo ſane eſt, qui neſciat, ex nimietate laudum & approbationis vulgo colligi aſſentationem & adulationem. Sed ne judicium de nimietate fallat, cautione haud raro opus eſt. Neque enim ſemper ad adulationem & aſſentationem referendum, ſi quis reſpiciens ad id, quod in objecto laudis, vel approbationis bonum eſt, intentione bona laudem & approbationem componit ad veritatem, quantum datur, quamvis iis, qui bonum a malo, aut verum a falſo non dividunt, & ad hoc potiſſimum animum advertunt, quando de laude & approbatione ferendum judicium, nimium videtur, quod veritas intentione bona ad bonum promovendum tendente habita ratione circumſtantiarum particularium in caſu dato ſemper attendendarum excuſat. Ceterum non eſt, quod dubitemus, ſi quando contigerit, ut ad adulationes & aſſentationes, immo in genere ad ſimulationes detegendas accurate & diligenter erudiantur homines,

mines, fore ut ars ſimulandi & per conſequens ars adulandi & aſſentandi etiam promoveatur, ſicque calliditate prudentiam perverſe imitata, quæ aperta videntur, magis tegantur.

§. 213.

Qualis ſit animus adulatorum & aſſentatorum.

Adulatores & aſſentatores ſervilem habent animum, minime ingenuum. Adulatores enim ſcientes ac volentes immeritis honoribus ac laudibus cumulant eos, quibus placere volunt (§. 892. *part. 1. Jur. nat.*), captandæ utilitatis cujusdam cauſa (§. 892. *Pſych. empir.*). Laudant igitur alterum, quemadmodum laudari vult, & eos exhibent honores, quos expetit, facientes ideo, quod vult alter, ipſi autem minime facerent, niſi utilitas quædam aut ſpes quædam ejus, quamvis parum certa, eosdem ad faciendum impelleret. Voluntatem ideo propriam abdicantes a voluntate aliorum pendent, quam ſuam faciunt. Quoniam itaque ſervorum eſt actiones ſuas componere ad voluntatem non ſuam, ſed domini (§. 1116. *part. 7. Jur. nat.*); adulatores ſervilem habent animum. *Quod erat primum.*

Similiter aſſentatores omnia ad voluptatem ſaltem alterius loquuntur, nihil ad veritatem, utilitatis captandæ gratia dicta & facta alterius approbantes (§. 205.). Quoniam itaque in approbandis dictis & factis alterius a voluntate ipſius dependent; patet ut ante aſſentatores ſervilem habere animum. *Quod erat ſecundum.*

Adulatores & aſſentatores ſervilem habent animum, *per demonſtrata n. 1. & 2.* conſequenter cum ſervi liberi non ſint, ſed libertatem ſuam in dominum transferant (§. 1117. *part. 7. Jur. nat.*), adulatores & aſſentatores liberi quoque eſſe nolunt, ſed libertatem ſuam in eum transferunt, quem adulantur

lantur & cui aſſentantur. Quoniam itaque ingenuus non eſt, qui libertatem, quam a nativitate habet, in alium transfert (§. 161. *part. 1. Jur. nat.*); adulatores & aſſentatores ingenuum animum minime habent. *Quod erat tertium.*

Non alio fine propoſitioni præſenti hic locum concedimus, quam ut pateat turpitudo naturalis adulationis & aſſentationis, quæ vulgo parum attenditur, ita ut videas homines gloriæ inhiantes vitiis hisce famam ſuam polluere, dum fallaci utilitatis cujusdam ſpe ſibi blandiuntur. Tetigimus eam jam ſupra quaſi obiter (*not.* §. 207.): aſt conſultum erat, ut veritas ejus magis conſpicua efficeretur. Equidem non omnes adulatores & aſſentatores idem ſentiunt, ſed quemadmodum aliorum animus in delectationes ſenſuales, aliorum in lucrum, aliorum in gloriam magis propendet, diverſas fovent de eo, quod ex adulatione & aſſentatione ſperant, opiniones; ideoque non omnes æque efficaciter movet ſervile, quod ſubeunt, jugum; attamen propterea remedium hoc contra vitia iſta nocentiſſima non erat inſuper habendum, inprimis cum lex naturæ, quæ famæ curam urget (§. 557. *part. 1. Jur. nat.*), id ipſum nobis commendet. Eruditi libertatem ſentiendi maximi faciunt, nec injuſtas movent querelas, ſi ea præciditur. Nonne igitur ſibimet ipſis contrarii ſunt, quando adulando & aſſentando contra animi ſui ſenſa loqui & facere coguntur, quod vult alius, ſponte ſeſe ſubjicientes imperio alterius, ut eundem experiantur ſibi faventem. Amor veritatis eruditorum proprium quoddam ornamentum eſt. Nonne igitur turpe exiſtimandum, ſi quis captandæ cujusdam utilitatis gratia ſeſe eodem privat. Tanto vero turpius eſt, ſi adulatione & aſſentatione nocetur ipſi veritati, veluti quando faſtus eorum tumidus alitur, qui doctrinæ ſolidæ interitum minantur & inveterata commenta opinionum, quæ dudum delevit dies, quaſi ab orco revocant, & ſub ſplendido novorum inventorum titulo nugas ſuas aliis obtrudunt.

Digitized by Google

§. 214.

Quod aſſentatio & adulatio maxime dedeceat hominem.

Quoniam adulatores & aſſentatores ſervilem habent animum (§. 213.), natura vero homines omnes liberi ſunt (§. 146. *part* 1. *Jur. nat.*), ut ideo ſervitus contra naturam introducta dicatur (*not.* §. *cit.*); *hominem nihil magis dedecet, quam adulatio & aſſentatio* (§. 195. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Natura aſſenſum noſtrum prorſus independentem fecit ab hominibus aliis, ita ut nec crudeliſſimus tyrannus eundem omnibus ſuis tormentis extorquere poſſit. Fecit eadem voluntatem a judicio mentis dependentem, ita ut voluntas nullo modo cogi poſſit. Naturæ igitur bellum indicit aſſentator & adulator, qui judicium alterius facit ſuum & voluntatem alterius ſurrogat in locum ſuæ, quaſi abdicaturus rationem & libertatem voluntatis, quæ ab illa dependet. Nonne hoc eſt naturam humanam exuere velle ac contemnere id, quo nihil melius homini a natura datum eſt? Adeo degenerare condonandum forte erat hominibus imperitis: aſt ſi eruditi vana præſertim ſpe deluſi, aut lucello quodam occœcati mores tam perverſos induant, nullam prorſus excuſationem habent. Augent turpitudinem circumſtantiæ particulares, quemadmodum jam ante innuimus (*not.* §. 213.).

§. 215.

Quænam veram amicitiam maxime conſpicuam faciant.

Vera amicitia maxime conſpicitur in rebus adverſis. Cum enim verus amicus amicum vere amet (§. 625. *part.* 1. *Jur. nat.*); amor ipſum impellit ad depellendam infelicitatem amici (§. 292. *part.* 2. *Eth.*). Quodſi ergo contingat malum quoddam eidem imminere, aut ſi is actu in idem incidat; conſilio & ope pro virili ipſum juvat, ut quod imminet evitetur, aut id, quo afficitur, vel tollatur, vel ſaltem leniatur. Et quoniam amicus verus, quod alteri bonum eſt, vult ac pro virili præſtare ſtudet, non ſui, ſed alterius cauſa (§. 172.);

Digitized by Google

172.); animus ipſius erga alterum non mutatur, ſi is fortuna adverſa vel maxime in eum redactus fuerit ſtatum, ut nihil ab eo ſperare poſſit, conſequenter quicquid facit, nonniſi ſignificandi amoris cauſa facit & ut omnes amici veri partes adimpleat. Quamobrem cum vix abeſſe poſſit omnis boni proprii ſuſpicio, quamdiu alter rebus proſperis utitur, cui tamen locus nullus relinquitur, quando ſecundæ in adverſas mutantur; vera amicitia maxime conſpicitur in rebus adverſis.

Amicum maxime probant res adverſæ. Hinc enatum eſt pervulgatum iſtud: Amicus certus in re incerta cernitur. Vera amicitia omnem boni proprii reſpectum ſeponit (*not.* §. 198.): rectius igitur non agnoſcitur, quam ubi res præſentes omnem boni proprii reſpectum ſecludunt. Equidem non nego, dari quoque caſus lætos, in quibus amicitia ab omni propriæ utilitatis reſpectu libera agnoſcitur; majore tamen attentione opus eſt, ut agnoſcatur omnisque metus abſit, ne forſan lateat quædam utilitas, quæ non ſatis apparet, propterea quod vix quicquam difficilius videtur divinatione opinionum, quibus de incerta utilitate ſibi blandiuntur. Mortalis amicitia eſt, cujus vinculum utilitas (*not.* §. 197.). Quamobrem fucata amicitia ſeipſam ſtatim prodit, ſi res adverſæ amici eidem finem faciunt, inprimis ſi manifeſtum ſit, ceſſare cum rebus ſecundis amici utilitatem quandam, quæ capiebatur, aut ex rebus adverſis enaſci aliquod incommodum, ſi amicitia non deſeratur. Inprimis autem videas, quantum adulator & aſſentator mutetur ab illo: videas inimicitiam tectam palam erumpentem, ceſſante odium diſſimulandi ratione, aut nata idem patefaciendi occaſione.

§. 216.

Inimicus omnis periculoſus eſt. Etenim inimicus nos odit (§. 626. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum odium tendat ad *De periculo ab inimico metuendo.*

ad promovendam infelicitatem & impediendam felicitatem alterius (§. 308. *part. 2. Eth.*); inimicus male cupiens alteri nocere eidem intendit. Quodſi ergo offeratur occaſio eidem ſive per ſe, ſive per alios quomodocunque nocendi, eandem ambabus arripit manibus. Quoniam itaque iſtiusmodi occaſio præter omnem ſpem atque opinionem offerri poteſt, cum inſtabilis maxime ſit omnis rerum humanarum conditio; nemo ſecurus eſſe poteſt mali ab inimico ſibi metuendi, conſequenter inimicus omnis periculoſus eſt.

Ecce tibi motivum vitandi inimicitiam! Quamvis enim fieri haud quaquam poſſit, ut homines omnes nobis reddamus amicos; præſtat tamen eos indifferenti erga nos eſſe animo, quam inimicos. Qui enim indifferenti erga nos animo eſt, nos nec amat, nec odit, conſequenter nec bonum nobis cupit, nec malum: aſt inimicus malum cupit. Ab eo igitur, qui indifferenti erga nos animo eſt, nullum nobis imminet periculum, quale metuendum ab inimico. Equidem plurimorum mens adeo occœcata eſt, ut ſibi perſuadeant, ſibi non metuendos eſſe inimicos, ſed ſe omnia ipſorum tela in ipſorum capita retorquere poſſe, vanam putantes ſine viribus iram; aſt rebus ſecundis nimium confidentes de impotentia inimici male judicant. Quodſi igitur prudentes ex alieno periculo ſapere mallent, quam ex proprio, longe aliter ſentirent & ex alieno caſu diſcerent, non videri inimicum adeo impotentem, ut nocere non poſſit. Facile autem intelligitur, tanto majore moleſtia torqueri animum, ubi ſentiunt malum ab inimico illatum, aut cui is occaſionem dedit, quanto audacius eum contemnebant & ridebant. Dudum ideo inculcata eſt a ſapientibus hæc regula: non parvi eſſe faciendum inimicum. Potentia nocendi non ex illarum rerum numero eſt, quæ in aperto ſunt, a caſu enim pendet, quem nemo prævidere poteſt, & qui ubi venerit præſentem rerum faciem mutat.

Digitized by Google

mutat. Prudentis eſt non modo præſentium, quæ certa ſunt, verum etiam futurorum incertorum habere rationem.

§. 217.

De cura inimicitiam vitandi. Quoniam inimicus omnis periculoſus eſt (§. 216.), conſequenter contingere poteſt, ut præter opinionem habeamus malum, quod evitare poteramus; *ſedulo cavendum eſt, ne culpa noſtra alios nobis reddamus inimicos*; conſequenter *probe conſideranda ſunt exempla malorum, quæ inimici, quamvis abjecti atque contemti, crearunt aliis, immo ex datis circumſtantiis probabiliter colligendum, annon emergere poſſit caſus, in quibus nobis nocere poteſt inimicus.*

Studio dico, cavendum eſſe, ne culpa noſtra nobis alios reddamus inimicos. Quemadmodum enim amicitiæ acquirendæ aut conſervandæ cauſa nil faciendum, quod legi naturæ repugnat (§. 635. *part.* 1. *Jur. nat.*); ita quoque vitandæ inimicitiæ cauſa a lege naturæ ne latum quidem ungvem recedendum. Utrobique nimirum obſtat indiſpenſabilis obligatio, quæ a lege naturæ venit (§. 142. *part.* 1. *Jur. nat.*). Immo jam alias monuimus, ſi quis tibi inimicus evadit, quod facis, ad quod te ducit obligatio tua, non recte dici, quod tu tibi eum feceris inimicum, ſed inimicitiam referendam eſſe inter mala, quæ evitari in poteſtate tua non eſt (*not.* §. 635. *part.* 1. *Jur. nat.*). Nulla in te hæret culpa. Conſcientia te excuſat (§. 465. *part.* 1. *Jur. nat.*), ut inimicitia animum tuum inquietare nequeat (§. 484. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ſed conſcientia tua te conſoletur (*not.* §. 469. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Eventus dubii, quos nulla noſtra culpa prægreditur, providentiæ divinæ committendi (§. 1192. *part.* 1. *Jur. nat.*), in qua acquieſcere dulce eſt (§. 442. *part.* 3. *Eth.*). Ne vero curam præcavendi inimicitiam abjiciamus, facit conſideratio periculi ab inimicitia metuendi (§. 216.). Docent hoc omnium clariſſime exempla, quorum magna vis eſt in

mora-

moralibus (§. 269. 270. *part. 2. Phil. pract. univ.*), & quæ ſunt magis ad captum omnium, quam demonſtrationes exaſciatæ. Ne vero quis ſibi perſuadeat, quaſi iſtiusmodi mala, quæ aliis intulerunt inimici, non ſint metuenda; conſultum omnino eſt, ut probe expenſis circumſtantiis præſentibus inquiramus, annon emergere poſſint caſus, in quibus metuendus nobis ſit inimicus, quem in præſenti nimis impotentem eſſe putamus, ut nobis noceat. Et ut probabilitati cedamus, dum caſus futuros certo prævidere non datur, non modo conſiderandum eſt, in dubio eligendum eſſe, quod tutiſſimum; verum etiam in exemplis perpendendæ ſunt circumſtantiæ, ut appareat, quantum ad prævidendum caſum futurum conferre potuerint, & cum circumſtantiis præſentibus comparandæ, ut appareat, quantum caſus noſter cum alieno, quem exempla exhibent, conveniat. Utile tum eſt, ut nos fingamus in hoc caſu conſtitutos, & conſideremus, quid de eventu inimicitiæ nobis viſum fuiſſet. Quoties agitur de malo evitando absque ulla jactura boni, minima probabilitas ſufficit, ne nos periculo committamus. Sed hæc expreſſius docenda ſunt in Logica probabilium. Ceterum cum reſtitudo actionum requirat, ut omnia faciamus cum ſenſu officii; a cura inimicitiam vitandi nunquam ſejungenda cogitatio eſt, quod ad eam vitandam nos ducat naturalis obligatio (§. 634. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 218.

Quod cura iſta maxime conveniat dilectioni ſui.

Dilectioni ſui maxime convenit, ne culpa noſtra alios nobis inimicos reddamus. Qui enim ſeipſum diligit, ſollicite cavere debet, ne fiat infelix (§. 606. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter ut ea declinet, quæ tædium, ſive moleſtiam ipſi creare poſſunt (§. 639. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum omnis inimicus periculoſus ſit (§. 216.), ideoque ab eo metuenda ſint mala, quæ moleſtiam nobis creant (§. 569. *Pſych. empir.*); dilectioni ſui maxime convenit, ne culpa noſtra, quæ evitari poteſt,

Digitized by Google

poteſt, modo velimus (§ 692. 696. *part. 1. Phil. pract. univ.*), alios nobis inimicos reddamus.

Quamvis dilectio ſui homini maxime naturalis ſit, & contra naturam humanam, ut quis ſeipſum oderit, hoc eſt, infelicitate ſua delectetur (§. 661. *Pſych. empir.*), atque tædium, ſive moleſtiam appetat (§. 669. *Pſych. empir.*); non tamen propterea homines ea faciunt, quæ dilectioni ſui conveniunt, & ab iis ſeſe abſtinent, quæ eidem repugnant, propterea quod ignorant, aut, cum ſcire poſſent, non perpendunt, quænam dilectioni ſui conveniant, quænam eidem repugnent. Dilectio ſui ideo a lege naturæ præcipitur (§. 607. *part. 1. Jur. nat.*), ut nos vere diligamus, neque enim in ea eſt niſi veritas. Opiniones veritati contrariæ eadem damnantur. Bellum naturæ ſuæ indicunt, qui dilectioni ſui, quam lex naturæ præcipit, contraria faciunt, ſi vel maxime ſe diligere putent. Quamobrem neceſſe eſt, ut cognoſcamus, quænam eidem repugnent. Cum ipſa natura nobis commendet dilectionem ſui, quamprimum non opinione, ſed ad veritatem perſuaſi fuerimus, eidem maxime convenire, ne culpa noſtra alios nobis inimicos reddamus, id nobis ſtimulo erit, ut inimicitiam omnem evitare ſtudeamus, & rationi lubenter obſequamur.

§. 219.

Quod imprudentiæ ſit alios ſibi inimicos reddere.

Imprudentiæ eſt alios ſibi inimicos reddere. Cum enim inimicus nos odio proſequatur (§. 626. *part. 1. Jur. nat.*), tædia noſtra appetit (§. 669. *Pſych. empir.*), ambabus manibus amplexurus occaſionem, qua nobis tædia creare (§. 671. *Pſych. empir.*), conſequenter ad infelicitatem noſtram aliquid conferre valet (§. 639. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum amor ſui homini naturalis ſit (§. 45. *part. 4. Eth.*), atque is tendat ad omnem infelicitatem a ſe depellendam (§. 292. *part. 2. Eth.*); circumſtantiæ omnes præſentes probe diſcutiendæ ſunt, ne

quid dicamus, vel faciamus, quod vi earundem aliorum inimicitiam nobis conflare poterat. Quoniam itaque imprudentiæ eſt facere, quod vi circumſtantiarum quarundam præſentium potius non facere debebamus, vel non facere, quod vi earundem facere potius debebamus (§. 776. *part. 1. Phil. pract. univ.*); alios ſibi inimicos reddere imprudentiæ eſt.

In determinationem actionum humanarum ſemper influunt circumſtantiæ præſentes, ut ideo in iis dijudicandis ſemper habenda ſit ratio earundem. Habent autem eædem reſpectum ad alios ſive directe, ſive indirecte, ut aliorum animus cum iis commiſceatur. Ita actionibus aliis aliorum animus nobis conciliatur, aliis a nobis alienatur, aliis infeſtus redditur. Magnum autem in hac commixtione animi aliorum cum actionibus noſtris momentum habent circumſtantiæ præſentes. Quamobrem etiam contingit, ut actionibus noſtris aliorum odia in nos concitemus, ideoque nobis eos inimicos reddamus (§. 626. *part. 1. Jur. nat.*). Odia autem non modo facilitant circumſtantiæ particulares, verum etiam cauſa eorundem fiunt, ſi vel maxime in actiones non influant, ſed ſaltem ex accidente iisdem ſocientur. Cum neminem nobis inimicum reddere debeamus (§. 634. *part. 1. Jur. nat.*), in omnibus actionibus noſtris perpendendus eſt etiam reſpectus ad alios, conſideratis omnibus circumſtantiis, quarum in eo aliquod momentum eſt. Prudentis eſt ſollicite obſervare omnes circumſtantias, vel actu obvias, vel quæ obviæ fieri poſſunt, easque ad actiones ſuas referre (§. 466. *part. 1. Eth.*). Qui hoc facere negligit, utique imprudens eſt. Prudentis eſt proſpicere futura, quæ quomodocunque in determinationem actionis præſentis influere poſſunt (§. 470. *part. 1. Eth.*), & ut futurorum, quæ proſpicimus, rationem habeamus in agendo, ſufficit probabilitas, ideoque haud raro ſola poſſibilitas (§. 471. *part. 1. Eth.*). Ut vero proſpiciantur futura, quæ in determinationem actionis præſentis influere poſſunt, inquirendum eſt in ea, quæ ex actionibus noſtris conſe-

quun-

quuntur non modo neceſſario, verum etiam ex accidente: quorum illa certa ſunt & actionem in ſe faciunt naturaliter turpem, hæc vero ob prævisionem futuri ſaltem probabilem ad certa adſcribi nequeunt, aſt ubi eveniunt turpitudinem actionis in ſe turpis augent, eam autem quæ in genere ſpectata indifferens videtur, turpem efficiunt (§. 58. 61. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Atque hinc intelligitur, quomodo bene agere ac prudenter agere, male item atque imprudenter differant, & quando ſimul bene ac prudenter agamus. Obligatio vero naturalis nobis quoque imponit neceſſitatem prudenter agendi (§. 258. *part. 1. Jur. nat.*). Differt autem calliditas, quamvis prudentiam imitetur, ab ipſa prudentia. Hinc non eſt, quod miremur, ſi videamus homines abſurdiſſima moliri, dum ſibimet ipſis neſcio qua prudentia blandiuntur, & eventum probare imprudentiſſimos, qui ſibi prudentiſſimi videbantur, dum eundem intentioni ſuæ contrarium experti juſtas inſipientiæ ac inſaniæ dant pœnas.

§. 220.

De modo vitandi inimicitiam.

Qui inimicitiam vitare vult, ſibi cavere debet, ne dicat, vel faciat, quod alios offendere poſſit, & ne invidiam ſibi cumulet. Qui enim alios offendit, dicit vel facit, ex quo moleſtiam percipiunt (§. 936. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum fieri haud quaquam poſſit, quin id diſpliceat (§. 542. *Pſych. empir.*); odium eorum in ſe incendit (§. 677. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum inimicus ſit, qui nos odio proſequitur (§. 626. *part. 1. Jur. nat.*); offenſa inimicitiam parit. Eam igitur vitaturus ſibi cavere debet, ne dicat, vel faciat, quod alios offendere poſſit. *Quod erat unum.*

Quoniam invidia oritur, ſi quis alterum indignum judicat bono, quo potitus eſt, vel fruitur (§. 713. *Pſych. empir.*), ſi quis vero alteri invidet bona, quibus gaudet, eum odit (§. 711. *Pſych. empir.*); invidiam ſibi cumulans in alio-

rum quoque odium incurrit. Quamobrem cum inimicus ſit qui nos odio proſequitur (§. 626. *part.* 1. *Jur. nat.*); qui invidiam ſibi cumulat, alios ſibi inimicos reddit. Quodſi ergo inimicitiam vitare velit, cavere ſibi debet, ne invidiam ſibi cumulet. *Quod erat alterum.*

Ne propoſitio præſens in abuſum, vel perverſam interpretationem trahatur; unum alterumque notandum eſt. Quoniam offenſa nulla eſt, ſed per errorem pro tali habetur ab altero, ſi dicamus vel faciamus, quod dicere, vel facere obligamur (§. 936. *part.* 1. *Jur. nat.*); probe conſiderandum eſt, plurimum differre, num alter dictis vel factis tuis offendatur, hoc eſt, moleſtiam ex iis percipiat, an tu eundem offendas, hoc eſt, ea committas, ex quibus jure moleſtiam percipit. Quamobrem ſtudio dicitur non eſſe dicendum, vel faciendum, quod alios offendere poſſit, non vero, quo offenduntur alii: neque enim actionum noſtrarum norma eſt opinio aliorum, ſed lex naturæ. Quamvis vero inimicum animum induat non minus, qui offenditur, ſeu ſe offenſum putat, quam quem offendis, in caſu tamen priori in poteſtate tua non eſt impedire, ne alter tibi fiat inimicus: ſufficit, quod tu tibi eundem non reddideris inimicum. Obligatio non excedit ea, quæ in poteſtate noſtra ſunt (§. 176. *part.* 1. *Jur. nat.*). Similiter aliud eſt invidiam ſibi cumulare, aliud invidiam aliorum incurrere abſque culpa ſua. Ita invidiam tibi cumulas, ſi ad dignitatem & opes, quas dedit fortuna, accedat faſtus & ſuperbia, ut non modo tibi major videaris, quam es, & tibi tribuas quæ fortunæ cœcæ accepta ferenda (§. 583. *part.* 1. *Jur. nat.*), verum etiam te ſupra alios efferas & majoris exiſtimari velis aliis (§. 888. *part.* 1. *Jur. nat.*): invidiam vero aliorum incurris abſque culpa tua, ſi fortuna tibi magis faveat quam aliis, ut conſequaris dignitatem & divitias, quas negat aliis ejusdem ceteroquin tecum conditionis, vel etiam conditionis ſuperioris, quamvis in te non hæreat vitium ad conflandum invidiam aptum. Atque ideo tibi caves,

ab

ab invidia, ſi virtutes iſtiusmodi vitiis oppoſitas cum fortuna ſecunda conjungas, veluti ſi ad dignitatem & divitias accedat humilitas (§. 581. *part.* 1. *Jur. nat.*) faſtui (§. 583. *part.* 1. *Jur. nat.*) & comitas (§. 890. *part.* 1. *Jur. nat.*) ſuperbiæ oppoſita (§. 888. *part.* 1. *Jur. nat.*). Virtus itaque præſidium eſt adverſus inimicitias, ne culpa noſtra in eas incurramus: infortunium vero, cujus cauſa eſt aliorum mala voluntas a nobis emendari neſcia, avertere velle ſupra humanam conditionem eſt, qua nati ſumus, ut nihil, quod homini accidere poſſit, recuſare debeamus, quemadmodum dudum obſervatum eſt a *Cicerone*.

§. 221.

De abſurditate odii erga alios, qui fortuna vel perfectione excellunt.

Abſurdum eſt odiſſe alios ob fortunæ bona, multoque magis ob perfectionem, qua nobis excellunt. Qui enim alterum odit ob fortunæ bona, is ea ipſi invidet (§. 707. *Pſych. empir.*). Mallet itaque eos iisdem carere, vel quod nolit eos ſibi eſſe pares, ſi ipſe iisdem gaudeat, vel non ſe ſuperiores, ſi careat. Quoniam fortuna, quam cœcam dicunt homines, propterea quod ipſorum judicio bona ſua non diſtribuit pro merito, ſubeſt providentiæ divinæ (§. 932. *part.* 1. *Theol. nat.*), Deus vero providentia ſua unicuique tantundem confert boni, quantum ſalva ſapientia ſua fieri poteſt (§. 933. *part.* 1. *Theol. nat.*); quilibet ſorte ſua contentus eſſe poteſt (§. 428. *part.* 3. *Eth.*) ac debet (§. 1198. *part.* 1. *Jur. nat.*). Et quoniam omnia, quæ naturaliter fiunt in hoc univerſo ſecundum providentiam divinam fiunt (§. 930. *part.* 1. *Theol. nat.*), nec quicquam ex parte Dei fit caſu (§. 462. *part.* 2. *Theol. nat.*); quicquid a Deo in hoc univerſo fit, vel permittitur, ſapientiæ ac bonitati ipſius convenienter fit. Quamobrem ſi quis alios odit ob fortunæ bona, ſive quod nolit alios habere, quæ ipſe habet, ſive quod ipſe habere mallet, quæ habent alii; is utique vult Deum gubernare mundum ſapientiæ ac bonitati

ſuæ

ſuæ minus convenienter, nec nexum rerum, per quem providet omnibus in hoc univerſo componere ad finem ultimum, quem per exiſtentiam hujus univerſi intendit (§. 629. *part. 1. Theol. nat.*), ſed ad animi ſui deſideria: id quod abſurdum eſſe, nemo non agnoſcere tenetur qui providentiam divinam agnoſcit. Quodſi tamen quis eandem non agnoſcit, aut animum ab eadem avertit; non minus tamen abſurdum manet odiſſe alios ob fortunæ bona, in quæ invidiæ tuæ nulla eſt poteſtas, cum nec eos iisdem privare, nec eadem ad te rapere valeas, ac fruſtra animum inquietes. Sive igitur agnoſcatur providentia divina, ſive fortuna cæca ad inexorabile fatum referatur; abſurdum exiſtimandum eſt odiſſe alios ob fortunæ bona. *Quod erat unum.*

Qui alios odit ob perfectionem, qua ſe excellit, aut eam conſequi non potuit, quia deſtituitur dotibus naturalibus ad eam conſequendam requiſitis, vel non alium obtinuit in hac rerum ſerie locum, aut eam conſecutus non eſt, quod dotibus naturalibus & opportuna occaſione non fuerit uſus, quemadmodum poterat ac debebat. Quoniam abſurdum eſt velle ut Deus alias nobis dederit dotes naturales, quam quas habemus (§. 432. *part. 3. Eth.*) & alium tribuerit in hac rerum ſerie locum, quam in quo conſtituti ſumus (§. 430. *part. 3. Eth.*), abſurdum quoque eſt odiſſe alios ob perfectionem, qua nobis excellunt. Et quoniam in altero caſu negligentiæ noſtræ tribuendum, quod eam perfectionem non fuerimus conſecuti, ad quam pervenit alius (§. 750. *part. 1. Phil. pract. univ.*), cum negligentiam noſtram damnare debeamus, diligentiam alterius laudare, rationi maxime adverſatur odiſſe alterum ob perfectionem, quam & ipſi conſequi poteramus, modo voluiſſemus. Quamobrem ſive alter nobis excellat perfectione, quam conſequi in poteſtate

noſtra

noſtra non eſt, ſive quam conſequi poteramus, modo voluiſſemus; abſurdum eſt ob eandem ipſum odiſſe.

Oderunt homines ob fortunæ bona alios, quia forte ſua non contenti ſunt. Cum qui in providentia divina acquieſcit ſorte ſua contentus ſit, nec aliis invideat bona ſua (§. 438. *part.* 1. *Eth.*); acquieſcentia in providentia divina optimum remedium eſt adverſus odium, quod conſideratio bonorum fortunæ concitat. Non ſufficit agnoſcere, dari providentiam divinam; ſed ea paulo intimius perſpicienda, ut conſtet, quænam ſalva ſapientia divina & natura rerum non repugnante fieri poſſint. Quænam vero ad hæc penitus perſpicienda requirantur, ſatis apparet ex iis, quæ demonſtravimus, cum de acquieſcentia in providentia divina ageremus (§. 425. & *ſeqq. part.* 3. *Eth.*). Quodſi ea conſideres, ſatis ſuperque intelliges, cur abſurditas odii, quo proſequimur alios ob fortunæ bona, tam parum agnoſcatur, & cur adeo difficulter id reprimatur. Multæ ſunt præjudicatæ opiniones non minus de eſſentia & natura rerum, quam de attributis divinis, nonniſi per principia verioris Metaphyſicæ eradicandæ, quæ mentem occœcant, ne providentiam divinam agnoſcant, qualis revera eſt, immo quæ eandem aliis ſuſpectam reddunt, alios vero ad eandem prorſus negandam adducunt. Infelix noſtrum ſeculum alit homines, qui mentem monſtroſam habent & doctrinam ſolidam contemnunt ſibique ſupra omnes ſapere videntur, ſi non alium veritatis judicem admittant, quam ſenſum. Contra hoc hominum genus parum valent argumenta a providentia divina intimius perſpecta petita, quæ quamvis ad ſenſum communem reduci poſſint, ubi ex profundo fuerint eruta, ab eo tamen procul remota ſunt, antequam in lucem protrahantur. Score autem iſti videre nolunt, niſi quæ ante pedes jacent. Quamobrem ſi ipſos abſurditatis redarguere velis, quod oderint alios ob fortunæ bona, monendi ſunt, quod odio ſuo non noceant aliis, quorum fortunæ propterea nihil decedit, ſed ſibi potius, quod torque-

ant animum incaſſum, nec fortunam ſibi magis concilient. Quamvis enim etiam adverſus eos urgere poteras, per naturam rerum fieri haud quaquam potuiſſe, ut fortuna in ipſos conferret, quæ contulit in alios; cum tamen etiam hic recurrendum ſit ad principia metaphyſica ipſis ignota, aut quibus contrarias opiniones fovent, in reſtinguendo odio abſurdo parum proficies. Si quis intimius perſpicere voluerit, quam ſit abſurdum odiſſe alios ob perfectionem; ea omnia probe conſideranda ſunt, quæ de noſcentia ſui demonſtravimus tum quoad ea, quæ dat natura atque fortuna, tum quoad ea, quæ ſtudio ac labore noſtro conſequi tenemur (§. 3. & *ſeqq. part.* 4. *Eth.*). Inde nimirum conſtabit, quod velimus maxime contradictoria. Ecquis vero eſt, qui negare auſit abſurdum eſſe velle contradictoria, conſequenter abſurdum quoque eſſe odium, quod ab iſta voluntate originem trahit?

§. 222.

Quid fieri debeat, ne fiamus inimici aliorum ob fortunæ bona, aut perfectionem, qua gaudent.

Quoniam abſurdum eſt odiſſe alios ob fortunæ bona multoque magis ob perfectionem, qua nobis excellunt (§. 221.), qui vero alterum odit ipſi inimicus eſt, (§. 626. *part.* 1. *Jur. nat.*); *abſurdum* quoque *eſt*, *ut inimicum erga alios induamus animum*, *quod gaudeat bonis fortunæ*, *aut perfectione quadam nobis excellat*, conſequenter cum nemo hominum alteri inimicus eſſe debeat (§. 628. *part.* 1. *Jur. nat.*), *ne inimicum erga alios animum induamus*, *abſurditas odii ob fortunæ bona*, *quibus quis gaudet*, *aut ob perfectionem*, *qua nobis excellit*, *probe diſcutienda.*

Abſurdum eſt odiſſe alios ob bona, quæ fortuna in eos contulit, cum, ſi odio eſſet locus, fortuna potius odio habenda eſſet, quam is, quem fortuna ornavit. Quoniam vero fortuna ſubeſt providentiæ divinæ (§. 932. *part.* 1. *Theol. nat.*) & omnes ejus effectus ſunt in numero finium a Deo intentorum (§. 651. *part.* 1. *Theol. nat.*) fini ultimo ſubordinatorum (§. 652. *part.* 1. *Theol. nat.*);

nat.); qui fortunam accuſat, aut de ea conqueritur, revera Deum accuſat & de eo conqueritur, injurius in ſapientiam Dei ipſamque bonitatem. Fovet odium iſtud ſaltem tacite in ſinu ſuo querelas de fortuna & per conſequens de providentia divina. Quamobrem hoc ipſum omnium maxime nos commovere debet, ne inimicum erga alios animum induamus, propterea quod fortuna in eos contulit bona, vel quibus caremus, vel quibus ſoli gaudere mallemus. Atque idem tenendum eſt de perfectione, qua eminent alii, præſertim ſi negligentiæ noſtræ imputandum, quod eadem deſtituamur. Enimvero apparet hinc, quam pleni inconſideratiſſimæ ac dementiſſimæ temeritatis fiant, qui doctrina ſolida imbuti non ſunt, nonniſi ex ſyſtemate veri nominis haurienda, cujus contemtores quam temeraria moliantur inextricabilibus moleſtiis ſe implicantes, ipſæ dies noſtræ nos docent. Ceterum ad abſurditatem odii, de qua jam nobis ſermo eſt, diſcutiendam ducit demonſtratio propoſitionis præcedentis, modo in analyſi demonſtrationum ſatis fueris verſatus.

§. 223.

An familiaritas ad omnem amicitiam requiratur.

Amicitia univerſalis, ſeu naturalis non requirit familiaritatem & particularis quoque abſque ea ſubſiſtere poteſt. Etenim familiaritas exigit conſuetudinem (§. 175.), hoc eſt, frequentem converſationem. Enimvero amicitia omnis conſiſtit in mutuo amore (§. 626. *part. 1. Jur. nat.*), quo animi ita uniuntur (§. 171.), ut eorum voluntas in promovenda felicitate mutua & depellenda infelicitate conſpiret (§. 172.). Quoniam itaque hæc voluntas abſque frequenti conſuetudine ſubſiſtere poteſt, quod per ſe patet; amicitia quoque omnis ſive univerſalis ſit, ſive particularis abſque familiaritate ſubſiſtere poteſt. Immo quia univerſalis ex amore univerſali, ſeu hominum omnium fluit (§. 175.), ideoque ad omnes homines extenditur, conſequenter impoſſibile eſt, ut cum iis nobis

intercedat conſuetudo; familiaritatem amicitia univerſalis ſeu, naturalis ne quidem admittit.

Veteres jam diſtinxerunt inter amicos familiares & non familiares, quamvis vulgo vago ſermone amicus ſimpliciter dicatur tam quo familiariter utimur, quam quo non utimur. Neque cum familiaritate confundendus eſt gradus amicitiæ, qui in gradu amoris conſiſtit. Quamvis enim fieri poſſit, ut ex gradu amoris familiaritas confletur; non tamen id neceſſario fit. Potes aliquem impenſe amare, non tamen propterea neceſſe eſt, ut ipſum in familiaritatem recipias.

§. 224.

An inter abſentes locum habeat familiaritas.

Familiaritas locum habere poteſt inter abſentes. Familiaritas eſt amicitia particularis conſuetudine, ſeu frequenti converſatione confirmata (§. 175.). Enimvero amicitia ſubſiſtere poteſt inter abſentes (§. 177.), & converſari cum aliis quoque poſſumus in literis. Quamobrem familiaritas locum quoque habere poteſt inter abſentes.

In converſatione amicorum potiſſimum miſcentur verba. Sed verba, quæ ore proferuntur, etiam in ſcripturam redigi poſſunt. Quamobrem commercium epiſtolicum converſationem imitari poteſt. Ac ideo nil obſtat, quo minus etiam abſente familiariter utamur. Negari utique non poteſt, converſationem inter præſentes in multis differre ab ea, quæ inter abſentes concipitur. Sed ea familiaritati non per ſe inſunt, ſed ex accidente accedunt, quatenus præſentia quædam admittit, quæ abſentia non fert. Habet vero etiam iſta nonnulla ſibi propria, utpote abſentiæ debita, quæ in hac locum minime habent. Aſt ſuperfluum foret ea inculcare, quæ experientia unicuique inſinuat, quando ea ſcire intereſt. Habemus epiſtolas *Ciceronis* ad familiares. Amici igitur familiares, ad quos eas ſcripſit, erant utique abſentes. Idiomate patrio familiares dicimus ſehr gute Freunde, & hoc nomine com-

compellamus, tum quorum frequens eſt converſatio, tum qui locorum intervallo disjuncti frequenter ad ſe invicem ſcribunt epiſtolas, quamvis nullum ſit negotium, quod frequentes literas urgeat.

§. 225.

Sola frequens converſatio non facit familiaritatem. Etenim ad amicitiam veram requiritur mutuus amor (§. 626. *part.* 1. *Jur. nat.*), quo animi ita uniuntur (§. 171.), ut voluntas in mutuam felicitatem promovendam & infelitatem depellendam conſpiret (§. 172.). Enimvero quamvis alicujus converſatione delectemur, non tamen propterea neceſſe eſt, ut voluntas propendeat in felicitatem ipſius promovendam & infelicitatem depellendam, ſed converſationem ejus ſaltem appetimus, quatenus ex ea voluptatem capimus (§. 165. *part.* 2. *Eth.*). Sola igitur frequens converſatio familiaritatem nondum facit. (§. 175.). *An ſola frequens converſatio faciat familiaritatem.*

Per ſe patet, nobis hic non eſſe ſermonem de frequente converſatione, quam negotium aliquod urget. Hæc enim temporaria eſt & cum ipſo negotio finitur. Agitur hic de ea, quæ delectationis cauſa appetitur. Vulgo equidem ex frequente converſatione colligitur amicitia, quia amici præſentia amico dulcis eſſe ſolet. Atque tum amicitia ſaltem præſumitur, quamdiu ignoratur, cur unus alterius converſatione delectetur. Quemadmodum vero omnes non una trahit eademque voluptas, ideo diverſæ quoque admodum ſunt rationes, ob quas quis conſuetudine alterius delectetur, atque cum his conſiſtere poteſt tacitum aliquod odium, quod amicitiæ obſtat (§. 626. *part.* 1. *Jur. nat.*), vel ſaltem eadem non ſufficiunt ad concitandum amorem, ſine quo amicitia non concipitur, ut non obſtante voluptate, quæ ex converſatione capitur, animus maneat erga eundem indifferens (§. 629. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quemadmodum vero in Ethica amicitiam

non aliter intelligimus, quam qualem urget lex naturæ; ita quoque familiaritas ad eandem normam exigenda, ideoque huic convenienter eandem definivimus (§. 175.), nec in hac definitione converſatio aliunde quam ex lege naturæ metienda. Quodſi ea conſiſtat in actibus legi naturæ adverſis, quemadmodum ad ſpuriam amicitiam accedit, ita nec familiaritatem moralem parit, quamvis vulgo ita dicatur. Significatus vulgares in Moralibus ſunt emendandi, cum in ea quæ virtutis ſunt ab his, quæ ad vitia adſcribenda, ſint dividenda. Quamobrem multa cautione opus eſt, ne vocabula, quorum uſus eſt in communi ſermone, incaute uſurpata in ſcientiam moralem tacitos errores invehant, vel etiam veritatem alias ſatis manifeſtam difficultatibus non facile extricabilibus involvant, neque quæ in Moralibus traduntur ſignificatui vulgari vocabulorum convenienter interpretentur.

§. 226.

De præcipitantia in familiaritate dijudicanda vitanda.

Quoniam ſola frequens converſatio familiaritatem non facit (§. 225); *ſi quis delectatur converſatione tua, inquirendum eſt in rationem, cur eadem delectetur, nec pro amico familiari habendus, niſi cujus amicitia aliunde fuit explorata.*

Cum familiaritas ſit amicitia particularis conſuetudine, ſeu frequenti converſatione confirmata (§. 175.); familiaris converſatio differt a converſatione cum eo, qui indifferenti erga te animo eſt, aut cujus animus jam propendet in odium, data occaſione vires capturum. Illam qui cum hac confundit, amicum familiarem eſſe putat, qui non eſt, ut circumſpecta eſſe debeat converſatio, ne inimicum tibi improviſo reddas, aut, ſi contingat, ipſum præter expectationem absque culpa tua tibi fieri inimicum, ne memoria factorum vel dictorum refricetur, quæ dant occaſionem nocendi. Quoniam familiaritas locum quoque habet inter abſentes (§. 224.), quorum converſatio in litteris eſt, littera vero ſcripta manet; cautione hac maxime opus eſt, ſi tibi cum abſente frequens fuerit

com-

Digitized by Google

commercium epiſtolicum Conſtat quanta circumſpectione opus ſit in ſcribendis litteris etiam quando ſcribimus ad eos, de quorum amicitia ſatis certi ſumus, cum caſu improviſo in aliorum manus incidere poſſint, etiamſi nulla culpa hæreat in amico. Nonne igitur majore circumſpectione opus eſt, ſi verendum, ne is ipſe, ad quem ſcripſiſti, animo nocendi abutatur iis, quæ a te ſcripta ſunt? Immo ſi vel maxime certus tibi videaris de amicitia alterius fieri adhuc poteſt, ut non ſit ſatis prudens in diſcernendis iis, quæ ipſi ſoli ſcripſiſti, non malo in te animo propolans, quod in præjudicium tui cedit.

§. 227.

Familiaritas excludit omnem ſimulationem & diſſimulationem. Quoniam enim familiaritas amicitia eſt frequenti converſatione confirmata (§. 175.); qui familiariter cum altero converſatur, cum bene cupiat alteri & alterum quoque ſibi bene cupere exiſtimet (§. 172), & pro certo habeat, alteri ſatis perſuaſum eſſe, ſe non habere animum ipſum offendendi, & offenſam culpoſam facilem habere excuſationem (§. 193.), libere dicit, quod ſentit, atque ex more agit. Immo cum alterum amans (§. 626. *part* 1. *Jur. nat.*), eum conſideret tanquam ſeipſum (§. 659. *Pſych. empir.*), eum conſcium eſſe poſſe putat omnium arcanorum ſuorum, conſequenter nihil eorum celat, quæ animo volvit, aut facit. Quamobrem nec in verbis, nec factis deprehenditur, quod actionibus internis contrarietur. Quoniam itaque ſimulatio in diſſenſu actionis externæ cum interna conſiſtit (§. 716. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*); familiaritas omnem ſimulationem excludit. *Quod erat unum.*

An ſimulationi & diſſimulationi locus ſit in familiaritate.

Et quoniam diſſimulatio in occultatione actionis tam internæ, quam externæ conſiſtit (§. 717. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*);

univ.); eodem modo patet, familiaritatem quoque excludere diſſimulationem. *Quod erat alterum.*

Conſtat experientia, amicum familiarem male ferre, ſi ſimules, quod non eſt, aut diſſimules conſilia, molimina & facta tua, quamvis ſimulatio & diſſimulatio non careat ratione. Communis fere opinio obſedit plerorumque mentem, quaſi amicitiæ familiari, ſeu ſtylo noſtro familiaritati proprium ſit amicum omnium arcanorum ſuorum facere participem, quaſi omnia ſub ſigillo ſilentii committantur familiaribus, nec ad familiaritatem extendenda ſit regula prudentiæ, quæ vult ut neminem arcanorum tuorum facias participem, fidendum nimirum eſſe, modo videas, cui fidas. Docet quoque experientia, ſimulatione & diſſimulatione langveſcere amicitiam, aut prorſus extingvi. Quodſi ea eſſet hominum perfectio, qualem præſcribit lex naturæ; nulla quoque foret ſimulandi & diſſimulandi ratio. Quamobrem ſi familiaritatem ſumas, qualem determinat lex naturæ; ea ſimulationi & diſſimulationi nullum relinquit locum: aſt ea hominum conditio eſt, ut in determinationem voluntatis multa influant, de quibus ipſi non cogitant, multo minus prævideant, quæ olim in eandem influere poſſunt. Quamobrem familiaritatem veram eſſe ſumunt, omnibus ſuis numeris abſolutam, qua ipſi fruuntur, ideoque de ſimulando & diſſimulando nulla ipſorum mentem ſubit cogitatio, & ſæpius ſero nimis experiuntur, familiaritatem ſibi fuiſſe damnoſam, quæ damnoſa non fuiſſet, modo fuiſſet vera. Oſtendimus ſuperius, veram amicitiam ſine virtute concipi non poſſe (§. 195.), eamque ſolam ſempiternam eſſe, quæ cum eo colitur, qui virtutem colit (§. 196.). In vera igitur amicitia, conſequenter in familiaritate, quæ illam ſupponit (§. 175.), ratio ſimulandi & diſſimulandi nulla eſt. Hinc conſequitur, ne familiaritatem contrahas cum eo, de cujus amicitia nondum ſatis certus es. Cum enim ſola frequens converſatio non faciat amiliaritatem (§. 225.); poteſt tibi cum alio intercedere vitæ conſuetudo,

potes

potes ipſi eſſe amicus, quamvis cum eo caute converſeris, quamdiu de ipſius in te amore non ſatis certus fueris, nec hunc intime perſpexeris, neque etiam mores ipſius ſatis cognoveris.

§. 228.

Quoniam familiaritas omnem ſimulationem & diſſimulationem excludit (§. 227.), conſequenter nulla apparet ratio, cur actiones externas cum internis non conſentire debeant (§. 716. *part. 2. Phil. pract. univ.*), aut cur tam internas, vel externas occultari neceſſe ſit (§. 717. *part. 2. Phil. pract. univ.*); *amicus familiaris ad actiones ſuas in converſatione nullam affert attentionem, ſed absque ulla deliberatione loquitur, quæ in mentem veniunt, & agit, ad quod agendum occaſio ipſum invitat, ex more.* *Qualis ſit converſatio amici familiaris.*

Sicuti de amicitia, ita etiam de familiaritate aliter judicandum eſt ex veritate, aliter ex facto. In Ethica demonſtrationes condi nequeunt niſi ex principiis rationis, ut familiaritas concipiatur legi naturæ convenienter, qualis eſſe debet: hominum vero diverſis moribus ea diverſimode immutatur, ut ea varia labe inficiatur. Accidit hinc, ut ad id, quod facti eſt, non juris, attenti notionem familiaritatis veritati contrariam plerique fingant, ideoque non conſentientia ſint hominum de familiaritate judicia, quando de eo, quod juris eſt ſeu licitum, quæſtio incidit. Quamvis vero errori admixtum ſit aliquid veri; cum tamen perceptionibus confuſis concluſum in obſcuro lateat, non cujusvis eſt verum a falſo ſeparare, ut conſtet cur & quomodo quod licitum erat vitiis in abuſum trahatur & in illicitum vertatur. Verum eſt amicum, cujus animus propendet in felicitatem amici, non omnia interpretari in malam partem, utpote certum de animo non offendendi alterius (§. 193.), & cum ipſo loqui poſſe tanquam cum ſe ipſo, utpote parato ad monendum, ſi moliaris, quæ recta non ſunt, aut ſentias, quod a veritate abhor-

abhorret, & ad objurgandum, abſque tamen contemtu, ſi male aut minus recte feceris (§. 203.). Amicorum igitur converſatio liberior eſt, quam aliorum, immo eſſe debet, niſi fructu amicitiæ carere velis, ut mutua perfectio promoveatur, animus vera voluptate demulceatur & a moleſtiis liberetur. Enimvero libertatem hanc male interpretantur, qui finem amicitiæ & verum ejus fructum minime capiunt, eamque in licentiam vertunt, quaſi nulla habenda ſit decori ratio, quodque neceſſe non ſit, ut pudeat loqui vel facere, quæ cogitas vel ad quid te trahit voluptas tua. Atque inde eſt, quod nimia familiaritas parere dicatur contemtum, cum in vera familiaritate, quemadmodum in omni virtute, non detur nimium: quod enim vulgo nimium dicitur, a vitio venit, quod actum alias licitum vel debitum in illicitum vertit. Probe hæc perpendenda ſunt, ne quæ manifeſta ſunt obſcura reddantur, nec nodos nectamus indiſſolubiles, ubi nihil difficultatis eſt, ſi rationem audire velimus. Falſa familiaritatis imitatio vitium eſt, nec in Ethica iſto nomine condecoratur: a vera autem non aberratur, ſi amicitia & ad eam accedens frequens converſatio virtutem individuam habeat comitem, ſine qua vera amicitia (§. 195.), ideoque & familiaritas concipi nequit (§. 175.).

§. 229.

An amicitia & familiaritas ſubſiſtere poſſit inter inæquales.

Amicitia ſpecialis, immo etiam familiaritas ſubſiſtere poteſt inter inæquales. Inæqualitas hominum ſpectatur vel in bonis animi atque fortunæ, vel in dignitate civili. Inter quos amicitia eſt, eorum voluntas in promovenda felicitate & depellenda infelicitate conſpirat, & qui ſibi mutuo amici ſunt, ſibi mutuo volunt id, quod bonum eſt, & pro virili præſtare ſtudent non ſui, ſed alterius cauſa (§ 172.). Enimvero per ſe patet, ad hanc voluntatem minime requiri, ut uterque æque gaudeat bonis animi, vel fortunæ iisdem, aut

ut

ut ſint dignitate civili pares. Quamobrem amicitia ſubſiſtere poteſt etiam inter inæquales. *Quod erat unum.*

Amicitia abit in familiaritatem, ſi ad eam accedat frequens converſatio. Converſationis potiſſima pars ſunt colloquia, ut, qui frequentem cum alio converſationem appetit, colloquiis cum eodem delectetur (§. 156. *part. 2. Eth.*). Cum amici ſibi mutuo velint quod bonum eſt, non ſui, ſed alterius cauſa (§. 172.), de iis inprimis colloquuntur, quæ ſe tangunt & quæ ſcire ipſorum intereſt, ut propenſæ in alterum voluntati ſatisfacere poſſint: accedunt vero ad colloquia actus alii, quibus unus alteri amorem ſuum declarat. Quoniam amicitia ſubſiſtere poteſt etiam inter inæquales, *per demonſtrata n. 1.* converſatio vero, quæ ad amicitiam accedit, amicitiam fructuoſam reddit eamque firmat, *per modo demonſtrata;* quin familiaritas inter inæquales quoque ſubſiſtere poſſit, dubitandi ratio nulla eſt. *Quod erat alterum.*

Quamvis veritas propoſitionis præſentis vi demonſtrationis ſatis aperta ſit, neque difficile eandem quoque exemplis confirmare; multa tamen præjudicia in diverſas partes trahunt judicium de ea ſibi ſumentes. Sunt qui amicitiam ſpecialem cum familiaritate confundunt, quamvis ea absque hac ſubſiſtere poſſit (§. 223.). Quodſi ergo liberiorem converſationem male interpretentur, nec inæqualitatem perſonarum rite ponderent, inter inæquales non dari amicitiam facile pronunciant, aut, ſi detur, eam ad indecorum adſcribunt. Qui agnoſcunt amicitiam absque familiaritate ſubſiſtere poſſe; haud difficulter concedunt dari quoque poſſe amicitiam ſpecialem inter inæquales, aut, ſicubi inæqualitas ſcrupulum moveat, non tamen negare audent, ſuperiorem amicum eſſe poſſe inferioris, licet amicitia, quæ animorum unionem exigit (§. 171.), non admittatur, propterea quod hic illius commoda promovere non poſſe videtur, quemadmo-

Digitized by Google

dum ille hujus, vel amicus mutato pauliſper ſignificatu dicitur inferior, quatenus eo is hunc proſequitur amore, qui inter amicos viget. Aſt quia liberiorem converſationem ſuperioris cum inferiori male interpretantur, familiaritatem cum inferiori contrahere ex parte ſuperioris pro indecoro habetur. Circumſtantiæ caſuum particularium, quorum numerus multus eſt, multis præjudiciis locum faciunt, quæ mentem adhuc magis obnubilant. Quamobrem ut tenebræ omnes diſpellantur, amicitiæ, familiaritatis & libertatis in converſatione notiones genuinæ ad legem naturæ normatæ attendendæ, & ex iis deducendum judicium.

§. 230.

An familiaritas comitati adverſetur.

Familiaritas non obſtat, quo minus unus alteri honorem debitum exhibeat, immo potius ad honorem debitum exhibendum impellit. Etenim vera amicitia, conſequenter quæ ad eam accedit conſuetudo, ſine virtute non datur (§. 179.). Quamobrem cum familiaritas ſit amicitia ſpecialis conſuetudine, ſeu frequente converſatione confirmata (§. 175.); familiaritas quoque individuam conitem virtutem habere debet. Enimvero alteri honorem debitum exhibere virtutis eſt, nimirum comitatis (§. 890. *part. 1. Jur. nat.*). Familiaritati itaque convenit, ut unus alteri honorem debitum exhibeat, ideoque ea minime obſtat, quo minus hoc fiat. *Quod erat unum.*

Eſt vero honor alius naturalis, quam virtutes intellectuales & morales pariunt (§. 550. *part. 1. Jur. nat.*) & cujus meritum facta & dicta ex iis profecta probant (§. 552. *part. 1. Jur. nat.*); alius civilis, qui in titulis & præcedentia (§. 765. *part. 8. Jur. nat.*) aliisque actibus more introductis conſiſtit. Quoniam amicorum familiarium frequens converſatio eſt (§. 175.) eaque ab omni ſimulatione & diſſimulatione libera

(§. 227.),

(§. 227.), ipſique ſine deliberatione loquuntur, quæ in mentem veniunt, & agunt, ad quod agendum occaſio ipſos invitat, ex more (§. 228.); familiaritas ducit ad intimiorem ſui & aliorum noſcentiam, ut amicus amici virtutes intellectuales & morales agnoſcat & in quonam alter ſit ſe ſuperior, in quonam inferior, conſequenter fieri nequit, quam ut unus alterum tanti exiſtimet, quanti meretur (§. 647. *part.* 1. *Jur. nat.*), ideoque etiam, remota omni ſimulatione & diſſimulatione, honorem ipſi exhibeat, quem meretur (§. 538. *part.* 1. *Jur. nat.*). Ipſa itaque familiaritas amicos impellit, ut unus alteri exhibeat honorem naturalem debitum. Quoniam vero hic ipſe honor jam concludit eum, qui ob merita in Remp. alicui debetur (§. *cit.*), tituli vero & præcedentia &, ſi qui alii actus ſunt ad honorem civilem exhibendum more introducti, absque illis ad vanitatem adſcribendi, ut parum pretii iisdem ſtatuant intelligentes; amici familiares eos parum curant, quamdiu familiariter converſantur. Enimvero quia inſerviendum eſt opinioni, cujus gratia honores civiles introducti, cum amicus quoque ſollicite caveat, ne ſiniſtris de amico judiciis faciat locum; ſi ſolus cum ſolo non converſatur, ipſa quoque familiaritas amicum familiarem impellit ad honorem civilem debitum alteri exhibendum. *Quod erat alterum.*

Qui converſationis familiaris notionem genuinam minime habent, & libertatem amico familiari conceſſam male interpretantur, neque amoris veri notionem tenent; ſibi perſuadere ſolent, honoris exhibitionem familiaritate tolli, ita ut amicum familiarem ſpectare debeamus tanquam nobis æqualem, &, cum eum conſideremus tanquam nos ipſos, nemo autem ſeipſum honoret, plebejo more cum eo converſandum ſit, ſepoſita omni civilitate, quaſi ruſticitas ſit familia-

Digitized by Google

ritati propria. Pro diverſitate itaque vitiorum multis modis deformatur familiaritas, ut mutet ſpeciem, nec amplius hoc nomen mereatur, ſi id accipias eo ſenſu, quem probat lex naturæ. Comparantur amici familiares fratribus: quaſi vero fratrum æqualitas indecoris moribus faveat, & fratrum quoque mores, quibus erga ſe invicem utuntur, aliam habeant normam, quam legem naturæ. Laſcivi equidem juvenes ac petulantes, ubi familiaritatem contrahunt, decoris & honeſtis moribus nuncium mittunt: aſt quis ex horum opinione de familiaritate ſtatuet, & ad ipſorum ſimilitudinem familiariter converſandum eſſe putabit? Quamvis enim a converſatione familiari tanquam ſuperflua excludantur, quæ ad ſignificandum exiſtimationem ac inprimis inæqualitatem civilem conſuetudo introduxit, cum præſertim in iisdem plurimum inſit vanitatis, parum plerumque veritatis, & ſi originem ſpectes, haud raro eadem ab adulatione & aſſentatione ſint deducenda, amicus vero certus ſit de vera exiſtimatione amici, ideoque maxime contentus his, quæ eam produnt; non tamen propterea inſuper habenda ſunt, quæ morum honeſtas & elegantia exigit, & quando ſolus cum ſolo non converſatur, dandum etiam conſuetudini eſt, quod conditio præſentium imperat, ne imprudentia præjudicemus tam nobis, quam amico.

§. 231.

De familiaritate inæqualium & num vera pariat contemtum.

Quoniam familiaritas non obſtat, quo minus unus alteri honorem debitum exhibeat, immo potius ad honorem debitum exhibendum impellit (§. 230.); hinc denuo patet, *familiaritatem ſubſiſtere poſſe etiam inter inæquales*: patet etiam, *verendum non eſſe, ne vera familiaritas pariat contemtum.*

Familiaritas in abuſum trahitur & ſpeciem mutat, quando contemtum parit. Faciunt huc, quæ jam ante annotavimus (*not.* §. 228. 229. 230.). Ex iis enim ſatis intelligitur, in quo-

quonam conſiſtat abuſus, ob quem familiaritas ſpeciem mutat. Quodſi familiaritatis individua comes ſit virtus, quemadmodum eſſe debet, cum a virtutis tramite nunquam ſit recedendum (§. 321. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*); verendum non eſt, ne familiaritate contaminetur converſatio, ut inde ſequantur, quorum nos pudeat, vel pœniteat.

§. 232.

Familiaritas cum hominibus male moratis & vitio deditis, itemque imprudentibus non contrahenda. Ad familiaritatem enim requiritur frequens converſatio (§. 175.). Cumque in ea nulla afferatur attentio ad actiones ſuas, ſed absque deliberatione dicatur, quicquid in mentem venit & ex more agatur, ad quod occaſio invitat (§. 228.); ſi is, cum quo frequenter converſaris, fuerit male moratus, aut vitio deditus, innumeræ ſunt rationes, cur actiones tuas ad ſimilitudinem alterius componere adſueſcas, aut tacite ſaltem mali mores & vitium ſeſe animo tuo inſinuent, quod exempla omnium facillime docent rite expenſa. Quamobrem familiaritas cum hominibus male moratis & vitio deditis non contrahenda. *Quod erat unum.*

Cum quibusnam familiaritas non contrahenda.

Quodſi amicus, cum quo frequenter converſaris, fuerit imprudens, cum imprudens non conſideret, quid vi circumſtantiarum præſentium fieri conſultius ſit (§. 776. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quæ in converſatione liberiori a te audivit, vel vidit, absque maligno in te animo propalat, aut ſaltem aliorum fidei committit, utut reticenda, propterea quod in præjudicium tui patet abuſus. Quamobrem cum imprudentibus familiaritas non contrahenda. *Quod erat alterum.*

Dudum obſervatum eſt, pravum ſodalitium corrumpere bonos mores: id quod tanto facilius contingit, ſi vivitur ad

 ſimi-

Digitized by Google

ſimilitudinem aliorum, & ſi mores boni aſſuetudini, non rationi accepti referendi ſunt. Quoniam hic caſus puerorum, adoleſcentium & juvenum eſſe ſolet, ideo his potiſſimum inculcatur, ut pravum ſodalitium vitent, & qui moribus ipſorum formandis præſunt, ſollicite cavent, ne cum male moratis & pravis converſentur. Enimvero vivunt etiam plerique ætate adulta ad ſimilitudinem aliorum, & virtutem magis aſſuetudine, quam rationis ducti colunt, ideoque ipſorum etiam moribus inſidias ſtruit familiaritas. Latent quoque in animis hominum inclinationes quædam ad malum, quæ in actus non erumpunt, deficiente occaſione, quæ rationes ad eos determinandum ſufficientes ſubminiſtrat, ut providentia divina celebranda ſit, quod nobis in hac rerum ſerie eum aſſignaverit locum, in quo rationes iſtæ deficiunt, ſicque malum, quod incurrere poteramus, a nobis averterit. Qui noſcentiæ ſui eam operam impendit, quam debet, quæ hic dicuntur in ſe ipſo facile experiri poterit. Cum nemo hominum inveniatur, qui ita moratus, ita animo conſtitutus ſit, ut ratio poſtulat; nemo quoque ſibi perſuadeat, ſe ſatis tutum eſſe ab inſidiis, quas familiaritas cum hominibus male moratis & vitio deditis ſtruit, ne improviſo morum malorum & vitii particeps fiat. Mali mores & vitia labe quadam inficiunt actiones hominum, ex alio prorſus fonte profluentes, per quas in familiari converſatione tacite immittuntur ſemina malorum morum & vitiorum in animum alterius eumque corruptioni obnoxium reddunt. Qui latebras & receſſus in animis hominum ſcrutatus eſt, in uſum ſuum convertens exempla, quæ non otioſo in theatro univerſi ſpectatori obtulit occaſio; veritatem eorum, quæ diximus, facile perſpiciet, nec attonitus hærebit, quando videt, quantum qui moribus bonis & elegantibus erat inſtructus & virtutis amans mutatus fuerit ab illo. Qui aut præjudiciis præpediti, aut craſſa rerum pſychologicarum ignorantia laborantes, aut acumine ſufficiente deſtituti capere nequeunt, dari infinita in anima, quorum ſibi conſcia non eſt, & quæ hoc non obſtante in ipſi-

ipſius modificationes, quarum ſibi conſcia eſt, tacite influunt, neſcio quid inſcrutabile in anima fingunt, ut ignorantiam & ablepſiam ſuam tegant, quando de ratione mutationis morum incidit quæſtio, ubi cauſa nulla in oculos incurrit, quibus ſolis videre volunt. Quantum imprudentia noceat, ſi non ſatis deliberato animo propalentur in converſatione familiari dicta, vel facta; exempla abunde docent, ut dudum inculcatum fuerit, ne quidem amico intimo eſſe prorſus fidendum. Regulæ nimirum prudentiæ, quæ ex communibus obſervationibus colliguntur, non ſufficienter determinatæ, ſed admodum vagæ ſunt, & haud raro non alio fundamento innituntur, quam quod factum eſt hoc tempore idem etiam fieri poſſe alio: id quod certe minimum probabilitatis gradum conſtituit, ſi de caſu præſente quæſtio eſt.

§. 233.

Quoniam familiaritas cum hominibus male moratis & vitio deditis, itemque cum imprudentibus non contrahenda (§. 232.); *multa cautione opus eſt, antequam aliquem in familiaritatem recipias, inquirendum* nimirum *eſt in ejus mores, animum & vitam &, antequam ſatis eum cognoveris, abſtinendum eſt ab iis, quæ familiari converſationi propria ſunt* (§. 228.), *quando cum eo converſaris.* *Qua cautio ne ideo opus ſit.*

Dividenda eſt familiaris converſatio a communi. Converſari poſſumus cum hominibus quibusvis, prout tulerit occaſio, non tamen neceſſe eſt, ut familiaris ſit converſatio. Cautione & circumſpectione opus eſt, ne noxia evadat, afferendo nimirum omnem attentionem ad ea, quæ loquimur & agimus, ne quid dicamus, vel faciamus, quod in præjudicium nobis verti poteſt, nec minus ponderando verba & facta alterius, num in iis reperiatur, quod reprehenſionem mereatur, & a quo nobis cavendum.

Digitized by Google

§. 234.

Quænam ad familiaritatem maxime faciant.

Familiaritati maxime convenit morum ac vitæ ſimilitudo. Cum enim mores conſiſtant in modo conſtante ac perpetuo determinandi actionem dati generis, vel ſpeciei, ſeu identitate agendi in eodem caſu (§. 687. *part. 2. Phil. pract. univ.*); quorum iidem ſunt mores, hi iisdem actionibus delectantur (§. 156. *part. 2. Eth.*), conſequenter actiones unius placent alteri (§. 542. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum ſe mutuo ament (§. 645. *Pſych. empir.*), in amore autem mutuo amicitia conſiſtat (§. 625. *part. 1. Jur. nat.*); ſibi mutuo amici ſunt. Et quoniam iisdem actionibus delectantur *per demonſtrata*, conſequenter jucunda eſt eorum converſatio; ad amicitiam frequens converſatio accedit (§. 156. *part. 2. Eth.*). Quoniam itaque amicitia ſpecialis frequente converſatione confirmata familiaritas eſt (§. 175.), morum ſimilitudo familiaritati maxime convenit. *Quod erat unum.*

Quorum idem vitæ genus eſt, hi dignitate æquales ſunt, conſequenter neuter ab altero prætendere poteſt, ut majoris ab ipſo fiat, quam ipſe eundem facit (§. 839. *part. 1. Jur. nat.*). Cumque hominum mos ſit loqui de eo, quod ad vitæ ſuæ genus ſpectat, in familiari autem converſatione verba miſcentur de iis, quæ unicuique in mentem veniunt (§. 228.); in converſatione non deficit materia loquendi, quæ parti alteri minus moleſta accidunt. Quamobrem inter eos locus eſt familiari converſationi (§. *cit.*), ideoque familiaritati maxime convenit vitæ ſimilitudo. *Quod erat alterum.*

Propoſitio præſens a poſteriori adeo manifeſta eſt, ut dudum in proverbium abierit, ſimilem ſimili gaudere. Ineſt homini naturalis quædam inclinatio, qua fertur ad ſocialitatem, quamvis dentur rationes diverſæ, ob quas vita ſolitaria nonnullis videatur præferenda, & moleſta accidat cum aliis con-

Digitized by Google

converſatio. Quando vero de iis agimus, quæ ex natura hominis ſequuntur, impedimenta ſeponimus, quæ ex accidente ſuperveniunt: id quod probe notandum, neque enim alias de veritate rerum moralium conſtare poteſt. Neque hoc ſingulare eſt in Philoſophia morali: idem enim obſervatur cum in Matheſi, tum in Phyſica, veluti cum in illa agitur de motu in vacuo, ſepoſita reſiſtentia medii, aut in hac quæritur, quemnam effectum data cauſa producere poſſit, non attentis aliis ex accidente concurrentibus, & effectum vel impedientibus, vel alterantibus. Solent autem homines ſe ſociare ſuis ſimilibus, ſimilitudinem vero æſtimant tum ex morum identitate, tum ex eodem vitæ genere. Ita videas Aſtronomos familiaritatem contrahere cum Aſtronomis, Algebraiſtam cum Algebraiſta, Philoſophum cum Philoſopho, cumque ſui ſimiles vix reperiant in eo, quo vivunt, loco, in literis converſantur abſentes cum abſentibus. Quemadmodum vero vera familiaritas confunditur cum ſpuria perinde ac vera amicitia cum falſa, cui per abuſum id nominis tribuitur; ita etiam videas certo vitio deditos amore eos proſequi, & familiariter vivere cum iisdem, qui eodem vitio delectantur, ipſosque ſceleſtos ſociari ſui ſimilibus, ita ut in proverbium abierit, noſci ex ſocio, qui non cognoſcitur ex ſe. Non vero eſt quod mireris ubi de familiaritate veri nominis agitur, ad ſpuriam provocari, ut propoſitionis præſentis confirmetur veritas. Etenim ubi oſtendendum, cum quibusnam contrahenda ſit familiaritas, et quænam eandem facilitent, ſufficit ad ea provocare, in quæ appetitus hominum per naturam propendet, ſepoſita tantiſper moralitate, quæ in præſenti non attenditur. Spectandi igitur veniunt hominum mores, quales ſunt, non quales eſſe debent. Quod vero homini naturale eſt, ſeu phyſicum in moribus, non minus deprehenditur in moribus pravis, quam bonis. Quodſi enim mores pravi adeo repugnarent naturæ humanæ, ut per eam ad actum perduci minime poſſent; pravi mores non darentur. Ipſi igitur naturæ humanæ inſunt, quæ per ſe bona eſt, quæ pra-

vos mores perinde ac bonos faciunt extrinſece poſſibiles. Inde eſt, quod exempla quoque prava prodeſſe poſſunt ad profectum in bono, quatenus imitamur quod phyſice bonum eſt, ſicuti Chriſtus prudentiam diſci jubet ex fraudibus a malo deſpenſatore commiſſis, *Luc. XVI. & ſeqq.* Ceterum quod ii, qui certum vitæ genus ſequuntur, de iis in converſatione loquantur, quæ ad idem ſpectant, non minus obvium eſt, ut Poëta dudum cecinerit: Navita de ventis, de tauris narrat arator. Inde quoque eſt, quod, qui in calculis algebraicis omnem vitam conſumunt, cum non reperiant in eo loco, in quo degunt, cum quibus de formulis algebraicis colloquantur, ad converſationem cum aliis ſint inepti.

§. 235.

Quinam in eam recipiendi.

Quoniam familiaritati maxime convenit morum ac vitæ ſimilitudo (§. 234.), amicitia vero vera abſque virtute non concipiatur (§. 179.), ideoque nec vera familiaritas (§. 175.); *in familiaritatem recipiendus non eſt, niſi cujus virtutes nobis ſunt exploratæ, & ſi non prorſus idem, non tamen prorſus diſſimile vitæ genus ſequitur.*

Ita nimirum demum cavetur, ne familiaritas evadat damnoſa, & fructibus ejus fruetur, qui in ſpuria ſperandi non ſunt. Vide, quæ ſupra de amicitia contrahenda annotavimus (*not.* §. 179. 180.).

§. 236.

De mediis inimicitiam vitandi & extingvendi.

Media vitandi odium & extingvendi ſunt etiam media vitandi inimicitiam eandemque extingvendi. Quoniam enim inimicus eſt, qui odio nos proſequitur (§. 626. *part. 1. Jur. nat.*); qui inimicitiam vitare vult vitare debet odium alterius, hoc eſt, ſibi cavere, ne in alterius odium incurrat. Quamobrem quæ de modo vitandi odium alterius demonſtrata ſunt (§. 302. & *ſeqq. part. 2. Eth.* & §. 131. *h.*); ea obſervanda ſunt,

tibi cavere velis, ne alios tibi reddas inimicos. Media igitur vitandi odium ſunt etiam media vitandi inimicitiam. *Quod erat unum.*

Similiter quoniam inimicus te odio proſequitur (§. 626. *part.* 1. *Jur. nat.*), ſi velis, ut inimicus eſſe deſinat, neceſſe eſt, ut odium deponat. Quamobrem quæ de odio extingvendo demonſtrata ſunt (§. 451. & *ſeqq. part.* 2. *Eth.*); ea tibi obſervanda ſunt, ſi inimicitiam extingvere velis. Media igitur extingvendi odium ſunt etiam media extingvendi inimicitiam. *Quod erat alterum.*

Quæ de odio vitando & extingvendo demonſtravimus, cum de affectibus ſedandis ageremus, admodum generalia ſunt, pro quibus in caſu dato ſubſtituenda ſpecialia ſub iis contenta, quæ circumſtantiæ caſus præſentis produnt. Quodſi ad caſus particulares deſcendere vellemus, ingens naſceretur dicendorum campus, quem ingredi non permittit præſentis inſtituti ratio. Sane non modo caſum variant rationes, ob quas odium concitatur, verum etiam in odio præſertim extingvendo vitia inimici, quibus indulgeat, impedimenta haud raro invincibilia objiciunt, ut inimicitia reddatur inſanabilis nonniſi cum vitio, quod morbus inſanabilis eſt, eradicanda: id quod cum prævideatur, quemadmodum prævideri poteſt, ſi alterius mores intimius perſpexeris, tanto ſollicitius cavendum, ne in odium ejus incurras, conſequenter ne ad inimicitias venias. Ex his ipſis autem, quæ modo diximus, intelligitur, quænam in applicatione regularum generalium ad caſus datos ſint obſervanda; modo in Pſychologia & Ethica ſatis fueris verſatus & intellectu recte uti didiceris, quemadmodum in parte prima Ethicæ oſtendimus, cum de eo perficiendo ageremus. Plurimum huc facit noſcentia aliorum, quæ noſcentiam ſui ſupponit, difficultatibus obnoxiam (§. 36. *part.* 4. *Eth.*) non adeo facile tollendis (§. 37. *part.* 4. *Eth.*). Non igitur eſt, quod miremur, ſi qui ſibi videntur philoſo-

phi inſtinctu aliquo divino Muſarum facti, cum ſibi probe conſcii ſint, ſe philoſophiæ ne minimum quidem operæ navaſſe, medicamenta, quæ pro curandis animi morbis præſcribuntur, carere ea virtute, quæ ipſis adſcribitur, audacter pronunciant, propterea quod non capiunt, in quonam ea conſiſtat, nec videre poſſunt, cur malo vincatur medicamentum. Quod vitiis ipſorum inveteratis, quæ nimis altas in animo radices egerunt, medicina nimis ſero paretur; ex malo ſuo immedicabili de efficacia medicamentorum nimis præcipitanter ſtatuunt. Dant vero præcipitantiæ ſuæ pœnas, qui adeo abhorrent ab intellectu ſyſtematico, cujus nullam notionem habent, differentiam vero a non ſyſtematico expoſuimus in Horis ſubſecivis Marburgenſibus A. 1729. trimeſt. brum. III. Nullus itaque dubito fore, ut in præcavendis & extingvendis inimicitiis, quantum in poteſtate noſtra eſt, non ſine ſucceſſu utatur mediis, quæ hic a nobis præſcribuntur, qui induſtriam ſuam in ſe deſiderari minime patitur: id quod etiam de ceteris philoſophiæ moralis capitibus tenendum.

§. 237.

Signum inimicitiæ. *Qui tibi quocunque modo moleſtiam creare intendit, ſe tibi inimicum probat.* Etenim cum tædium tuum appetat, qui moleſtiam tibi creare quocunque modo intendit (§. 616. *part. 1. Phil. pract. univ.*), qui vero tædium tuum appetit, te odio proſequatur (§. 669. *Pſych. empir.*); qui quocunque modo moleſtiam tibi creare intendit, eo ipſo odium erga te ſuum prodit. Quoniam itaque inimicus tuus eſt, qui te odio proſequitur (§. 626. *part. 1. Jur. nat.*); qui tibi quocunque modo moleſtiam creare intendit, ſe tibi inimicum probat.

Habes hic ſignum minime fallax, ex quo inimicus agnoſcitur. Probe tamen ponderanda ſunt, quæ hic dicuntur, ne perverſa interpretatione propoſitio in abuſum trahatur. Non dicimus, hunc ſe tibi inimicum probare, qui ea dicit, vel facit, ex quibus tu moleſtiam percipis, ſed qui dictis, vel

factis

factis ſuis moleſtiam tibi creare intendit. Plurimum enim hæc duo inter ſe differunt. Etenim qui moleſtiam tibi creare intendit, quicquid dicit, vel facit, non alio fine dicit, vel facit, quam ut moleſtia afficiatur animus tuus (§. 616. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ex moleſtia tua voluptatem percipiens (§. 156. *part. 1. Eth.*). Enimvero ſi officium quoddam ſive erga Deum, ſive erga ſeipſum, ſive etiam erga alios urget, ut dicas, vel facias, quæ tibi moleſta accidunt & animum plurimum inquietant; inde nondum colligere potes inimicum erga te animum, cum invitus hæc dicat, vel faciat (§. 581. *part. 1. Phil. pract. univ.*), propterea quod ob indiſpenſabilem obligationem naturalem (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*) officium, quod Deo, vel ſibi ipſi, aut aliis debet negligere non poteſt. Ponamus hominem faſtoſum & imprudentem cupidine vindictæ abreptum alterius famæ ignominiæ notam inurere absque ulla ipſius culpa. Conſtat unicuique non modo competere jus famam ſuam defendendi, verum etiam unum quemque obligari ad eam defendendam (§. 1033. *part. 1. Jur. nat.*). Fama & exiſtimatio defenduntur verbis, oſtendendo falſitatem eorum, quæ dicuntur, aut veritatem contrarii, fidemque calumniatoris labefactando (§. 1049. *part. 1. Jur. nat.*). Labefactanda autem eſt injuriam afferentis fides, ſi ea ipſius ſit auctoritas, ut alii facilem eidem habeant fidem (§. 1055. *part. 1. Jur. nat.*). Quamvis itaque moleſtiſſimum accidat homini arroganti & faſtoſo atque ſuperbo, ſi adverſus eum dicuntur, ex quibus noſcitur, qualis ſit, ut vana, quam affectabat, gloria cadat, & ab ipſo vulgo derideatur; non tamen propterea dici poteſt, defenſorem famæ ſuæ intendere detrimentum famæ ipſius. Qui enim ſe defendit, ex malo, quod ſui defendendi gratia alteri inferendum, voluptatem nullam percipit (§. 994. *part. 1. Jur. nat.*), nec ex tædio ejus, contra quem ſe defendit (§. 995. *part. 1. Jur. nat.*): quod enim facere tenetur ſui defendendi cauſa, nullo facit in adverſarium odio (§. 996. *part. 1. Jur. nat.*), nec animo inimico (§. 997. *part. 1. Jur. nat.*), ſed ab omni vindictæ cupidine alieno (§. 999.

part. 1. Jur. nat.). Patet itaque ex juſta iſtiusmodi defenſione non colligi poſſe inimicitiam, niſi intentio moleſtiam alteri creandi aliunde colligatur. Diſtingvenda hic quoque eſt voluptas, quæ percipitur ex eo, quod periculum famæ auctoritate laceſſentis fracta fuerit depulſum, a voluptate, quæ percipitur ex detrimento famæ partis adverſæ: neque enim in caſu priori læſi doloris remedium eſt inimici dolor, qui vindictæ cupidinem prodit. Accedere poſſunt ad juſtam famæ ſuæ defenſionem cauſæ aliæ, quæ eam in officium publico debitum convertunt, veluti ſi adverſarius auctoritate ſua abutitur ad doctrinam ſolidam ſupprimendam & ſuperficiariam propagandam, injurioſus in ipſum genus humanum. Quamobrem ſi viri boni & intelligentes applaudunt defenſori, quod adverſarium adeo depexum ad incitas redegerit, ut ne hiſcere quidem audeat, ſed inepta ſimulatione, quam indocta imprudentia faſtu occæcato dictitat, generoſum animum ſilentio obtendat; nec eorum inde colligi poteſt adverſus hominem inſulſum odium, ſi vel maxime inſulſitas videatur: odiſſe enim vitium non idem eſt ac odiſſe perſonam. Videmus itaque quanta cautione opus ſit, ſi inimicus erga alterum animus ſit colligendus ex dictis & factis, quæ huic moleſtiam creant. Et hoc ipſum exemplum, quod in medium attulimus, docet, quomodo procedendum ſit in caſibus aliis, ne intentionem moleſtiam creandi alteri tribuas ei, cujus animus omni erga alterum odio vacuus eſt. Ad imputandum malignum animum requiritur veritatis evidentia, nec ſufficit aliqua ſaltem probabilitas, vel levis quædam ſuſpicio, præſertim cum etiam aliquid dandum ſit infirmitati humanæ, ſi vel maxime contingat voluptati licitæ tacite quoque commiſceri quidpiam illicitæ. Nemo eſt qui neſciat juſto dolore excuſari ipſum exceſſum in defenſione commiſſum, ut hic videatur magis condonandus, quam imputandus. Multo minus itaque nimia erga defenſores famæ indulgentia accuſari poterit, ſi ad imputandum inimicum animum requiramus manifeſta adverſario moleſtiam creandi indicia. Nullam

lam habet rationem conquerendi de injuria a defenſore ſuæ famæ facta qui eandem lacerare auſus fuit; ſed ipſius potius eſt, ut ſe noſcere diſcat & poſthac cautius mercari, correctis moribus & imprudentia, nec ſibi perſuadeat, ſe oculatioribus ſimulatione minus artificioſa adeo facile imponere poſſe.

§. 238.

Quoniam ſe tibi inimicum probat, qui quocunque modo moleſtiam creare intendit (§. 237.), intentionem autem hanc prodit, qui de moleſtia tibi creata gloriatur, utpote lætatus quod fine intento non exciderit; *ſi quis gloriatur, quod tibi moleſtiam creaverit quocunque modo nocendo, is inimicum ſe tibi probat.* *Quando intentio iſta prodatur.*

Prodit hoc modo intentionem alteri moleſtiam creandi, qui dixit, vel fecit, ex quo moleſtiam percipit, ut verbis opus non ſit, ubi rerum teſtimonia adſunt. Immo nec eſt quod putes, eum inimicum adverſus alterum animum diſſimulare velle, niſi fuerit homo rerum moralium prorſus ignarus, ut nec de actionum moralitate, nec de diſſimulatione ulla mentem ipſius ſubeat cogitatio. Dantur omnino homines, qui ſibi gloriæ ducunt, quod graviſſimam experiantur alii ſuam inimicitiam.

§. 239.

Similiter quoniam ſe tibi inimicum probat, qui quocunque modo moleſtiam creare intendit (§. 237.), ſi quis dixit vel fecit, ex quo moleſtiam percipere potes, &, ubi audit quanta moleſtia afficiatur animus inde tuus, lætatur; cum ex moleſtia tua voluptatem percipiens eam appetat (§. 156. *part. 2. Eth.*), conſequenter conſecutus ſit, quod intenderat (§. 616. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *ſi quis dixit, vel fecit, ex quo moleſtiam percipit alter, atque lætatur, quando intelligit, quod eandem actu percipiat, is ſe tibi inimicum probat.* *Unde ea intelligatur.*

Notum

Notum eſt, quod qui dicunt vel faciunt, quodcunque alteri moleſtum accidere poteſt, eo fine ut moleſtiam ipſi creent; dictis & factis ſuis delectari, quatenus prævident, ipſum inde moleſtiam percepturum, ita ut voluptas ex moleſtia ab ipſo percipienda, quam prævident, ipſa dicta & facta delectabilia faciat. Si dicta & facta accurate ponderentur, ſpectatis omnibus circumſtantiis, voluptas ex prævifione nata haud obſcure conſpicitur. Influunt inprimis in verborum complexionem & in tropos affectus, conſequenter in caſu præſenti etiam odium, quod in voluptate ex alterius moleſtia percepta conſiſtit (§. 665. *Pſych. empir.*). Immo influunt etiam mores. Quamobrem ad animum alterius intimius perſpiciendum plurimum facit verborum omnium & complexionis eorundem accurata ponderatio. Multa cautione opus eſt, niſi verba prodere debent, quæ diſſimulanda ſunt. Ac inde naſcuntur inepte ſimulantium contradictiones, ut, ſi præſertim facta ad verba accedant, non modo contrarium ejus prodatur, quod ſimulatur, verum etiam imperitus ſimulator ſe nudum conſpiciendum præbeat acutioribus, quorum acumen perſpicillis pſychologicis juvatur. Optandum foret, ut character eruditorum, inter quos controverſia eſt, hoc modo delinearetur: hoc enim modo non ſolum aditus pararetur ad ulteriora, ſed qui controverſias inter ſe habent, cautius quoque mercari diſcerent ac famæ ſuæ rectius conſulerent. Gignit quoque philautia voluptatem, quatenus moleſtiam alteri creaturus in loquacitate ſuas argutias, in factis callliditatem ſuam adulatur, quæ perverſe prudentiam imitatur. In voluptate igitur, quam creat alteri moleſtiam afferendi cupido, æſtimanda plurima attendenda veniunt, ut circumſpectum ſit de ea judicium, quale omnino eſſe debet, ſi alia inde inferenda, quæ veritati conſentanea ſunt.

§. 240.

Inimicitiam adverſari

Naturæ humanæ maxime adverſatur inimicitia. Etenim naturæ humanæ maxime convenit dilectio univerſalis (§. 85.), ad

ad ipſos inimicos extenſæ (§. 86.), & determinationi naturali *naturæ hu-* appetitus ad ſui conſervationem, perfectionem & multipli- *manæ.* cationem naturaliter ineſt ejusdem determinatio ad appetendum ſocietatem & ad inſerviendum aliis (§. 39. *part. 2. Eth.*), ipſaque natura ſocietatem inſtituit inter omnes gentes (§. 7. *Jur. Gent.*), communis boni conjunctis viribus promovendi cauſa (§. 8. *Jur. Gent.*), ita ut totum humanum genus foret felix, ſi unusquisque alterum diligeret tanquam ſeipſum conſequenter ſi omnes ſibi mutuo eſſent amici (§. 172.), totum genus humanum foret felix (§. 83.), ſicque appetitus hominum, qui per naturam ſuam determinatus eſt ad appetendum felicitatem (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), ſatiaretur, quantum datur. Enimvero inimicus alterum odit, & inter quos inimicitia eſt, hi mutuo odio ſe invicem perſequuntur (§. 626. *part. 1. Phil. nat.*), conſequenter ſibi mutuo tædia creare ſtudent, ac impedire, quo minus voluptate perfruantur (§. 671. *Pſych. empir.*), odio tendente ad promovendam mutuam infelicitatem & impediendam, vel depellendam felicitatem alterius (§. 308. *part. 2. Eth.*), quamvis uterque per naturam ſuam infelicitatem averſetur (§. 325. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Patet itaque naturæ humanæ maxime adverſari inimicitias.

Paradoxum forſan videbitur nonnullis, inimicitiam naturæ humanæ maxime adverſam dici, cum videamus indies, quantum inimicitiæ indulgeant homines & quam rara ſit vera amicitia, ita ut amicitia, quæ maxima putabatur, in inimicitiam internecinam ſubito vertatur. Et qui de raritate amoris ſinceri conqueruntur, haud raro naturam humanam accuſant, quod in inimicitiam prona ſit. Immo nec deſunt, qui ſibi perſuadent, ſi inimicitia adverſaretur naturæ humanæ, impoſſibile fore, ut quis inimicum erga alterum indueret animum. Enimvero hi omnes non ſatis intelligunt, quid ſit

natura humana, nec eam conſiderant, qualis in ſe eſt & ab autore Deo profecta. Quamobrem ut dubia iſta ſua veluti ſponte in auram abeant, non alia re opus eſt, quam ut ea perpendantur, quæ de natura humana, inclinationibus præſertim & reclinationibus naturalibus, & de illius corruptione in parte ſecunda Ethicæ demonſtravimus. Deus qui ſerio vult felicitatem hominis (§. 706. *part. 1. Theol. nat.*), eum fecit, ut & ſibi, & aliis utilis eſſe poſſit, felicitatis veræ conſequendæ cauſa. Quamobrem ſi rationi obſecutus felicitati ſuæ atque aliorum ſtudet, vitam hominis vivit, quemadmodum naturæ ipſius convenit. Quodſi ergo homines omnes vitam hominis viverent, nec a rationis ſemita ad avia declinarent, inimicitia nulla audiretur. Enimvero naturam humanam exeunt, qui mutuis odiis effervеſcunt & de injuriis inferendis infeſtiſſime inter ſe contendunt. Naturæ humanæ parum convenit, ut homo homini lupus ſit, cum, ſi rationem audias, quæ hominem a brutis diſtingvit, nihil utilius homine eſſe debeat homini, nec aliter appetitui hominis, qui per naturam ſuam fertur in felicitatem (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), ſatisfieri poſſit. Eluceſcit vero hinc turpitudo inimicitiarum naturalis: quis enim eſt, quem non pudeat, ſi belluis aſſocietur, ut ideo bellua per convicium in hominem dicatur? Aſt quot, quæſo, ſunt qui ſatis perpendunt, quod naturam humanam exuant, ſi hoſtili in alios ſint animo?

§. 241.

Inimicitia infelicitatis cauſa.

Inimicitiæ miſeriam humanam pariunt hominesque infelices reddunt. Quoniam enim inimici ſe mutuo odio proſequuntur (§. 626. *part. 1. Jur. nat.*), qui vero alterum odit, tædia ſive moleſtias eidem creare ſtudet (§. 672. *Pſych. empir.*); inimici habent animum ſibi invicem moleſtiam creandi, nec ullam prætermittunt occaſionem, qua quomodocunque unus alterum moleſtia afficere poteſt, ſed eandem potius ambabus manibus amplectuntur. Ea igitur dicunt & faciunt pro viri-

virili, ex quibus alterum moleſtiam capere poſſe putant. Quamobrem unus alteri afferre ſtudet malum, quo affligitur, vel affligi poteſt. Cum itaque miſeria ſit ſtatus, qui determinatur per mala, quibus homo, vel actu affligitur, vel affligi ſaltem poteſt, ſi animum ad ea attendit & cogitationes ſuas in iisdem defigit (§. 329. *part. 2. Eth.*); inimicitiæ miſeriam humanam pariunt. *Quod erat unum.*

Similiter quia inimicus nos odit (§. 626. *part. 1. Jur. nat.*), odium vero tendit ad promovendam infelicitatem & impediendam, vel depellendam felicitatem alterius (§. 308. *part. 2. Eth.*); inimicus nos infelices reddere, felicitate autem privare & quo minus felici ſimus impedire ſtudet. Inimicitiæ igitur homines reddunt infelices. *Quod erat alterum.*

Diſtinximus miſeriam ab infelicitate (§. 329. *part. 2. Eth.*), cum ea per ſe hominem non reddat infelicem (§. 330. *part. 2. Eth.*), quatenus tamen hominem privat iis, quæ ad felicitatem ejus quidpiam conferre poterant, cum miſeria connexa eſt infelicitas quædam privativa, quæ, ſi animus ad carentiam bonorum attendatur, in poſitivam abit, niſi voluptas aliunde percepta prædominetur (§. 331. *part. 2. Eth.*). Quamvis vero is demum infelix ſit, qui malo affligitur, non vero qui idem æquo fert animo; conſtat tamen admodum difficile eſſe mala, quæ nobis faciunt homines inimici, æquo animo ferre, & complures eſſe cauſas, quæ impediunt, quo minus æquo animo ferantur. Miſeria igitur, quam parit inimicitia, tantum non ſemper infelicitatem habet comitem pro ea, quæ communis eſt, hominum conditione. Aſt cum in Philoſophia morali ſtandum ſit veritate, miſeriam ab infelicitate dividere tenemur, cum hominum vitio vel culpa accidat, ut miſeria infelicitatem individuam habeat comitem, qua carere poterat. Quodſi inquiras in cauſas moleſtiarum, quibus torquetur animus hominum, in cauſas malorum, quibus is affligi poteſt; quantum ad miſeriam humanam, quantum ad infelicitatem

Digitized by Google

conferant inimicitiæ, ſatis ſuperque apparet. Quamvis enim plurima dentur mala, quæ fortunæ adverſæ tribuenda, nec a facto hominum dependent, non tamen omnis miſeria humana inde derivanda, ſed magnam omnino partem ſibi vindicat inimicitia, præſertim ſi ea tam lato ſenſu accipitur, qui eidem convenit, hoc eſt, ſi odio in alios æquiparetur. Conqueruntur homines plurimum de miſeria & infelicitate humana, quam ab illa non dividunt: non vero attendunt, quod querelæ iſtæ tantæ non forent, ſi ab inimicitiis naturæ humanæ tantopere adverſis (§. 240.) abſtinerent, easque cane & angve pejus fugerent. Oſtendimus ſupra, ſi unus quisque hominem quemcunque alium diligeret tanquam ſeipſum, totum genus humanum fore felix (§. 83.), defectui vero dilectionis univerſalis tribuendum, ideoque multo magis odio, quo homines erga ſe invicem flagrant, ne felix eſſe queat (§. 84.). Miſeria igitur humana atque infelicitas multum imminueretur, ſi inimicitiæ profligarentur. Quamvis itaque fieri haud quaquam poſſit, ut dilectio univerſalis omnibus perſuadeatur, & odium erga alios prorſus extirpetur; noſtrum tamen eſt, ne inimicum erga alios animum induentes, aut alios nobis inimicos reddentes miſeriam humanam multiplicemus & tam nos, quam alios infelices reddamus. Ceterum cum lex naturæ inimicitiam omnem damnet (§. 628. *part. 1. Jur. nat.*), atque urgeat, ne alios nobis inimicos reddamus (§. 634. *part. 1. Jur. nat.*); felicitati noſtræ conſulit & miſeriis opem fert. Quotquot igitur aliorum mores formare debent, propoſitionem præſentem omni animi contentione iisdem inculcare debent. Patet vero etiam, quam turpe ſit homini inimicum erga alios habere animum. Bonus mundi civis non eſt, qui miſeriam humanam auget & concivium ſuorum, hoc eſt, aliorum hominum infelicitati ſtudet.

§. 242.

De ſtultitia ejus, qui ini- Quoniam inimicitiæ miſeriam humanam pariunt, hominesque infelices reddunt (§. 241.), *qui de miſeria humana &*

& infelicitate conqueritur, inimicitiis vero locum facit, cum miſeriam & infelicitatem vitare in votis habeat, ea vero faciat, quæ miſerum ac infelicem faciunt, *ſtultus eſt* (§. 458. *part.* 1. *Eth.*). *micitiis locum facit.*

Exemplum eſto homo, qui gloriam avide inhiat, ſed aliorum odium in ſe provocat, qui quam parum gloriæ mereatur, oſtendere valent. Inprimis autem ſtultitiam ſummam prodit, ſi vanam gloriam affectans aliorum famam lacerat, ut ad eam defendendam gloria ipſius ſuo modulo ſit metienda, atque minimorum numero aſſocianda, absque ullo in ipſum odio. Multi conqueruntur de miſeria humana & naturam quaſi novercam accuſant, quando ſtultitiæ ſuæ meritas dant pœnas. Nunquam autem magis abſurdæ ſunt iſtiusmodi querelæ, quam ſi funduntur ab homine, qui Philoſophus audire vult, immo ſupra omnes eminere.

§. 243.

De cauta converſatione cum amicis.

Cum amico ita converſandum, ut cogitemus fieri poſſe, ut evadat inimicus. Quoniam enim inimicus te odit (§. 626. *part.* 1. *Jur. nat.*), qui vero te odit, tædia tibi creare & quo minus voluptate perfundaris impedire ſtudet (§. 671. *Pſych. empir.*); inimicus occaſionem tædia ſive moleſtias tibi creandi & quo minus voluptate perfruaris impediendi quærit & oblatam ambabus manibus amplectitur. Cum itaque plurimæ ſint cauſæ, cur qui tibi amicus eſt inimicus fieri poſſit, quemadmodum indies experimur, nec ſempiterna eſt amicitia niſi cum eo, qui virtutem colit, cum iis vero, qui vitio dediti ſunt, ſempiterna eſſe nequeat (§. 196.), perfecta vero virtus in hominem non cadat, immo vix ullus ſit, in quo non aliqua vitii cujusdem labes hæreat, conſequenter pro certo habendum non ſit fieri haud quaquam poſſe, ut is, quo amico uteris, inimicum in te induat animum; nihil dicendum, nihil

faciendum, quod in præjudicium tui vertere poſſit qui ex amico factus inimicus. Quamobrem ne dictorum vel factorum nimis ſero nos pœniteat, cum amico ita converſandum, ut cogitemus fieri poſſe, ut evadat inimicus.

Si qui amicus fuerat evadat inimicus, cum habeat animum tibi nocendi, dubium non eſt, quin ex dictis & factis tuis nocendi anſam arripiat, præſertim quando recens odium flagrat. Si qua enim non deſunt, quæ in præjudicium tui verti poſſunt, occaſio nocendi in promptu eſt, quam utique non negliget ad nocendum tibi paratus. Cum ſapientis proprium ſit nihil quod pœniere poſſit facere; cautione iſta maxime opus eſt. Et quoniam ſapientes eſſe debemus (§. 254. *part. 1. Jur. nat.*); nihil quoque in eo committitur, quod ſit amicitiæ adverſum, cujus cum norma ſit lex naturæ (§. 171.), nihil quoque contra eandem eſſe poteſt, quod legi naturæ conſentaneum. Conſiderandum hic quoque eſt, quod ipſa amicitia culpa quadam tua ſive vera, ſive apparente, hoc eſt, opinione alterius, qui ſe a te offenſum putat, tali in inimicitiam converſa cupidinem vindictæ inflammet. Quis enim eſt qui neſciat, offenſam graviorem haberi, ſi ab eo proficiſcatur, cui bene cupiebamus, quam ſi ab alio, quatenus nimirum indignus cenſetur amore, quo ipſum proſecuti ſumus. Cauſa nimirum, cur amicitia in inimicitiam vertatur, vel penes te eſſe poteſt, vel penes alterum, & in caſu priori non tuo ſtandum eſt judicio, ſed opinione alterius. In tanta rerum ambiguitate cum de futuris non certum ſit judicium, nunquam ſatis cauta cum amicis eſſe poteſt converſatio, neque verendum, ne in cautione committatur exceſſus, nec uſlibi magis, quam hic valet pervulgatum iſtud, ſuperflua non nocere.

§. 244.

Si amicitia vitatur ra-

Quoniam cum amico ita converſandum, ut cogitemus fieri poſſe, ut inimicus evadat (§. 243.), amor vero alterius erga

erga nos concitetur eo, quod ipſi in nobis placet (§. 645. *Pſych. empir.*), conſequenter amicitia, quæ nobis cum eodem intercedit, particulari quadam ratione nitatur, ultra quam nec nobis bene cupit (§. 291. *part. 2. Eth.*), multo autem facilius contingat, ut dicta vel facta noſtra in præjudicium noſtrum vertat, *ubi particulari ſaltem ratione amicitia nititur;* in hoc caſu *multo magis ita converſandum cum amico, ut cogitemus fieri poſſe, ut ſe nobis inimicum præbeat,* conſequenter *ne dicamus, vel faciamus, quod pœnitere poſſit, ratio particularis amicitiæ in perpendendis dictis & factis ſemper attendenda.*

tione particulari.

Majore omnino cautione opus eſt in converſatione, ſi particulari ſaltem quadam ratione amorem alterius tibi conciliaſti, quam ſi amore, qualem exigit lex naturæ, & qui nulla ratione particulari limitatur, frueris. Verus enim amicus is nondum eſt (§. 171.), conſequenter nec tuto confidendum amicitia ejus. Cum amore conſiſtere poteſt odium particulare, quod vires capit occaſione oblata. Geometria amat Geometram, ſed ſi is fuerit ambitioſus, non alia de cauſa, quam quia laudari magnique fieri ab ipſo cupit. Quodſi itaque alter dicat vel faciat, quæ laudi ſuæ adverſa judicat, qui erat amicus acerrimus fit inimicus. Amicitiæ igitur iſtiusmodi parum tribuendum: immo ſi eam ad vivum reſeces, revera nulla eſt, cum laudi a ſe ſibi tribuendæ unice inhians non tam te amet, quam ſe ipſum, tuumque commodum promovendo amorem tuum erga ſe mercari ſtudeat, ut habeat laudum ſuarum præconem, ſive meritarum, ſive immeritarum. Uſui hic ſunt, quæ in parte ſecunda Ethicæ de inclinationibus naturalibus dicta ſunt, & inprimis etiam habenda eſt ratio vitiorum, quæ in determinationem voluntatis influunt, in decernendis iis, quæ ad te ſpectant. Quodſi homines omnes virtutes omnes colerent, quemadmodum debebant, in converſatione cum iisdem tanta circumſpectione non foret opus. Aſt cum contrarium obtineat, prudentia exigit, ut omni circum-

cum-

cumſpectione utamur. Prudentis eſt proſpicere futura, quæ quomodocunque in determinationem actionum præſentium influere poſſunt (§. 470. *part. 1. Eth.*), veluti conſiderando, quænam ex accidente conſequi poſſunt ex actione præſente (*not. §. cit.*), in caſu quidem præſente, ſi ponatur amicum evadere inimicum, aut ſi amicitia ratione quadam particulari nitatur, quæ limitat diſpoſitionem ad bene cupiendum. Prudentia experientia comparatur (§. 467. *part. 1. Eth.*). Quamobrem bene de humano genere meretur, qui ſedulus rerum humanarum obſervator regulas prudentiæ alios docet, quas propria experientia ipſum docuit.

§. 245.

De hominibus ignotis.

Ignotus dicitur, qui quo in nos ſit animo, non novimus. Quoniam alius quicunque nos vel amat, vel odit, vel nec amat, nec odit, quod per ſe patet, conſequenter vel amicus (§. 625. *part. 1. Jur. nat.*), vel inimicus (§. 626. *part. 1. Jur. nat.*), vel indifferenti erga nos animo eſt (§. 629. *part. 1. Jur. nat.*); *Si quis nobis fuerit ignotus, utrum amicus, an inimicus ſit, num vero indifferenti erga nos animo, ignoramus.*

Vulgo nobis notus dicitur is, cujus dignitas civilis, vel vitæ genus nobis notum eſt; ignotus autem, ſi ejus dignitatem civilem, vel vitæ genus ignoramus. Subinde etiam notum nobis dicimus eum, cujus nomen proprium novimus: ſubinde utrumque tanquam notum ſupponitur, ut nobis notus dicatur. Aſt in moralibus de animo alterius erga nos quæſtio eſt, ſi quæritur, utrum is ſit nobis notus, an ignotus. Quamvis enim in praxi morali uſui quoque ſit noſſe, quanam dignitate civili quis gaudeat, aut quodnam vitæ genus ſequatur, quatenus unicuique honor quoque civilis exhibendus moribus aut lege introductus; potiſſimum tamen reſpicitur ad animum, quem quis erga nos habet, & ad mores ipſius, a quibus is dependet, cum hæc notitia prærequiratur ad pru-
den-

Digitized by Google

dentem actionum noſtrarum directionem, quatenus reſpectum quendam habent ad alios & commodum atque incommodum noſtrum, immo ipſam felicitatem & infelicitatem faciunt dependentem ab aliis, conſequenter quatenus aliorum amicitiam nobis conciliare (§. 636. *part.* 1. *Jur. nat.*), inimicitiam avertere debemus (§. 634. *part.* 1. *Jur. nat.*).

§. 246.

Quoniam aliorum erga nos animum cognoſcere non poſſumus niſi ex dictis & factis atque affectibus, quos erga nos produnt, nec eundem præſumere datur, niſi ex moribus cognitis, quod tanquam per ſe ſatis notum ſumitur, ignotus vero nobis eſt, qui quo ſit erga nos animo non novimus (§. 245.); *ignoti nobis ſunt omnes, cum quibus nunquam converſati fuimus, vel quorum dicta & facta atque mores ex relatione aliorum nobis non innotuerunt.* *Quinam nobis ſint ignoti.*

Duobus modis aliorum erga nos animus nobis patefieri poteſt, nimirum quatenus vel a nobis ipſis ex dictis & factis eorum colligitur, quæ propria experientia nos docuit, vel quatenus nobis referunt alii, quali in nos animo quis ſit, aut dicta & facta, ex quibus is a nobis colligitur. Patet in caſu priori, ſubinde etiam in poſteriori magnum momentum habere artem conjectandi aliorum mores, de qua egimus in parte altera Philoſophiæ practicæ univerſalis, itidemque ea, quæ ad ſigna virtutum & vitiorum ſpectantia traduntur in Ethica. In poſteriori obſervanda ea ſunt, quæ de fide inculcantur in Logica, ne nimia credulitate fallamur. Cum nos alteri ſimus ignoti, de ejus in nos animo quæri non poſſe patet: aſt quæſtio tamen adhuc ſupereſt, qualis ſit prædiſpoſitio animi ipſius erga nos, eo nimirum ſenſu, quo corpus prædiſpoſitum dicitur ad recipiendum certum morbum. Quando agitur de amicitia concilianda & inimicitia avertenda, plurimum intereſt, ut conſtet quomodo diſpoſitus ſit alterius ani-

animus ad amorem, vel odium erga alios, vel etiam in ſpecie erga nos concipiendum. Quodſi philoſophia moralis excoleretur ea animi, ingenii ac virium contentione, quemadmodum Geometria ſublimior, vel etiam Aſtronomia hodie excolitur, multa ſeſe diſcutienda offerrent, de quibus hactenus non fuit cogitatum & quæ ad mores hominum formandos & prudenter agendum mirifice conducerent. Aditum ad talia aperimus; ſed qui importune philoſophantium numero ſe aſſociant, cum gloria Geometriæ ſtudio parta, qua tuto frui poſſent eademque contenti eſſe deberent, protervo auſu eum occludere conantur, quaſi philoſophos ſemper eſſe oporteat pueros, cum tamen humano generi nihil utilius ſit philoſophia, quam artem vitæ, matrem omnium artium laudandarum recte dixit *Cicero* quamque non ſatis digne unquam laudari poſſe pronunciavit, cum qui ei pareat omne tempus ætatis ſine moleſtia poſſit degere. Quodſi ad philoſophiam plures animum appellerent, quibus natura conceſſit dotes animi ac ingenii ad eam excolendam & promovendam ſufficientes & profanum vulgus ab eo arceretur, nec ſutor ultra crepidam judicium ſibi ſumeret; ego nullus dubito fore, ut moralis præſertim ac civilis philoſophia indies non minora caperet incrementa, quam Geometria & quæ ei ſervit Algebra, aut Analyſis recentiorum Geometrarum calculatoria.

§. 247.

Quomodo cum ignotis ſit converſandum.

Quoniam ſi quis nobis fuerit ignotus, ignoramus, utrum amicus, an inimicus ſit, aut, ſi vel maxime indifferenti erga nos animo fuerit, utrum animus ipſius diſpoſitus ſit ad amorem, vel ad odium concipiendum (§. 245.), cum ipſo autem amico ita converſandum, ut cogitemus fieri poſſe ut evadat inimicus (§. 243.); *cum ignotis tam cauta eſſe debet converſatio, ac ſi cum inimicis converſaremur, eaque dicenda & facienda, quæ nemo ſanus reprehendere poteſt, nec ab inimico in præjudicium noſtum verti poſſunt.*

Pro-

Digitized by Google

Propoſitionem præſentem illuſtrant, quæ modo annotata ſunt ad præcedentes (*not.* §. 243. & 244.). Quodſi dicas, neminem præſumendum eſſe inimicum, cum quilibet præſumatur bonus, donec probetur contrarium; tenendum eſt, aliter ſtatuendum eſſe de præſumtione, ſi referatur ad famam alterius, aliter vero ſi ea referatur ad prudentem actionum noſtrarum directionem, ne quid a nobis committatur, quod in detrimentum noſtrum vergit. Quodſi lex naturæ odium inimicorum præciperet, præſumtio inimicitiæ foret contra legem naturæ, cum, ſi ea falleret, immerito odio proſequeremur alterum: aſt cum præcipiat, ut etiam inimicum amemus ac diligamus tanquam nos ipſos (§. 632. *part.* 1. *Jur. nat.*), & inimicorum quoque amici ſimus (§. 633. *part.* 1. *Jur. nat.*), operamque demus, ne alios nobis reddamus inimicos (§. 634. *part.* 7. *Jur. nat.*) & quicquid felicitati noſtræ adverſum eſt (§. 606. 607. *part.* 1. *Jur. nat.*) omneque damnum a nobis avertamus (§. 493. *art.* 2. *Jur. nat.*), præſumtio inimicitiæ cavendi cauſa, ne in odium aliorum incurramus, nec culpa noſtra nos infelices reddamus, neque periculo damnum patiendi nos exponamus, nihil habet, quod legi naturæ ſit contrarium, non vero eidem conveniret. Quodſi in converſatione cum ignotis ea dicamus & faciamus, quæ nemo ſanus reprehendere poteſt; verendum non eſt, ne dicta & facta diſpliceant, conſequenter odium illorum in nos concitent (§. 674. *Pſych. empir.*). Quamvis enim contingere poſſit, ut quis te non amet, nec poſſit dicere quare, ipſa tamen dicta & facta tua non amorem, qui odium naſcens continet (§. 119.), reprimere poſſunt, ne odium vires capiat, aut animum ejus tibi prorſus conciliare. Non infrequens eſt, ut, quorum animus initio erat a te averſus, præſertim ubi nullam odii juſtam cauſam allegare poterant, poſthac tibi reddantur amici, ubi cum iis ſæpius converſatus fueris, ut te propius noſcant. Noſcere autem non poſſunt niſi ex dictis & factis, quæ produnt mores, quibus imbutus es.

Digitized by Google

§. 248.

De ebrietate in converſatione cum ignotis cavenda.

Quia cum ignotis caute converſari debemus, ne dicamus, vel faciamus, quod jure reprehendi poſſit (§. 247.), ebrii autem effutiunt, quicquid in buccam venit, & actiones committunt, quas vel olim juvenes commiſerunt, vel quarum cupiditate incenſi fuerant, vel quas clam committere ſueverunt, prouti occaſio invitat (§. 240. *part.* 4. *Eth.*); *in converſatione cum ignotis ebrietas maxime cavenda.*

Difficile eſt, ut in converſatione cum ignotis ſatis caveas, ne dicas, vel facias, quod in præjudicium tuum vertitur, & quo offenduntur tibi ignoti, aut ſaltem ſe offenſos putant. Multo igitur difficilius erit, ut tibi caveas, ſi fueris ebrius, cum dudum exploratum ſit ebrietatem labefacere & minuere hominum mentes (§. 238. *part.* 4. *Eth.*).

§. 249.

Quando opus ſit, ut in animum alterius erga nos inquiramus.

Cum, ſi quis nobis ignotus eſt, ignoremus, num nobis amicus ſit, an inimicus, an vero indifferenti erga nos animo (§. 245.), plurimum autem interſit ut noris, quo quis in te animo ſit, cum quo tibi negotium eſſe debet, quod facile per ſe patet; *Ubi tibi negotium quoddam cum alio intercedere debet, opera danda eſt, quantum datur, ut quo in te ſit animo cognoſcas.*

Duplici modo nobis innoteſcit, quo quis erga nos animo ſit, nimirum aut ex relatione aliorum, aut propria inquiſitione, in qua uſui ſunt, quæ de conjectandis aliorum moribus tradidimus in parte ſecunda Philoſophiæ practicæ univerſalis. Tenendum vero hic etiam eſt, quod jam ante inſinuavimus, non ſufficere ut inquiramus, qualem actu in præſenti erga nos habeat animum, verum etiam quomodo diſpoſitus ſit ad amorem, vel odium erga nos concipiendum, atque tum facile patet, inquirendum eſſe in ipſius mores, ut ſatis conſtet, cui-

Digitized by Google

cuinam virtuti deditus ſit, & quænam vitia alat. Quamvis enim virtutes particulares juxta vitia cultæ labem ab hiſce trahant, immo etiam haud raro ſaltem externam ſpeciem mentiantur; plurimum tamen differt, num quis virtute quadam prorſus careat, aut prorſus vitio eidem oppoſito imbutus ſit, an vero aliquid ſaltem illius participet. Produnt ſæpe homines ipſo vultu animum erga nos ſuum, quamprimum in eorum conſpectum venimus: tunc quidem nihil artis eſt cognoſcere eundem, ſi tamen amicum inde noſcere velis, circumſpectione opus eſt, ne aſſentatione vel adulatione concluſa tibi imponatur.

CAPUT IV.

De Manſeutudine.

§. 250.

Manſuetudo eſt directrix actionum noſtrarum circa injurias ab aliis nobis illatas. Manſuetudo enim virtus eſt, quæ moderatur iram & animum a vindictæ cupidine immunem præſtat (§. 950. *part. 1. Jur. nat.*). Sed ira concitatur opinione injuriæ ab altero nobis illatæ (§. 862. *Pſych. empir.*) & tendit ad vindictam (§. 422. *part. 2. Eth.*), ideoque ejus cupidinem excitat. Quamobrem manſuetudo dirigit actiones noſtras circa injurias ab aliis nobis illatas. *Quid ſit manſuetudini proprium.*

Quam proni ſint homines ad vindictam, nemo eſt qui neſciat, cum in ipſis pueris, immo infantibus ſeſe prodat ejus cupido. Vindictæ cupido in cauſa eſt, ut læſi doloris remedium ſit inimici dolor. Obſervamus vero in ipſis pueris, immo infantibus, quod dolor ex læſione leniatur, aut prorſus extingvatur, ſi lædenti malum referatur, ut ipſe doleat. Repugnat vindictæ cupido legi naturali, quæ vult, ut animus

Digitized by Google

ab omni vindictæ cupidine alienus ſit (§. 948. *part. 1. Jur. nat.*). Repugnat quoque ira, qua effervescit animus erga eos, qui nos offenderunt (§. 949. *part. 1. Jur. nat.*). Manſuetudinis itaque eſt legi naturæ conveniens directio actionum noſtrarum circa injurias ab aliis nobis illatas. Hac itaque virtute tanto magis opus eſt, quo magis homines in iram & vindictam propendent, ſi injuria afficiuntur ab aliis, & propterea quoque tanto majus ſtudium in ea colenda collocandum.

§. 251.

Quanto ſtudio ad manſuetudinem enitendum.

Quoniam manſuetudo eſt directrix actionum noſtrarum circa injurias ab aliis illatas (§. 250.), injuria vero conſiſtit in actione quacunque, quæ eſt contra jus alterius (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque omnem læſionem latiſſimo ſenſu in jure naturæ recepto pro actione qualibet, qua alter vel ſtatus ejus externus imperfectior redditur (§. 669. *part. 1. Jur. nat.*) continet, utpote juri ſecuritatis adverſam (§. 919. *part. 1. Jur. nat.*), & opinione hominum multo latius extenditur, qui jura ſibi arrogant, quæ non habent, aut ſomniant, quæ non ſunt; *manſuetudini admodum frequenter locus eſt*, conſequenter *quam maxime poſſimus enitendum, ut manſueti ſimus.*

Pauciſſimi hominum ſatis diſtinctam juris notionem habent, & Icti intra terminos juris civilis eam coërcent, cui reſtrictior ſignificatus convenit (§. 987. *part. 8. Jur. nat.*). Quamvis vero homines juris nomen ignorent, aut de eo non cogitent, multo minus autem jus perfectum ab imperfecto dividant, omnes tamen confuſam quandam juris ſui notionem habent & ex ea injuriam æſtimare ſolent, injuriam interpretantes omne dictum, vel factum alterius, quod ſibi quomodocunque nocuum opinantur & quo ſe offenſum putant, dum moleſtiam ex eo percipiunt (§. 936. *part. 1. Jur. nat.*). Confuſæ iſtæ notiones ſufficiunt ad iram concitandam (§. 605. *Pſych. empir.*),

Digitized by Google

empir.), quæ vindictæ cupidinem inſpirat (§. 422. *part.* 2. *Eth.*). Quamobrem cum manſuetudo moderetur iram & animum a vindictæ cupidine immunem præſtet (§. 950. *part.* 1. *Jur. nat.*), ideoque actiones noſtras circa injurias ab aliis nobis factas dirigat; ne ſcilicet dicamus, vel faciamus, quod legi naturæ adverſum, ira abrepti & cupiditate vindictæ impulſi; quam neceſſaria virtus ſit manſuetudo & quam late pateat, haud difficulter intelligitur.

§. 252.

Similiter quia manſuetudo dirigere debet actiones noſtras circa injurias ab aliis nobis illatas (§. 250.), ne ſcilicet dicamus vel faciamus quod legi naturæ repugnat, ira abrepti, vel vindictæ cupiditate impulſi (§. 950. *part.* 1. *Jur. nat.*); *qui manſuetudini operam dare vult, ante omnia operam dare debet, ut injurias rite æſtimare diſcat*, conſequenter *ea ſibi familiaria reddere tenetur, quæ de læſione, de injuria, de offenſa in parte prima juris naturæ demonſtrata ſunt.* *Quæ diſcenda, quando animus ad manſuetudinem adducendus.*

Reſolvuntur notiones læſionis, injuriæ & offenſæ in alias ſimpliciores, quæ perſpectæ eſſe debent, ne quid in iſtis obſcuritatis ſuperſit. Quænam eædem ſint, analyſis notionum ſatis oſtendit, quam Logica docet. Optime ſibi conſulit, qui diſciplinas philoſophicas in ſyſtema veri nominis redactas eo ordine addiſcit, quo una ab altera dependet. Qui tam vehementer contra ſyſtemata & contra methodum, ſine qua condi nequeunt, declamant, quid ſit ſyſtema veri nominis non intelligunt, & longe aliud ſub hoc nomine concipiunt. Eorum vero inſcitiam retundemus rectius alio loco, atque oſtendemus, unde ipſis enata ſit ſyſtematis, quam habent, notio, qua vero falſum miſcetur. Ipſorum itaque vociferationes attendendæ non ſunt. Facile autem apparet, de manſuetudine ipſique oppoſitis vitiis ex vero ſtatui non poſſe, niſi injurias dijudicare & rite æſtimare noveris, conſequenter niſi noveris,

quæ-

Digitized by Google

quænam tibi jura ſive naturalia, ſeu connata, ſive acquiſita competant (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*) in Inſtitutionibus Juris naturæ & Gentium perſpicue evicta, ut facile inde addiſci poſſint, ſi quis vel maxime latiſſimum illum campum ingredi noluerit, vel non potuerit, quem in ſyſtemate Philoſophiæ noſtro pandimus. Vulgo homines omne dictum vel factum alterius ſibi moleſtum contra jus ſuum eſſe opinantur, ideoque ad injuriam adſcribunt. Ita homo faſtoſus, qui ſcientiam affectat, qua caret, & eadem ſupra alios magno merito ſuo ob eandem maximam nominis celebritatem conſecutos eminere vult, cum eorum contemtu ad celebritatem nominis ſui contendens ægre fert, ſi erroris convincatur ab alio, & ob dignitatem, ad quam fortuna cœca ipſum evexit, jus ſibi competere ſomniat, ut nemo ipſi contradicat, multo minus falſum eſſe oſtendat, de quo tanquam inſigni invento gloriatur. Quo nomine hoc compellari debeat, non noſtrum eſt definire. Imponat parens abortui ſuo, aut monſtro nomen, quodcunque voluerit. Innumera iſtiusmodi jura, quorum genitor error eſt, plebs indies fingit, ut plura exempla in medium proferre ſupervacaneum foret.

§. 253.

Quale ſit jus naſcens ex obligatione lege prohibitiva inducta.

Jus omne, quod naſcitur ex obligatione lege prohibitiva inducta, perfectum eſt. Etenim ſi lex naturæ prohibet, ne alteri hoc facias, alteri omnino tribuit jus exigendi ne faciat, nec patiendi, ut hoc faciat, cum alias omni effectu deſtitueretur prohibitio. Quamobrem cum jus non patiendi, ut alter hoc tibi faciat, conjunctum ſit cum jure ipſum cogendi, ſi obligationi ſuæ ſatisfacere nolit, quod per ſe patet, jus autem omne perfectum ſit, quod conjungitur cum jure cogendi alterum, ſi obligationi ſuæ ſatisfacere nolit, ut ſatisfaciat (§. 235. *part. 1. Phil. pract. univ.*); jus omne, quod naſcitur ex obligatione lege prohibitiva inducta perfectum eſt.

Idem

Digitized by Google

Idem revera hoc jus eſt cum jure non patiendi, ut quis te lædat, quod jus ſecuritatis diximus (§. 917. *part. 1. Jur. nat.*) & omni homini competere oſtendimus (§. 918 *part. 1. Jur. nat.*): id quod ſatis manifeſtum, modo læſionis legi naturæ convenientem notionem habeas (§. 669. *part. 1. Jur. nat.*). Omnis enim actio contra legem prohibitivam læſio eſt, cum eadem non prohibeantur actiones, niſi quæ ad imperfectionem tuam ſtatusque tui tendunt (§. 231. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Ex lege prohibitiva deſcendunt jura perfecta ejus, cujus ſecuritati eadem proſpicitur. Si neges, lex naturæ non erit munimentum adverſus injurias. Quodſi jam conſtet, quidnam lege naturali prohibeatur, ne tibi faciant homines; ex eo quoque intelliges, quodnam jus tibi competat adverſus eum, qui tibi facit, quod prohibitum. Notandum tamen jus ipſum non eſſe confundendum cum executione juris ſui: ſubinde enim conſultius eſt jure ſuo cedere, quam idem perſequi, & in civitate ſuperioris eſt jus tuum tueri. In præſenti ſaltem quæritur, quomodo jus tuum agnoſcere poſſis, ne tibi arroges quod non competit, nec in ejus executione limites tranſcendas.

§. 254.

De injuria ex lege prohibitiva agnoſcenda.

Quoniam jus omne, quod naſcitur ex obligatione lege prohibitiva inducta, perfectum eſt (§. 252.), juris perfecti vero violatio injuria eſt (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*); *Qui tibi facit, quod lege naturæ prohibetur, injuriam tibi facit*, conſequenter *ſi cognoſcas, quod lege naturali prohibitum ſit, ne hoc tibi faciant alii, in eo injuriam conſiſtere intelligis.*

Lex prohibitiva norma eſt injurias dijudicandi, conſequenter etiam læſiones atque offenſas. Eadem actio pro diverſo reſpectu injuria, læſio atque offenſa eſt, nimirum læſio, quatenus facit ad imperfectionem tui ſtatusque tui (§. 669. *part. 1. Jur. nat.*), injuria, quatenus fit contra jus tuum (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*), offenſa, quatenus tibi moleſta accidit (§.

936. *part. 1. Jur. nat.*). Ita ſi quis lacerat famam tuam, actio ipſius læſio eſt, ut ideo quoque famam tuam lædere dicatur (§. 867. *part. 1. Jur. nat.*); quatenus tibi competit jus famam tuam defendendi (§. 1033. *part. 1. Jur. nat.*) & jus non patiendi, ut ab alio fama tua laceretur, quod ſub jure ſecuritatis continetur (§. 917. *part. 1. Jur. nat.*), & exigendi, ne laceretur (§. 855. *part. 1. Jur. nat.*), injuria eſt; quatenus denique nonniſi ægre ferre potes, quod laceretur (§. 569. *Pſych. empir.*), offenſa. Læſio in latiſſimo ſignificatu accepta, quem vocabulo tribuimus in Jure naturæ (§. 669. *part. 1. Jur. nat.*), quod non admittit reſtrictiones ob rationes civiles in civitate faciendas, continetur ſub hac lege generali, quod nemo ſit lædendus (§. 695. *part. 1. Jur. nat.*), utpote derivata ex principio generali legum prohibitivarum de actionibus, quæ reſpiciunt alios, quod per ipſam eſſentiam & naturam noſtram obligemur ea omittere, quæ tendunt ad imperfectionem alterius ac ſtatus ipſius (§. 231. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Ex hac obligatione alteri oritur jus a te exigendi, ne quid facias, quod tendit ad imperfectionem ipſius, vel ſtatus ejusdem (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*), ac ideo omnis actio lege naturæ prohibita ad injuriam adſcribitur, quatenus eadem hoc jus natura omni homini competens violatur, quod violari minime debet (§. 910. *part. 1. Jur. nat.*). Homini autem naturale eſt, ut omnis actio, qua imperfectio ipſius vel ſtatus ejusdem promovetur, moleſta accidat (§. 518. *Pſych. empir.*), conſequenter ut eadem offendatur (§. 936. *part. 1. Jur. nat.*). Hæc quidem ſatis manifeſta ſunt: neceſſe tamen eſt, ut adhuc dubitatio quædam tollatur. Oſtendimus, neminem alterum odio habere (§. 624. *part. 1. Jur. nat.*), immo nec indifferenti in eum animo eſſe debere (§. 630. *part. 1. Jur. nat.*). Odium itaque & indifferens erga alios animus lege naturali prohibetur (§. 163. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Abſonum tamen videtur inde inferre, quod nobis competat jus exigendi, ne nos odio habeat, vel indifferenti erga nos animo ſit, nec patiendi, ut nos oderit, vel indifferenti erga

nos

Digitized by Google

nos ſit animo. Tenendum itaque eſt, cum principium legum prohibitivarum ſit, ut omittantur actiones, quæ tendunt ad imperfectionem alterius, vel ſtatus ipſius (§. 231. *part. 1. Phil. pract. univ.*), earum objectum eſſe actiones potiſſimum externas, contra quas jure quodam indigemus: actionibus enim internis, quæ in externas non erumpunt, minime lædimur (§. 669 *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam operam dare debemus, ut amicitiam aliorum acquiramus (§. 636. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter eorum amorem nobis conciliemus (§. 625. *part. 1. Jur. nat.*), & ne alios nobis inimicos reddamus (§. 634. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter eorum odium a nobis avertamus, vel depellamus (§. 626. *part. 1. Jur. nat.*); ubi obligatione noſtra nobis proſpicitur, non opus eſt jure alio, ſine quo eidem ſatisfacere poſſumus (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodſi in poteſtate noſtra non fuerit aliorum erga nos animum immutare, ferenda ſunt, quæ mutari non poſſunt. Et quamvis lex naturæ urgeat actionum externarum cum internis conſenſum (§. 204. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque non ſufficiat alterum non lædere, verum læſio omittenda ſit, quia alterum amamus ac diligimus tanquam nosmet ipſos; conſenſus tamen iſte ſaltem ſpectatur in obligatione non lædentis, non vero in jure, quod adverſus non lædentem alteri competit. Injuria non committitur niſi actione externa, non vero interna, ſi vel maxime ex certis ſignis de eadem conſtare poſſit. Conſideranda hic quoque ſunt, quæ de jure ad officia humanitatis demonſtravimus (§. 658. *part. 1. Jur. nat.*) & de eorum denegatione (§. 671. *part. 1. Jur. nat.*). Omnia in Jure naturæ inter ſe cohærent, nec ulla locum habet contradictio, modo ſingula rite expendantur, ut eorum nexum intime perſpiciamus.

§. 255.

Quoniam offenſa vera lege naturali prohibita eſt (§. 939. *part. 1. Jur. nat.*), qui vero tibi facit, quod lege naturali *An offenſa ſit injuria.*

rali prohibitum, injuriam tibi facit (§. 254.); *omnis offenſa vera injuria quædam eſt*, conſequenter *ne offenſam putativam pro injuria habeas, neceſſe eſt, ut veram a putativa diſcernere diſcas* (§. 936. *part. 1. Jur. nat.*), cumque etiam interſit, ne nimium offendaris, *offenſa doloſa a culpoſa diſtingvenda* (§. 938. *part. 1. Jur. nat.*) & *læſio rite æſtimanda* (§. 669. *part. 1. Jur. nat.*).

Homines offenſas æſtimare ſolent ex moleſtia, quam percipiunt, ideoque plurimum ſe offenſos putant, ſi magnam ex dictis, vel factis alterius moleſtiam percipiunt. Communis enim notio eſt, nos ab eo offendi, qui dicit & facit, ex quo moleſtiam percipimus (*not. §. 936. part. 1. Jur. nat.*): magnitudo autem moleſtiæ pendet ab opinione detrimenti illati, quæ plurimum variat, prouti unusquisque ſuo abundat ſenſu. Aſt ſi de offenſa judicandum, non quæritur, quantum ex actione alterius moleſtiæ perceperis, ſed quantum percipere debueris. Cum tædium ſive moleſtiam percipias, ſi conſcius tibi es imperfectionis cujusdam tuæ (§. 518. *Pſych. empir.*); quantum moleſtiæ percipere debueris, æſtimandum ex magnitudine imperfectionis tuæ vel ſtatus tui ab actione alterius pendentis. Et quoniam ratio quoque habenda eſt conditionis humanæ, cum culpa facile committantur, quæ quis ſciens ac volens non commiſiſſet, denturque culpæ gradus; offenſa culpoſa a doloſa diſtingvenda & in ea gradus culpæ probe perpendendus, ſi ex vero ſtatuere volueris de moleſtia inde percipienda. Quodſi culpæ rationem habere velis, quemadmodum omnino debes; plurimum conducit, ut conſideres, quomodo alterum ferre velles offenſam, ſi a te commiſſa fuiſſet. Quodſi homines omnes notitia legis naturalis ſatis pollerent; nec offenſam putativam cum vera confunderent, nec culpoſam doloſæ æquipararent, neque doloſa major videretur, quam revera eſt. Aſt inſcitia Juris naturalis in cauſa eſt, ut unusquisque opinione ſua offenſam æſtimet, deſtitutus nimirum norma actionum humanarum, quæ non eſt alia, quam lex naturæ. Oſtendimus jam ante injuriam & offenſam

ſam eſſe eandem actionem, ſed diverſo reſpectu conſideratam (*not.* §. 245.). Quamobrem cum ex lege prohibitiva agnoſcantur injuriæ (§. 254.); ex eadem quoque agnoſcuntur offenſæ. Quoniam tamen actio lege naturæ prohibita offenſa eſt, quatenus alteri moleſtiam creat, aut creare poteſt (*not.* §. *cit.*); non ſufficit in dijudicanda offenſa, ut conſtet, actionem offendentis lege naturæ prohibitam eſſe, ſed obſervanda etiam ſunt, quæ de creatione moleſtiæ modo monuimus. Quid hic valeat hominum opinio, experientia magiſtra addiſcendum: condere enim thoriam experientia confirmandam, nimis prolixum foret & ab inſtituto noſtro alienum.

§. 256.

Unde offenſam æſtiment honoris & lucri cupidi atque voluptuoſi.

Qui honoris cupidus eſt, offenſam æſtimat ex detrimento famæ, aut læſo honore; qui lucri cupidus, ex damno in re ſua dato, & fraudatione; qui voluptuoſus, ex iis quæ ſenſui ingrata ſunt, & ex jactura eorum, quæ ſenſus hilarant. Qui honoris cupidus eſt, ea averſatur, quæ honori ac famæ ſuæ adverſa judicat (§. 178. *part.* 2. *Eth.*), conſequenter ex iis moleſtiam percipit (§. 156. *part.* 2. *Eth.*). Quamobrem cum actione alterius offendamur, aut ſaltem nos offenſos opinemur, ſi ex ea moleſtiam percipimus (§. 936. *part.* 1. *Jur. nat.*); qui honoris cupidus eſt offenſam æſtimat ex detrimento famæ, aut læſo honore. *Quod erat primum.*

Similiter quoniam lucri cupidus averſatur damnum in re ſua (§. 173. *part.* 2. *Eth.*), ideoque etiam fraudationem, & voluptuoſus ea, quæ ſenſui ingrata ſunt, vel dolorem cauſantur (§. 166. *part.* 2. *Eth.*), carentia autem boni, ſeu ejus, quod nos delectat, malum habetur (§. 754. *part.* 1. *Jur. nat.*); eodem, quo ante, modo patet, lucri cupidum offenſam æſtimare ex damno in re ſua dato & fraudatione, voluptuoſum ex iis, quæ ſenſui ingrata ſunt, & jactura eorum, quæ ſenſus hilarant. *Quod erat ſecundum & tertium.*

Digitized by Google

Qui ſenſuum judicio ſtant in dijudicando malo, pro malo habent, quicquid moleſtiam ipſis creat, vel voluptatem impedit, qua frui poterant (§. 5. *part.* 2. *Eth.*), quæ tamen notio ſeductrix eſt (§. 572. *Pſych. empir.*). Quamobrem ſibi perſuadent, alterum ſibi male feciſſe, ſi dixit vel fecit, quod opinione ſua moleſtum accidit, ideoque contingit, ut ſe offenſos putent, quando offenſa revera nulla eſt (§. 936. *part.* 1. *Jur. nat.*). Prouti vero variant inclinationes hominum, ita quoque non iisdem actionibus æque offenduntur, conſequenter etiam offenſam non eodem modulo metiuntur. Datur vero non ſolum in offenſa æſtimanda plurimum opinioni, ſed & vitia, quæ magnum momentum in opinionibus habent, in æſtimationem offenſæ influunt. Ponamus hominem faſtoſum, arrogantem atque ſuperbum, quem fortuna ad excelſum dignitatis gradum evexit, & qui celebritatem nominis in orbe erudito affectat. Quodſi is glorietur de inſigni invento & dignitati ſuæ convenire exiſtimet, ne quisquam contradicere audeat, regalem cultum ſibi ab omnibus deberi opinatus, alius vero falſitatem ejus demonſtret, quamvis absque ulla in perſonam injuria; tanta, quæ ipſi videtur, audacia offenſus injuriam maximam interpretatur, quæ in ſe nulla eſt, quia moleſtia maxima inquietatur animus ipſius, quod gloriæ ſuæ adverſum judicet, ſi alii videant errorem. Ira cum furor brevis ſit, mentem occæcat, ut injuriam, quam ſibi illatam putat, vindicaturus ea committat, quæ famam ſuam multo magis lædunt, calliditate, quam ſuperbia & arrogantia alit, infeliciter prudentiam imitante. Fieri autem poteſt, ut in æſtimationem offenſæ etiam influant virtutes offenſi. Ita fraudatio moleſtiam majorem creat, ſi quis habet animum ab omni fraude alienum & juſtitiæ tenacem, cum ipſi naturale ſit velle, ut alii ſibi faciant, quod ipſis facit, nec faciant ſibi, quod ipſis minime facit, conſequenter ſi lucri cupidinem regit recto intellectus uſu. Cupido honoris, lucri & delectationum ſenſualium ſeductrix eſt, niſi ab intellectu regatur, ne ultra limites rationis exorbitet. Neglecto hoc regimine,

vera

Digitized by Google

vera offenſæ æſtimatio minime ſperanda. Ponamus hominem voluptuoſum, quem cupediæ mirifice delectant. Offendetur is maxime, ſi quis impedit, quo minus convivio lautiſſimo & opipare inſtructo intereſſe poſſit, quamvis id fiat magno ipſius bono.

§. 257.

Quoniam honoris cupidus offenſam æſtimat ex detrimento famæ, vel læſo honore, lucri cupidus ex damno illato & fraudatione, voluptuoſus ex iis, quæ ſenſui ingrata ſunt & jactura eorum, quæ ſenſus hilarant (§. 256.); *ne cupido honoris, lucri & delectationum ſenſualium ad falſam offenſæ æſtimationem ſeducat, cavendum eſt, ne ea in vitium degeneret, & probe conſiderandum, offenſæ magnitudinem æſtimandam eſſe ex magnitudine imperfectionis tuæ, vel ſtatus tui, quæ ab actione offendentis dependet* (§. 518. *Pſych. empir.* & §. 936. *part. 1. Jur. nat.*), *ſique offenſa in non facto conſiſtere videtur, utrum id fuerit debitum, & in poteſtate alterius, nec ne.* *Quomodo falſa offenſæ æſtimatio præcavenda.*

Niſi cupido honoris, lucri & delectationum ſenſualium recto intellectus uſu regatur, cupido honoris facile in ambitionem, faſtum, arrogantiam & ſuperbiam, cupido lucri in avaritiam, tenacitatem & ſordes, cupido delectationum ſenſualium in intemperantiam, ebrioſitatem & libidines degenerat. Vitia hæc cum ſupponant ſpurias boni & mali notiones, ex quibus de offenſa ſtatuitur; ne in ea dijudicanda & magnitudine ejus æſtimanda a vero aberretur, vitiorum iſtorum purus eſſe debet animus. Conſideremus exemplum hominis ambitioſi, faſtoſi, arrogantis atque ſuperbi, ad quod modo provocavimus (*not.* §. 256.), & haud difficulter videbimus, abſurdam offenſæ æſtimationem totam vitiis iſtis deberi. Sane abſurda iſta opinio, quaſi gloria ſit merces laboris ac operæ in inventa inſumtæ inventori ab aliis debita, a cupidine honoris in vitium converſa originem ſuam trahit, cum homi-

homini ſanæ mentis ratio dictitet, inventis intendi debere generis humani utilitatem & mercedis loco eſſe voluptatem, quæ percipitur, quando nobis conſcii ſumus, quod bene de humano genere meriti ſimus, gloriam vero, quæ in judicio bonorum & intelligentium conſiſtit, eſſe præmium, quod nec intendendum, nec exigendum, omnium minime autem prætendendum, ſi pro invento venditatur, quod non eſt. Virtutis proprium eſt omnia facere per modum officii & ipſam ſibi pulcherrimam eſſe mercedem dudum agnoverunt veteres. Lucri cupidi, cupidine habendi in avaritiam degenerante, inventorum mercedem pecunia æſtimant, ideoque inventa ſua venalia exponunt. Succurrit exemplum hominis veſani, qui, cum machinas quasdam in re metallica utiles ſibi inveniſſe videbatur, jus quoddam inventionis ſomniabat in eo conſiſtens, ut Reges ac Principes in locum mercedis multum pecuniæ numerare obligarentur, & repetitis litteris me ſollicitabat, ut ipſi reſponſum facultatis Juridicæ procurarem, quod detur iſtiusmodi Jus inventionis: ſibi enim perſuadebat, pertinere id ad modos acquirendi, de quibus in Jure agi audiverat ipſe Juris ignarus, cum munere eccleſiaſtico fungeretur. Confidebat nimirum, ſe hoc reſponſo effecturum, ut Reges ac Principes ſolverent mercedem debitam. Omne vitium ab errore ortum trahit, quo ſemel admiſſo ſequuntur plures, juxta illud pervulgatum; dato uno abſurdo ſequuntur plura. An vero ſanior ſit opinio illorum, qui gloriam mercedem inventorum ſtatuunt, & jus quoddam ad eam ſibi arrogant, cujus violatione injuria ipſis inferatur, aliorum eſto judicium. Ceterum hinc abunde patet, ante animum a vitiis eſſe liberandum, quam de offenſa ſtatuatur. Quod vero offenſa æſtimanda ſit ex imperfectione noſtra ſtatusque noſtri, quæ dependet ab actione offendentis, & naturæ humanæ conveniens eſt, & legi naturæ, cum moleſtia non oriatur niſi ex ſenſu veræ imperfectionis (§. 518. *Pſych. empir.*), ſiquidem ab errore immunes ſimus, nec lex naturæ prohibeat actiones, quæ reſpiciunt alios, niſi quæ ad imperfectionem eorum tendunt (§. 231. *part.*

part. 1. Phil. pract. univ.). Quæ denique de diſcernenda offenſa culpoſa a doloſa præcipiuntur, de iis jam dictum eſt in ſuperioribus (§. 255.).

§. 258.

Quoniam non omnes eodem modo de offenſa judicant, nec magnitudinem ejus æſtimant (§. 256.), neminem autem offendere debemus (§. 939. *part. 1. Jur. nat.*), & quia operam dare tenemur, ne alios nobis inimicos reddamus (§. 634. *part. 1. Jur. nat.*), abſtinendum etiam ab iis, quibus alios offendi poſſe putamus, niſi officium quoddam aliud urgeat; *offenſam præviſurus & quanta putabitur judicaturus in alterius inclinationes & inde manantia vitia inquirere debet.* *Uſus illius cautionis.*

Offenſas non minus putativas, quam veras cognoſcere plurimum conducit in praxi morali. Harum cognitio neceſſaria eſt, ne deſimus officio noſtro erga alios, quia offenſa omnis prohibita; illarum vero, ut, quantum datur, caveamus, ne culpa quadam noſtra, quæ evitari poterat, in aliorum inimicitiam incurramus. Prudentiæ eſt prævidere futura eorundemque rationem habere in determinandis actionibus præſentibus (§. 470. *part. 2. Eth.*): in his vero ſpectanda eſt convenientia cum lege naturali, norma actionum humanarum inviolabili (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Ita enim prudentia naturam virtutis moralis participat, quæ alias calliditas eſt prudentiæ imitatrix, ſed quæ labem a vitiis contrahit in determinationem actionum influentibus. Velim acutiores hæc probe perpendant, ut perſpiciant virtutum moralium & intellectualium nexum indiſſolubilem, atque videant, quomodo virtutes morales & intellectuales ſibi invicem auxilium præſtent, & quænam requirantur, ut virtus omnis ſit numeris omnibus abſoluta.

Digitized by Google

§. 259.

Manſuetudinis medium eſſe remedia adverſus iram.

Qui manſuetus fieri vult, operam dare tenetur, ut iram ſedare, mitigare & præcavere diſcat. Manſuetudo enim iram moderatur & a vindictæ cupiditate animum immunem præſtat (§. 950. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quoniam ira ad vindictam tendit (§. 422. *part.* 2. *Eth.*); ſi ea præcavetur, animus quoque a vindictæ cupidine immunis manet; ſi ſedetur, cupido vindictæ aut prorſus extingvitur, aut ſaltem efficitur, ut, dum affectuum impetu non impedimur, ne verum cernere poſſimus, eandem facilius deponamus rationi aures vacuas præbentes. Si denique mitigetur, id ſaltem obtinetur, ne vindicta deproperetur, cui ira modum ponere nequit, ipſaque ira tandem deflagret, conſequenter ſedetur. Per ſe patet, hoc modo iræ moderari. Quamobrem qui manſuetus fieri vult, operam dare tenetur, ut iram ſedare, mitigare & præcavere diſcat.

Remedia adverſus iram manſuetudinis medium ſunt. Illa exhibuimus, cum de ira ſedanda, mitiganda & præcavenda ageremus (§. 506. & *ſeqq. part.* 2. *Eth.*). Itaque non opus eſt, ut eadem hic repetamus. In iræ moderamine potiſſimum intenditur, ut vindictæ cupido extingvatur, ad quam tendit ira (§. 422. *part.* 2. *Eth.*), cum animus ab omni vindictæ cupidine alienus eſſe debeat (§. 948. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem jam alias monuimus (*not.* §. 950. *part.* 1. *Jur. nat.*), cum difficillimum ſit iram in ipſo ortu comprimere, aut impedire, quo minus excitetur, eidem moderari, ſi cupiditas vindictæ depellatur, ac minimum præcaveatur, ne in actus externos erumpat. Quæcunque igitur faciunt ad iram præcavendam, ſedandam & leniendam, manſuetudinis mediis accenſenda. Quodſi ira non tenderet ad vindictam, ſeu malum referendum ei, a quo nos offenſos putamus; manſuetudo non verſaretur circa iram, ſed ſaltem vindictæ moderaretur:

retur: aſt cum hac iræ proles ſit, iræ quoque moderari tenetur. Remanet cupido vindictæ, quamvis ira deflagraverit. Enimvero tum adhuc quaſi ſub cinere gliſcit, ut facile recandeſcat, & animus ad vindictam manet diſpoſitus. Tenendum vero eſt, quemadmodum omnium affectuum dantur gradus, ita in ira potiſſimum, qui vehementiſſimus omnium videtur, iidem conſpicui ſunt; cumque naturæ conveniens ſit, ut gradus minimum quoddam habeant, quod vix animadvertitur, ac ideo affectus naſcens vix percipiatur, ita quoque idem de ira valet. Sufficit autem ira naſcens ad cupidinem vindictæ ſuſcitandam, quæ voluntatem ad malum malo alteri referendum determinat, ut ideo vindicta abſque ira nata videatur. Ira interit mora: quatenus tamen remanet memoria propoſiti alteri nocendi, animus ad vindictam adhuc diſpoſitus eſt, nec odium, quod in omni ira ineſt (§. 862. *Pſych. empir.*), prorſus extinctum.

§. 269.

Quoniam qui manſuetus fieri vult, operam dare tenetur, ut iram ſedare, mitigare & præcavere diſcat (§. 259.), odium vero, quod in omni ira ineſt, nondum fuit extinctum, quamvis ira deflagraverit, immo interiiſſe videatur, quemadmodum indies experimur, idem vero tendit ad promovendam infelicitatem alterius (§. 308. *part. 2. Eth.*), conſequenter ad malum malo referendum, ſi ex ira ſuperſtes fuerit, ideoque vindictæ cupiditatem continet (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*); *qui manſuetus fieri vult, operam quoque dare debet, ut odium extinguere diſcat.* *Remedia adverſus odium eſſe media manſuetudinis.*

Remedia adverſus odium manſuetudinis media ſunt. Exhibuimus illa, cum de eo extingvendo ageremus (§. 451. & *ſeqq. part. 2. Eth.*). Quemadmodum vero jam tum oſtendimus, ſi odium extingvere velimus, neceſſe eſſe, ut ante omnia inquiramus in rationem, cur quis alterum oderit (§. 452.

part. 2. *Eth.*), odii autem ex ira reſidui ratio eſt offenſa alterius, ſeu injuria illata (§. 862. *Pſych. empir.*); in applicatione remediorum adverſus odium in præſenti caſu ratio habenda eſt offenſæ. Offenſam concitare odium, ex ipſa offenſæ notione ſequitur. Etenim ex offenſa tædium, ſive moleſtiam percipimus (§. 936. *part.* 1. *Jur. nat.*), ideoque offenſa diſplicet (§. 542. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum id, quod nobis diſplicet, odium concitet (§. 674. *Pſych. empir.*); offenſa quoque odium concitat adverſus offendentem. Quamobrem independenter quoque ab ira oſtenditur, remedia adverſus odium eſſe quoque media manſuetudinis. Et quoniam qui alterum odit, tædia eidem creare ſtudet (§. 671. *Pſych. empir.*), conſequenter ſi odit propter offenſam, quia ipſi tædia creavit (§. 936. *part.* 1. *Jur. nat.*); inde quoque patet odium propter offenſam conceptum gignere cupiditatem vindictæ (§. 947. *part.* 1. *Jur. nat.*).

§. 261.

Medium manſuetudinis amor univerſalis.

Qui hominem alium quemcunque, ipſum etiam inimicum amat & diligit tanquam ſeipſum, manſuetus eſt. Qui enim alterum amat tanquam ſeipſum, tædium ſeu moleſtiam ejus averſatur (§. 651. *Pſych. empir.*), atque ab eo perinde ac a ſeipſo avertere ſtudet (§. 652. *Pſych. empir.*). Cumque etiam amet ipſum inimicum, qui ſe odio proſequitur (§. 626. *part.* 1. *Jur. nat.*), conſequenter eum, qui tædium ſuum appetit (§. 670. *Pſych. empir.*), ſibique creare ſtudet (§. 671. *Pſych. empir.*), ideoque ſe offendit (§. 930. *part.* 1. *Jur. nat.*); nec eum offendit, qui ſe prior offenderat. Et quia hominem quemcunque diligit tanquam ſeipſum, ipſum etiam inimicum, *per hypoth.* ideoque omni ſtudio id agit, ut alter ſit felix, qualicunque in ſe fuerit animo (§. 617. *part.* 1. *Jur. nat.*); malum malo minime refert (§. 798. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem qui hominem alium quemcunque, ipſum etiam inimicum

micum amat & diligit tanquam ſeipſum, ejus animus alienus eſt ab omni vindictæ cupidine (§. 947. *part. 1. Jur. nat*), neminique iraſcitur, quia ſe offendit (§. 422. *part. 2. Eth.*). Quoniam itaque neminem offendere debemus (§. 936. *part. 1. Jur. nat.*), etiamſi nos prior offenderit (§. 940. *part. 1. Jur. nat.*), neque quenquam odiſſe (§. 945. *part. 1. Jur. nat.*) eidemque iraſci, propterea quod nos offendit (§. 949. *part. 1. Jur. nat.*), ſed animum potius habere ab omni vindictæ cupidine alienum (§. 948. *part. 1. Jur. nat.*); iræ moderatur, ne ad vindictam tendat, quemadmodum lege naturæ præcipitur, eidemque convenienter actiones ſuas circa offenſas, ſeu injurias (*not.* §. 254.) dirigit. Quamobrem cum manſuetus ſit, qui non iraſcitur offendenti, aut iræ ſaltem moderatur, ne ad vindictam tendat (§. 950. *part. 1. Jur. nat.*), & actiones ſuas circa injurias ab aliis nobis illatas legi naturæ convenienter dirigit (§. 250.); qui hominem alium quemcunque, ipſum etiam inimicum, amat & diligit tanquam ſeipſum, manſuetus eſt.

Optimum medium manſuetudinis eſt amor univerſalis ad ipſos inimicos extenſus, cum ex eo manſuetudo ſua ſponte fluat. Quamobrem cum de hoc amore in ſuperioribus prolixe egerimus; qui hanc virtutem conſequi vult, ea obſervare tenetur, quæ de amore univerſali animo implantando demonſtrantur. Dum Chriſtus *Matth.* V, 44. præcipit diligere inimicos, benefacere his, qui oderunt nos, orare pro perſequentibus & calumniantibus, ad manſuetudinem nos ducere vult, quam a ſe diſci jubet, *Matth.* XI, 29. quippe qui nobis reliquit exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus, quando non maledicebat, cum male diceretur, nec comminabatur, cum pateretur, animo ab omni vindictæ cupidine prorſus alieno, 1 *Petr.* II, 23. quem tam ſollicite inculcabat, *Matth.* V. 39. *& ſeqq.*). Juxta vulgatum interpretem Chriſtus ſe mitem eſſe dicit: conſtat vero mitem eſſe & manſuetum eſſe

Digitized by Google

vulgò promiſcue uſupari. Quænam ex genio linguæ latinæ differentia aſignari poſſit, noſtrum in præſenti non eſt disquirere, quamvis in admittendis ſynonymis ſimus difficiliores. Qui amore univerſali ad ipſos inimicos extenſo gaudet, cujus exemplum illuſtriſſimum Chriſtus eſt, de manſuetudine non multum ſollicitus eſſe tenetur, ut neceſſe ſit peculiarem eidem operam impendi.

§. 262.

De indiſſolubili nexu manſuetudinis & amoris univerſalis ad ipſos inimicos extenſi.

Qui manſuetus eſt, hominem quemcunque alium, ipſum etiam inimicum amat & diligit tanquam ſeipſum. Qui enim manſuetus eſt, offendenti non iraſcitur, aut, ſi ira ſubito oriatur, ei ſaltem moderatur, ne ad vindictam tendat (§. 950. *part. 1. Jur. nat.*). Tædium igitur, ſive moleſtiam offendentis minime appetit, ſed omnes potius actiones averſatur, quibus ipſi moleſtia creari poterat (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter ex moleſtia offendentis ipſemet moleſtiam percipit (§. 156. *part. 2. Eth.*). Enimvero qui ex tædio, ſive moleſtia alterius moleſtiam percipit, ipſum amat (§. 643. *Pſych. empir.*), conſequenter cum amor tendat ad promovendam felicitatem & depellendam infelicitatem alterius (§. 292. *part. 2. Eth.*), eundem diligit (§. 617. *part. 1. Jur. nat.*). Qui ergo manſuetus eſt, hominem quemcunque alium, ipſum etiam inimicum amat & diligit tanquam ſeipſum.

Manſuetudo cum amore univerſali ad ipſos inimicos extenſo indivulſo nexu cohæret, ita ut manſuetus ſit, qui hominem quemcunque alium, ipſum inimicum, amat, & diligit tanquam ſeipſum (§. 261.), & viciſſim qui manſuetus eſt hominem quemcunque alium, ipſum inimicum, amet & diligat tanquam ſeipſum, *vi præſ.* Quemadmodum itaque amor univerſalis ad ipſos inimicos extenſus certiſſimum manſuetudinis medium eſt (*not.* §. 261.); ita manſuetudo ſignum certiſſimum

ſimum amoris univerſalis ad ipſos inimicos extenſi. Diximus Chriſtum eſſe illuſtriſſimum manſuetudinis exemplum, quod ipſemet nobis ad imitandum propoſuit. Ejus vero manſuetudinem non aliunde cognoſcimus, quam ex dictis & factis, quæ produnt amorem univerſalem ad ipſos inimicos extenſum (*not.* §. 261.). Sine hoc amore manſuetudo non concipitur, nec ſine manſuetudine univerſalis amor ad ipſos inimicos extenſus. Amor inimicorum potiſſimum manſuetudinem prodit, cum omnes actus ad manſuetudinem referendi ex eo tanquam fonte promanent. Amor inimicorum admodum rarus eſt. Non ergo eſt, quod miremur veram quoque manſuetudinem admodum raram eſſe. Obſervavimus ſuperius (*not.* §. 193.), amicorum offenſas patienter ferri etiam ab iis, qui alias ad iram facile provocantur, nec leves concoquere poſſunt offenſas, immo in ſe nullas, ſed per errorem pro talibus habitas. Enimvero inde nondum colligitur manſuetudo, quæ non ad amicos reſtringitur, ſed ad homines omnes, quocunque tandem in nos fuerint animo, extenditur. Extra dubitationis vero aleam poſitum eſt, ſi quis mitem ſe præbet inimico, eum multo magis manſuetum fore erga amicos, vel etiam eos, qui indifferenti erga ipſum animo ſunt.

§. 263.

Qui manſuetus eſt malum malo minime refert, ſed potius bono: & qui malum malo refert, manſuetus non eſt. Qui enim manſuetus eſt, a cupiditate vindictæ animum alienum habet (§. 950. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem tædia creare alteri non vult, propterea quod ſe offendit (§. 947. *part.* 1. *Jur. nat.*); conſequenter ſibi moleſtiam creavit (§. 936. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quoniam itaque alteri moleſtiam creamus, ſi eidem quid male facimus, quia nobis male fecit (§. 569. *Pſych. empir.*), qui vero alteri quid male facit, propterea quod ipſi male fecit, malum malo refert (§. 798. *part.* 1. *Jur. nat.*); qui manſuetus eſt malum malo minime refert. *Quod erat primum.*

Manſuetudinis eſſe, ut malum potius bono, quam malo referatur.

Quod-

Quodſi quis malum malo refert, alteri quid male facit, propterea quod ſibi malefecit (§. 798. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter cum malefaciendo alteri moleſtiam creemus (§. 569. *Pſych. empir.*), moleſtiam alteri creare vult, quia ſibi moleſtiam creavit, ideoque quia ſe offendit (§. 936. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum vindictæ cupidus ſit (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*), vindictæ autem cupidus manſuetus non ſit (§. 950. *part. 1. Jur. nat.*); qui malum malo refert, manſuetus non eſt. *Quod erat ſecundum.*

Denique qui manſuetus eſt ipſum inimicum amat (§. 262.), conſequenter eum, qui ſe odit (§. 626. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque moleſtiam creare ſtudet (§. 671. *Pſych. empir.*), conſequenter eum, qui ſibi quid malefecit (§. 569. *Pſych. empir.*). Et quoniam qui alterum amat, is voluptatem eidem creare & omnem moleſtiam ab eo avertere ſtudet (§. 652. *Pſych. empir.*), ideoque ipſi potius benefacit, quam malefacit (§. 558. 569. *Pſych. empir.*), qui vero alteri benefacit, etſi ipſi malefecerit, malum bono refert (§. 799. *part. 1. Jur. nat.*); qui manſuetus eſt, malum potius bono, quam malo refert. *Quod erat tertium.*

Signum deficientis manſuetudinis eſt malum malo referre. Arguit hoc vindictæ cupiditatem, quam manſuetudo arcet (§. 950. *part. 1. Jur. nat.*). Ne autem manſuetudini adverſum judices, quod non eſt; neceſſe eſt, ut certus ſis malum malo referri, conſequenter eum, qui mali quid infert alteri, non alio facere animo, quam ut ipſi malefaciat, quia ſibi malefecit (§. 798. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter malum ipſius ſi non unice, ſaltem primario intendi (§. 616. 619. *part. 1. Phil. pract. univ*). Multo majore cautione opus eſt, ſi ex eo, quod quis male ſibi facienti benefacit, manſuetudinem colligere velis, quoniam non ſolum intercedere poteſt ſimulatio, ſed rationes quoque dantur ſingulares, cur quis invi-

tus

Digitized by Google

tus male facienti ſibi benefaciat, conſequenter animum malefaciendi viciſſim nondum depoſuit (§. 581. *part. 1. Phil. pract. univ.*) Animi noſtri nobis conſcii eſſe poſſumus, tumque ſine fallacia uti poſſumus ſignis virtutum & vitiorum: aſt ſi de aliis ſermo eſt, ſigna latentis animi haud raro limites probabilitatis non egrediuntur, & multa cautione opus eſt, ne in iis applicandis a vero aberretur.

§. 264.

An talio manſuetudini repugnet. Quoniam manſuetudini repugnat malum malo referre (§. 263.), qui vero tantundem mali infert alteri, quantum ſibi intulit, jure, quod dicitur, talionis utitur (§. 639. *part. 8. Jur. nat.*); *talio manſuetudini repugnat.*

Cum talio lege naturæ prohibita ſit (§. 640. *part. 8. Jur. nat.*), ideoque ad vitia adſcribenda (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*), manſuetudo autem virtus ſit (§. 950. *part. 1. Jur. nat.*); etiam inde patet, talionem manſuetudini repugnare. Plerorumque hominum mentem occupavit opinio de jure talionis unicuique competentis. Videtur hoc ipſis perſuadere naturalis hominum æqualitas (§. 81. *part. 1. Jur. nat.*), vi cujus omnium natura eadem ſunt jura (§. 78. *part. 1. Jur. nat.*). Unde infertur, quod liceat idem facere alteri, quod is nobis facit. Ideo quoque vulgo ſe ſatis excuſatos putant, qui aliis mali quid fecerunt, ſi objurgati regerunt, quod priores ſibi malefecerint. Audias hanc excuſationem etiam ab eruditis, qui antagoniſtas conviciis conſectantur, propterea quod ſe conviciis inceſſerint. Neque eſt quod hoc miremur, ſi enim eruditus philoſophiæ morali nullam operam navavit, multo minus autem virtuti operam quandam impendit, de rebus moralibus ultra vulgus ſapere nequit, nec a plebejis moribus immunis eſſe poteſt. Talio vindictæ quædam ſpecies eſt (§. 639. *part. 8. Jur. nat.*), & qui jus talionis ſtatuunt, vindictam licitam eſſe putant: cum vero vindicta illicita ſit (§. 948. *part. 1. Jur. nat.*), talio quoque illicita eſt, conſequenter jus talio-

Digitized by Google

nis nullum (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Et quoniam cupiditas vindictæ manſuetudini repugnat (§. 950. *part.* 1. *Jur. nat.*), etiam hinc intelligitur, talionem manſuetudini repugnare. Ideo etiam Chriſtus, qui legem naturæ contra corruptelas Phariſæorum integritati ſuæ reſtituit, manſuetudinem inculcaturus talionem rejicit, *Matth.* V. 38. & ſeqq. Quodſi dicas Moſen talionem præcepiſſe in puniendis delictis *Exod.* XXI. 24-25. tenendum eſt, leges iſtas eſſe poſitivas, quarum rationes ſunt civiles a ſtatu Reip. deſumtæ, non vero naturales. Fieri autem poteſt, ut ob rationes civiles in puniendis delictis etiam recte admittatur talio, non tamen ſemper admittenda, quemadmodum fieri deberet, ſi talio lege naturæ præciperetur: quodſi enim jus ſaltem eſſet naturale, ne tunc quidem neceſſario ſemper obſervanda eſſet.

§. 265.

Quod manſuetudo regat defenſionem ſui, atque famæ & rerum ſuarum.

Manſuetudo regit defenſionem ſui, atque famæ & rerum ſuarum. Defenſio enim conſiſtit in actionibus, quibus reſiſtitur læſionem intentanti (§. 972. *part.* 1. *Jur. nat.*), conſequenter cum læſio omnis fiat contra jus ſecuritatis (§. 919. *part.* 1. *Jur. nat.*), ideoque injuria ſit (§. 859. *part.* 1. *Jur. nat.*), defendens injuriam, quantum in poteſtate ſua eſt, propulſare conatur. Quamobrem cum manſuetudo ſit directrix actionum circa injurias, quæ nobis inferuntur ab aliis (§. 250.); manſuetudo regit defenſionem ſui. *Quod erat primum.*

Qui famam ſuam defendit, cum eam ſervare (§. 557. *part.* 1. *Jur. nat.*), ideoque ſollicite cavere debeat, ne bona in malam degeneret (§. 556. *part.* 1. *Jur. nat.*), eam quomodocunque lædenti reſiſtit, id nimirum agens, ne famæ ſuæ adverſa credantur, conſequenter fidem lædentis infirmans, quantum in poteſtate ſua eſt. Quoniam læſio famæ injuria ſpecialiter dicta eſt (§. 874. *part.* 1. *Jur. nat.*), ideoque etiam injuria in ſigni-

Digitized by Google

ſignificatu generali (§. 887. *part. 1. Jur. nat.*); defenſio famæ in propulſanda injuria conſiſtit. Quoniam itaque manſuetudo dirigit actiones circa injurias, quæ nobis inferuntur ab aliis (§. 250.); manſuetudo regit defenſionem famæ ſuæ. *Quod erat ſecundum.*

Denique defenſio rei conſiſtit in actione, qua reſiſtitur vi ad eam rapiendam, vel deſtruendam adhibitæ (§. 690. *part. 2. Jur. nat.*). Enimvero qui rem noſtram rapere, vel deſtruere conatur, jus, quod in ea habemus, dominium ſcilicet, tollere nititur, quod per ſe patet, conſequenter hoc facit contra jus noſtrum (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque actio quæcunque, quæ eſt contra jus perfectum noſtrum, quale eſt dominium (§. 122. *part. 1. Jur. nat.*), injuria eſt (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*); defenſio rerum ſuarum in propulſanda injuria conſiſtit. Quamobrem patet, ut ante *n. 2.* manſuetudinem regere defenſionem rerum ſuarum. *Quod erat tertium.*

Defenſionem ſui non repugnare manſuetudini, alias jam demonſtravimus (§. 1000. *part. 1. Jur. nat.*). Et quoniam fama & jura nobis competentia non minus ad nos pertinent quam corpus noſtrum, cum individuum phyſicum, cujus corpus eſt, & individuum morale, cujus eſt fama & jura ſunt, unam conſtituant perſonam; famæ & rerum noſtrarum defenſio revera ſub defenſione ſui continetur, ut ideo quoque ſine ulteriori demonſtratione admitti poſſit, defenſionem famæ ac rerum ſuarum manſuetudini minime repugnare. Poteſt tamen idem quoque hoc modo demonſtrari. Competit nobis jus famam noſtram defendendi (§. 1033. *part. 1. Jur. nat.*), competit jus res noſtras defendendi (§. 691. *part. 2. Jur. nat.*), conſequenter lex naturæ licitam facit defenſionem famæ ac rerum ſuarum (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Eadem vero lege obligamur, ut ſimus manſueti (§. 951. *part. 1. Jur. nat.*).

Hæc obligatio cum ſit immutabilis (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*); fieri non poteſt, ut licitas faciat lex naturæ actiones, quæ manſuetudini repugnant. Defenſio itaque famæ ac rerum ſuarum manſuetudini repugnare nequit. Defendimus nos contra injuriam intentatam, ut eam, quantum in nobis eſt, propulſemus. Quamobrem cum manſuetudo regere debeat actiones circa injurias nobis illatas (§. 250.), conſequenter etiam intentatas; hujus quoque virtutis eſt regere defenſionem ſui, atque famæ & rerum ſuarum. Lex naturæ præſcribit modum defenſionis, conſequenter definit, quales actiones circa injurias intentatas ſint licitæ, quænam illicitæ. Virtus autem cum ſit habitus actiones ſuas legi naturæ conformiter dirigendi (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*); manſuetudinis eſt, ut non aliter nos atque famam & res noſtras defendamus, quam lege naturæ præſcribitur. Nimirum ex lege naturæ diſcimus, quomodo nos atque famam & res noſtras defendere debeamus: ut vero præſcripto modo defendere poſſimus, neceſſe eſt ut fiamus manſueti.

§. 266.

Quænam in hoc regimine obſervanda. Quoniam manſuetudo regit defenſionem ſui atque famæ & rerum ſuarum (§. 265.), in defenſione autem duo obſervanda ſunt, nimirum quomodo æſtimanda ſit vis in defenſione licita, & qualem animum defendens habere debeat; *Qui manſuetus eſt, non plus ſibi licitum eſſe ſumit in defenſione ſui atque famæ & rerum ſuarum, quam lege naturæ permittitur, nec alio animo ſe atque famam & res ſuas defendit, quam quem urget lex naturæ*, conſequenter cum talio manſuetudini repugnet (§. 264.), in talione autem par pari referatur (§. 639. *part. 8.* & §. 796. *part. 1. Jur. nat.*); *quantum liceat in defenſione ſui atque famæ & rerum ſuarum, ex magnitudine injuriæ intentatæ non æſtimat.*

In defenſione non ſaltem limites excedere ſolent homines, ſed multo minus eum habent animum, quem habere debent. Omni-

Omnium luculentiſſime hoc patet ex controverſiis eruditorum, quas haud raro cum defenſione famæ confundunt. Famæ ſuæ nihil magis adverſum judicant, quam ſi erroris cujusdam redarguantur, quamvis vulgo fateantur omnes, errare humanum eſſe. Quodſi ergo quis contenderit, ipſos erraſſe, aut ſaltem quod ſtatuunt in dubitationem adducat, id læſionem famæ interpretantur, aut pro injuria intentata habent. Famam igitur ſuam defendendam eſſe exiſtimant. Quamobrem conviciis ſe defendunt, quibus modum ponere neſciunt, & talionem latiſſime extendentes famæ antagoniſtæ detrahere ſtudent, quantum poſſunt, manifeſto ſane indicio, quod a manſuetudine toti ſint alieni, cujus ne quidem notionem ſatis diſtinctam habent, quaſi vero non minus turpe ſit atque famæ noceat carere manſuetudine, virtute omnino excelſa, quam errorem commiſiſſe. Sapere volunt ultra vulgum, infimæ tamen plebi in altercationibus ſuis conviciis certanti ſeſe aſſociant. Ira autem, quæ nihil moderabile ſuadet, plebi imperitæ ac indomitæ eos æquiparat & menti eorum tenebras offundit, ne hoc videant, ſicque famam ſuam defenſuri eandem perdunt, quæ a bonorum & intelligentium judicio pendet, aut minimum maculam haud contemnendam eidem inurunt.

§. 267.

Quoniam manſuetus in defenſione ſui non plus ſibi licitum ſumit, quam lege naturali permittitur (§. 266.), in aggreſſorem autem, hoc eſt, in eum, qui læſionem intentat (§. 979. *part. 1. Jur. nat.*), tantundem licet, quantum læſioni arcendæ ſufficit (§. 980. *part. 1. Jur. nat.*); *qui manſuetus eſt, ex circumſtantiis præſentibus jus ſe defendendi metitur non utens mediis durioribus, ſi leniora ſufficiunt, immo ne quidem lenioribus, ſi ſufficiunt leniſſima* (§. 982. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter *non majus malum infert aggreſſori, ſi illatione minoris injuria intentata propulſari poteſt, immo ab omni malo inferendo abſtinet, ſi appre-* *Quomodo manſuetus jus defenſionis æſtimet.*

henſione aggreſſoris, ſi minis, ſi verbis absque amaritudine, aut quovis alio modo innocuo averti poteſt. Facile patet, cum res noſtras defendentes nos defendamus adverſus prædonem, qui aggreſſori æquiparatur, quatenus vi ad defenſionem rerum adhibitæ reſiſtens vi corpus noſtrum impetit, ideoque nos lædere conatur (§. 506. *part. 2. Jur. nat.* & §. 979. *part. 1. Jur. nat*); *idem valere de rerum ſuarum defenſione.*

Monuimus dudum (*not.* §. 982. *part. 1. Jur. nat*), charitatem jubere, animum a vindictæ cupidine alienum ſuadere, ne ullum alteri inferas malum. Qui manſuetus eſt, hominem quemcunque alium, ipſum etiam inimicum diligit tanquam ſeipſum (§. 262.), id quod charitatis eſt (§. 620. *part. 1, Jur. nat.*), & animum habet ab omni vindictæ cupidine alienum (§. 950. *part. 1. Jur. nat.*); Quamobrem nec fieri poteſt, ut alteri ullum inferat malum, niſi quatenus aliter læſionem intentatam avertere minime poteſt. Non igitur majus malum infert, quam quod injuriæ arcendæ ſufficit, & ab eodem ſeſe abſtinet, ſi aliter læſionem intentatam evitare poſſit. Patet itaque, quæ manſuetudinis ſunt in defenſione ſui & rerum ſuarum, ea fluere ex charitate, quæ manſuetudinis veluti anima eſt. Quamvis vero hæc facile intelligantur, praxis tamen non æque facilis eſt, in uno tamen caſu difficilior, quam in altero, etiamſi ſupponamus nullum notari in charitate defectum. Cum ex circumſtantiis præſentibus determinandi ſint limites defenſionis, & in his maximum momentum habeat animus aggreſſoris, vel prædonis, nobis minime perſpectus, habeant etiam circumſtantiæ aliæ, quæ attendendæ ſunt, ſi ex vero de limitibus defenſionis in caſu dato ſtatuendum; ultra probabilitatem judicium extendi nequit. Accedit, quod prudentia ſuadeat, ne cunctando male tibi conſulas. Quamobrem in caſu dubio habenda eſt ratio infirmitatis humanæ, ut niſi enormes ac evidentes fuerint exceſſus, iidem facile mereantur excuſationem. Conſiderandæ quoque ſunt perturbationes animi, quæ attentionem impediunt ad judicium

Digitized by Google

um veritati conſentaneum formandum, ſi vel maxime omnes circumſtantiæ eſſent apertæ, & quod mora ad deliberandum ſufficiens deficiat. Aliud nimirum eſt judicare de limitibus defenſionis ſine mora ſuſcipiendæ, aliud vero de iisdem ferre judicium, ubi fuerit peracta. Sane oculatiores ſunt homines, quando judicant de negotio peracto, quam ſi judicare debent de ſuſcipiendo, cum eventus multa doceat, quæ non fuerant præviſa, nec prævideri poterant, & ex poſt facto circumſtantiæ in apricum producantur, quæ in caſu ſubito latebant. Quamvis enim in Ethica virtutem perfectam doceamus, qualem urget Lex naturæ, ut conſtet, in quid ſit enitendum, æqui tamen eſſe debemus in dijudicandis actionibus hominum: utrobique nimirum ſtandum eſt veritate.

§. 268.

Qualis ſit animus manſueti in defenſione.

Similiter quoniam qui manſuetus eſt in defenſione ſui & rerum ſuarum eum habet animum, quem lex naturæ urget (§. 266.), caſtiſſima autem hæc lex a defenſione removet omne odium (§. 996. *part.* 1. *Jur. nat.*), ne ex tædio ejus, contra quem nos defendimus, voluptas percipiatur (§. 995. *part.* 1. *Jur. nat.*), & omnem vindictæ cupiditatem arcet (§. 999. *part.* 1. *Jur. nat.*), ita ut in defenſione mali, quod nobis intentatur, averſionem, non vero malum, quod alteri infertur, intendamus (§. 992. *part.* 1. *Jur. nat.*), malum alterius minime volentes, quatenus eſt malum alterius, ſed quatenus eſt medium unicum declinandi proprium, & mallemus alterum ab eo eſſe immunem (§. 993. *part.* 1. *Jur. nat.*); *qui manſuetus eſt, eum, contra quem ſe defendit, minime odit, ab omni vindictæ cupidine procul remotus, nec voluptatem percipiens ex tædio alterius, nec intendens malum, quod alteri inferendum, ſed ejus averſionem, illud non vult tanquam alterius malum, ſed tanquam medium unicum malum proprium declinandi, immo mallet alterum a malo iſto, quod defenſionis cauſa ipſi inferendum, eum immunem eſſe.*

Vide-

Videmus itaque, quo animo eſſe debeamus erga eum, contra quem nos defendimus, ſi manſueti eſſe velimus. Infundit hunc animum charitas, quæ manſuetudinis anima eſt (*not.* §. 267.). Quamvis itaque facile contingat, ut de limitibus defenſionis in caſu nobis emergente judicaturi ad veritatem liquidam non perveniamus; ſufficit tamen nos eum habere animum, qui manſeutudini convenit. Quodſi vel maxime poſthac agnoſcatur, medio leniori injuriam intentatam averti potuiſſe, quam duriori propulſavimus; animus tamen, quem nos habuiſſe nobis conſcii ſumus, nos excuſat, ita ut exceſſus a defectu manſuetudinis non fuerit profectus.

§. 269.

Quomodo manſuetus jus defendendi famam æſtimet & exerceat.

Similiter quia in defenſione famæ ſuæ non plus ſibi ſumere licet, quam lege naturæ permittitur (§. 266.), famam autem & exiſtimationem, quæ contra calumnias aliter defendi nequit niſi ut efficias, ne calumniatori habeatur fides ab aliis (§. 1039. *part. 1. Jur. nat.*), defendere non licet niſi verbis & factis, quibus probatur contrarium ejus, quod dicit calumniator (§. 1041. *part 1. Jur. nat.*); *jus defendendi famam ſuam ex eo, quod ſufficit ad oſtendendum falſitatem eorum, quæ dicit calumniator &, ſi verendum ſit, ne hujus autoritate permoti, qui de veritate ſtatuere nequeunt, ex eo, quod ſufficit ad fidem illi auferendum, manſuetus æſtimat*, ne ſcilicet autoritate prematur. Quamobrem cum contra calumnias manifeſtas & calumniatores apud intelligentes ac cordatos viros nullius autoritatis nos defendere minime debeamus (§. 1044. *part. 1. Jur. nat.*), in defenſione autem verbali, quæ nimirum verbis fit (§. 1048. *part. 1. Jur. nat.*), non modo ejus, quod objicit calumniator, falſitas, aut contrarii veritas oſtendenda, verum etiam, ubi neceſſitas exigit, fidem calumniatoris labefactare & argumentis a propria perſona deſumtis ſuſpicionem ejus, quod objicitur, a ſe

amo-

amovere liceat (§. 1050. *part. 1. Jur. nat.*), præſertim ſi ea eſt calumniatoris autoritas, ut alii facilem eidem habeant fidem & tua plurimum refert, ne fides eidem habeatur (§. 1055. *part. 1. Jur. nat.*), nec verbali defenſione utendum, ſi realis, quæ conſiſtit in factis contrarium probantibus (§. 1048. *part. 1. Jur. nat.*), ſufficit (§. 1052. *part. 1. Jur. nat.*), aut ſi defenſio nullam fert moram (§. 1053. *part. 1. Jur. nat.*), vel præterita objicit calumniator (§. 1054. *part. 1. Jur. nat.*); *qui manſuetus eſt, calumnias manifeſtas contemtu vindicat, nec ſe defendit contra calumniatores apud bonos & intelligentes nullius autoritatis, ubi defenſio realis ſufficit, verbalem inſuper habet, nec fidem calumniatori auferre ſtudet, famæ ipſius adverſa propolando, niſi autoritate ejus prematur, vel ſi alio modo falſitas calumniarum evinci nequeat.*

Calumniator alteri objicit imperfectiones, quibus minime laborat (§. 814. *part. 1. Jur. nat.*). Lædit famam alterius, qui ipſi infamiam adſpergere conatur (§. 867. *part. 1. Jur. nat.*), ut de vitiis ejus communis quædam naſcatur opinio (§. 862. *part. 1. Jur. nat.*), ſicque fama ipſius inquinetur (§. 550. *part. 1. Jur. nat.*). Calumniator itaque non nocet, niſi eidem fides habeatur ab aliis. Quamobrem defenſione non aliud intenditur, quam ne calumniæ habeantur pro vero, ac ideo tota de modo famam defendendi deliberatio huc redit, quid faciendum ſit, ne calumniis fidem habeant alii, & num noſtra interſit, ne habeatur fides. Quoniam non minus in defenſione famæ, quam in defenſione ſui leniora media præferenda durioribus, immo leniſſimis utendum, quando ſufficiunt, ne limites defenſionis tranſcendantur; caſus diſtinguendi ſunt, ut ex circumſtantiis æſtimetur, quænam ſufficiant ad fidem detrahendum calumniis, ne famæ noceatur, & num ex famæ detrimento conſequantur alia incommoda ac mala. Sunt autem in defenſione famæ *media leniora*, quibus minus detrahitur de fama ejus, contra quam noſtra defenditur; *duriora* vero, quibus majus detrimentum famæ illius infertur;

leniſſima denique, quæ famam calumniatoris prorſus intactam relinquunt. Non receditur a ſignificatu, quem vocabulis tribuimus in defenſione ſui (§. 981. *part. 1. Jur. nat.*), modo notetur differentia, quæ inter defenſionem ſui & rerum ſuarum atque defenſionem famæ ſuæ intercedit. In defenſione ſui & rerum ſuarum reſiſtitur vi, qua aggreſſor impetit corpus, aut raptor res noſtras; in defenſione autem famæ calumniis, ne iis fides habeatur. Cum nemo alterius famam lædere (§. 868. *part. 1. Jur. nat.*), nec eidem detrahere debeat (§. 871. *part. 1. Jur. nat.*), etiamſi alter prior hoc fecerit (§. 872. *part. 1. Jur. nat.*); facile patet, cur manſuetudini conveniat adeo ſollicita de mediis tuendi famam diſquiſitio, ne in ea defendenda ullus committatur exceſſus. Quodſi emergat caſus, in quibus famam defendere non eſt in poteſtate tua, aut defenſio ſucceſſu caret, cum juxta illud pervulgatum ſemper aliquid hæreat, ſi quis audacter calumnietur, nec aliæ deſint rationes, ob quas defenſioni non conceditur locus; id ipſum ad infortunium referendum, contra quod non datur aliud remedium quam patientia (§. 593. *part. 1. Jur. nat.*) & ſolamen eſt conſcientia bona (§. 525. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quæ cum nos excuſat, animum non modo quietum reddit (§. 484. *part. 1. Phil. pract. univ.*), verum etiam voluptate ſumma perfundit (§. 468. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 270.

Quo animo manſuetus famam ſuam defendat.

Quoniam *manſuetus* in defenſione famæ ſuæ non aliud intendit, quam ne fidem calumniis habeant alii, neque ideo utitur ad defendendam famam mediis aliis, quam quæ ad detrahendum fidem calumniis ſufficiunt (§. 269.); *non delectatur detrimento famæ calumniatoris, id minime volens, quatenus fama ipſius mala efficitur, aut bona imminuitur, ſed quatenus eſt medium unicum famæ ſuæ periculum declinandi, & utique mallet, dicenda non eſſe, quæ ſunt famæ alterius adverſa*, conſequenter cum non habeat animum famam alterius lædendi, quia is

prior læſit ſuam, *animum ab omni vindictæ cupidine immunem ſervat*, qui manſuetudini convenit (§. 950. *part.* 1. *Jur. nat.*).

Conſcia mens recti famæ mendacia ridet, conſequenter iisdem in iram non concitatur, & fructus bonæ conſcientiæ percipit, quos modo commemoravimus (*not.* §. 269.), & qui ipſi vindictæ cupidinem reprimunt.

§. 271.

An animus injuriandi ſupponendus ſit in defenſione famæ.

In defenſione famæ non ſupponitur animus injuriandi eam lædentis; ſed ſufficit, ut iis, quæ dicta vel facta ſunt, fama noſtra lædatur. Per ſe patet, famam noſtram lædi, ſi ea, quæ dicta, vel facta ſunt eidem adverſa, habeantur pro veris, & lege naturali prohibetur, ne culpa quidem proferantur verba vel committantur actiones, quibus exiſtimatio ſeu honor, vel fama alterius læditur (§. 883. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum famæ noſtræ adverſa pro veris haberi poſſint, etiamſi quis non intenderit famæ noſtræ læſionem, conſequenter quamvis non habuerit animum injuriandi (§. 880. *part.* 1. *Jur. nat.*); fieri poteſt, ut fama noſtra lædatur, licet alter quædam dixerit, vel fecerit famæ noſtræ adverſa absque animo injuriandi. Quocunque igitur animo ea dicta, vel facta ſint, noſtra tamen intereſt famæ ſervandæ cauſa efficere, ne eidem adverſa credantur. Quoniam itaque famæ & exiſtimatio defenditur, ſi efficiatur, ne eidem adverſa credantur (§. 1039. *part.* 1. *Jur. nat.*); in defenſione famæ non ſupponitur animus injuriandi eam lædentis, ſed ſufficit, ut iis, quæ dicta, vel facta ſunt fama noſtra lædatur.

Fama alterius læditur, ſi eidem infamia adſpergitur (§. 867. *part.* 1. *Jur. nat.*), ideoque aliis inſinuatur opinio de ipſius vitiis (§. 862. *part.* 1. *Jur. nat.*). Ut famæ alterius adverſa habeantur pro veris, neceſſe non eſt ea proferri hac intentione, ut fama alterius lædatur: immo ſi de animo injuriandi

Digitized by Google

conſtet, id potius obſtat, quo minus credantur, cum is ad præſumendam calumniam, ideoque illorum falſitatem faciat (§. 814. *part. 1. Jur. nat.*) Equidem cum operam dare debeamus, ut qui merentur famam conſequantur, nimirum bonam (§. 650. *part. 1. Jur. nat.*), non nimis creduli eſſe debemus, ſi de alio ſparguntur famæ ipſius adverſa, conſequenter dandum eſt aliquid ſuſpicioni, ne forſan per calumniam ſpargantur; non tamen ex eo, quod fieri debet, ſed quod fieri ſolet, æſtimandus eventus. Defenſor itaque famæ ſuæ adverſis eidem fidem detrahere tenetur, qualemcunque animum habuerit autor eorum. Cum enim unice intendat, ne famæ ſuæ adverſa credantur; animum injuriandi non probat, niſi quatenus id facit ad labefactandam fidem calumniatoris (§. 1049. *part. 1. Jur. nat.*). Quodſi dicas fieri hoc modo poſſe, ut alter patiatur aliquod famæ ſuæ detrimentum; id ſibi imputare debet, quod non ſatisfecerit officio ſuo, cum ne culpa quidem proferre liceat verba, vel committere actiones, quibus exiſtimatio ſeu honor, vel fama alterius læditur (§. 883. *part. 1. Jur. nat.*), non tibi, qui jure tuo uſus es, immo officio erga teipſum ſatisfeciſti (§. 1033. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque nullam ipſi injuriam feciſti (§. 975. *part. 1. Jur. nat.*). Perpendendum hic eſt, quod in defenſione licitum ſit malum inferri aggreſſori, exceptionem eſſe ex colliſione officiorum erga nos ipſos & erga alios reſultantem (§. 1012. *part. 1. Jur. nat.*), in qua colliſione officium erga ſeipſum vincit officium erga alios (§. 229. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quæ ex actione legi naturæ contraria conſequuntur, ea perinde conſequuntur, ſive dolo, ſive culpa fuerit commiſſa: ſunt enim effectus phyſici, ad quem nil confert moralitas actionis, unde conſequuntur, ut ideo actione culpoſa idem inferatur damnum, quod doloſa infertur. Et ideo lex naturæ, quæ nobis optime conſulit, non minus prohibet actiones culpoſas, quam doloſas (§. 299. *part. 1. Jur. nat.*), ita ut ne culpa quidem agere liceat, quæ legi naturali adverſa ſunt (§. 882. *part. 1. Jur. nat.*). Et propterea quoque ſapientis eſſe negatur dicere, non putaram,

ram, ſi quis actionem excuſare vult, ex qua quid conſecutum, quod prævidere poterat ac debebat. Ceterum lubenter concedimus, ſi non conſtet de animo injuriandi alterius, ideoque multo magis ſi certum ſit, alterum non habuiſſe animum injuriandi, parcendum eſſe famæ ipſius, quantum fieri poteſt: ad id enim ducit ipſa obligatio in defenſione media leniora præferendi durioribus (§. 267. 269.).

§. 272.

Convicia non ſunt modus aptus defendendi famam. Etenim convicia ſunt vocabula, quibus alterum ignominia afficiendi animo imperfectiones eidem exprobramus, & ut plurimum iſtiusmodi ſunt, quibus præter animum ignominia alterum afficiendi nihil ſignificatur, aut ſaltem non alius ſignificatus intenditur (§. 815. *part. 1. Jur. nat.*). Ex conviciis iſtis colligi minime poteſt, falſa eſſe, quæ famæ tuæ adverſa dicuntur. Et ſi vel maxime habeant per ſe ſignificatum, quo inſinuantur iſtiusmodi imperfectiones, quæ veram ignominiam pariunt; non tamen ſufficit, iis diffamare alterum, ſed ſi ea intentione proferantur, ut fides famam tuam lædentis labefactetur, id quod in defenſione famæ permiſſum, ſi opus fuerit (§. 1055. *part. 1. Jur. nat.*), oſtendendum eſt, eum imperfectionibus iſtis obnoxium eſſe, cumque durioribus mediis non ſit utendum, ſi leniora proſtant (§. 269.), nec uſurpanda ſunt vocabula, quæ nonniſi animus injuriandi ſuadet. Quoniam itaque in defenſione famæ non intenditur, niſi ut quæ famæ tuæ adverſa ſunt non habeantur ab aliis pro vero; convicia non ſunt modus aptus famam defendendi. *An convicia famæ defenſioni conveniant.*

Produnt convicia animum vindictæ. Si quis enim ea fundit in alterum, quem famam ſuam læſiſſe putat; par pari referre vult (§. 796. *part. 1. Jur. nat.*), quod aliunde quam ex vindictæ ſtudio proficiſci nequit. Abunde hoc patet ex altercationi-

bus plebis imperitæ atque incultæ, qui conviciis inter ſe certant. Neque alia quam vindictæ cupido ratio eſt, cur ira commoti convicia vomant (§. 422. *part.* 2. *Eth.*).

§. 273.

Quod ſtultitiæ ſit famam defendere convitiis.

Quoniam convitia non ſunt modus aptus defendendi famam (§. 272.), ac præterea lege naturæ prohibita ſunt (§. 833. *part.* 1. *Jur. nat.*), ſtultitiæ vero eſt ad defendendam famam uti mediis ad eam defendendam nihil facientibus iisdemque prorſus illicitis (§. 458. *part.* 1. *Eth.*); *Qui famam ſuam deſenſurus adverſus alterum convitiis eum proſcindit, ſtultus eſt*, cumque omnium minime huc faciant vocabula præter animum ignominia alterum afficiendi nihil ſignificantia, *omnium maxime ſtultitiam ſuam prodit, qui convitiis famam ſuam deſenſurus utitur vocabulis, quæ ad convitiandum ſaltem excogitavit vulgus.*

Veritas propoſitionis præſentis adeo manifeſta eſt, ut nullo modo in dubitationem adduci poſſit. Omnes ſane unanimiter confitentur, ſtultum eſſe, qui finem quendam intendens utitur mediis, quibus eundem conſequi nequit, præſertim ſi media iſta ſint prorſus illicita, ut non modo omni conatu nihil agat, verum etiam peccet. Satis autem patet, mediis ad finem conſequendum nihil facientibus & in ſe illicitis annumeranda eſſe convitia, quibus fama, ſi ſuperis placet, defenditur (§. 272. *h.* & §. 833. *part.* 1. *Jur. nat.*). E. gr. ſi quis objicit parti adverſæ impudentiam, ſugillandi cuncta pruritum, petulantiam, cavillationem, ſcurrilitatem, ſi dicat eos, a quibus famam ſuam læſam opinatur, inſulſos minorum gentium litteratos, fæcem Reip. litterariæ & purgamentum, homunculos a quibus nihil ſani proficiſcitur & quæ ſunt alia hujus generis ſcommata; ecquis, quæſo, bonus & recte judicans ſibi perſuadebit, inde patere, quod falſa ſint, quæ pars adverſa dixit, ut nullam mereantur fidem. Quodſi auctoritatem partis adverſæ labefactare volueris, ne ei credatur; non ſuffi-

ſufficit dicere, quæ ad labefactandam fidem partis adverſæ facere videntur, ſed quæ imputantur probanda ſunt. Probandum nimirum eſt alterum eſſe impudentem, petulantem, cavillatorem, cuncta ſugillare, ſcurriliterque alios traducere, eſſe inſulſum minorum gentium litteratorem, ad fæcem Reip. litterariæ & purgamentum referendum, homunculum, a quo nihil ſani proficiſci poteſt. Supponit probatio facta manifeſta, &, ut inde inferantur, quæ alteri imputantur, notiones diſtinctas impudentiæ, cavillationis, ſcurrilitatis, inſulſi litteratoris minorum gentium & ita porro, ut manifeſtum ſit, talia facta adſcribenda eſſe ad impudentiam, ad pruritum cuncta ſugillandi, ad petulantiam, cavillationem & ſcurrilitatem, eademque nonniſi ab inſulſo litteratore minorum gentium proficiſci poſſe & ita porro. Notio illa diſtincta vel definitio eſt, vel reſpondet propoſitioni ex hac demonſtratæ. Quodſi ergo definitiones, vel propoſitiones deſideratæ nullibi adhuc proſtent, ut ad eas provocari poſſit, aut ut tanquam ſatis notæ ſupponantur, qui quæ dicit probare debet, ipſemet definitiones in medium afferre, aut propoſitiones ex iisdem demonſtrare tenetur, antequam dictis ſuis fidem facere poſſit. Nihil hic aſſeritur, quod non cuivis ſit notum, qui dictum de omni & nullo, ratiociniorum fundamentum, cognitum & perſpectum habet (§. 348. 349. *Log.*). Quamdiu itaque famæ defenſor applicando notiones eorum, quæ dicit, ad facta, ſeu ea, quæ dixit pars adverſa, a qua famam ſuam læſam eſſe opinatur, probationem in ſe deſiderari patitur, animus injuriandi præſumitur, cumque præſumtionem vincat veritas, idem manifeſtus eſt, ſi ad dicta & facta, quibus quis ſe offenſum putat, notiones iſtæ apllicari nequeunt: immo ſi vel maxime hoc fieri poſſit, præſumtio animi famam alterius laceſſendi nondum ceſſat vi eorum, quæ antea demonſtrata ſunt. Aſt hic non tam de animo famam ſuam defendentis, ſed de ſtultitia ſermo eſt. Quamobrem ea ſufficiunt, quæ ad hanc probandam ſufficiunt, quamvis in ſtultitia conſiderari quoque poſſit alterius famam laceſſendi animus, quatenus eidem quo-

que

que imputatur uſus mediorum illicitorum (§. 458. *part. 1. Eth.*).

§. 274.

Quod famam conviciis defendere manſuetudini repugnet.

Quoniam qui famam ſuam defenſurus adverſus alterum conviciis eum proſcindit, omnium vero maxime ſtultitiam ſuam prodit, ſi utitur vocabulis, quæ ad conviciandum ſaltem excogitavit vulgus (§. 273.), neque convicia modus aptus ſunt ad defendendam famam (§. 272.), conſequenter ea ſuadere nequit niſi ira ad vindictam tendens (§. 422. *part. 2. Eth*), quæ mentem occœcat, ne ſtultitiam videre poſſit (§. 531. *part. 2. Phil. pract. univ.*); *manſuetudini*, quæ iræ moderatur & animum a vindictæ cupidine immunem præſtat (§. 950. *part. 1. Jur. nat.*), ipſamque defenſionem famæ regit (§. 265.), *maxime repugnat famam conviciis defendere.*

Signum itaque certiſſimum deficientis manſuetudinis eſt, ſi quis conviciis famam ſuam defendere vult. Immo ſi quis vel maxime recte ſe defendat, manſuetudini tamen repugnat juſtæ defenſioni addere convicia, nec a ſtultitia liber eſt, quatenus convicia nihil faciunt ad famæ defenſionem, quæ abeſſe poterant atque debebant. Conviciis defenſio, quæ vitio carebat, labe inficitur, &, niſi quis omnia probe ponderare didicit, ipſi ſuſpecta redditur. Sane inde colligunt qui ſunt a partium ſtudio alieni; quod famam ſuam defendere nequeat, qui nonniſi convitiis ſe defendere poteſt, quæ ad defendendum famam non eſſe apta nemo non agnoſcit, cujus animus affectuum impetu non perturbatur (§. 272.). Famam igitur perdit, quam tueri volebat, præſertim cum conviciis proſcindere alios per ſe bonæ famæ adverſetur (§. 833. 553. *part. 1. Jur. nat.*). Ea quoque de cauſa recenſio convitiorum æquiparatur ſiniſtro de defenſione judicio. Et plus omnino dicitur, quam ſi cauſa ſua male defenſa dicatur, cum tacitum judicium ſimul pro-

probationem contineat. Si viri in ſuo genere ſatis acuti acumen ſuum deſiderari non paterentur in moralibus, non adeo turpes ſe darent.

§. 275.

Qui famam ſuam per alios conviciis defendit, ipſe convitiator habendus, &, ſi defenſionem famæ ſuæ convitiis conſpurcatam, cum prohibere poterat, approbat & laudat, convitiorum fit particeps. *Si alius famam noſtram convitiis defendit.* Qui enim per alios famam ſuam convitiis defendit, cum hi hoc faciant ipſius voluntate, perinde omnino eſt, ac ſi ipſe convitiis famam ſuam defendiſſet. Quamobrem cum conviciator ſit, qui convitiis famam ſuam defendit; qui per alios hoc facit, ipſe convitiator habendus. *Quod erat unum.*

Quodſi quis defenſionem famæ ſuæ convitiis conſpurcatam approbat & laudat, cum prohibere poterat; is utique vult, ut convitiis defendatur: quod per ſe patet. Enimvero factum alienum tibi imputatur, ſi quomodocunque a voluntate tua libera dependet (§. 650. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ſi quis defenſionem famæ ſuæ convitiis conſpurcatam approbat & laudat, cum prohibere poterat; ea ipſi imputatur, conſequenter cum actiones imputentur, quatenus quis cenſetur cauſa libera ejus, quod inde conſequitur (§. 527. *part. 1. Phil. pract. univ.*), convitiorum fit particeps. *Quod erat alterum.*

Satis manifeſta eſt utraque pars propoſitionis per ipſas notiones communes. Pervulgatum ſcilicet eſt: Quod quis per alium facit, id per ſe feciſſe putandus eſt. Inde vero per ſe ſequitur, ut famam ſuam convitiis ipſe defenderit, qui eam per alios ita defendit. Aſt ne quod aſſeritur in abuſum trahatur, conſtare utique debet, quod alius minimum te conſcio & conſentiente fecerit, quod fecit. Quodſi enim quis te inconſulto ac inſcio, aut prorſus diſſentiente, vel diſſuadente fece-

Digitized by Google

fecerit, non dici poteſt te hoc feciſſe per alium, cum factum alterius non proficiſcatur à tua voluntate. Aſt ſi vis, ut alter convitia tuo nomine dicat; convinciator utique es. Perinde nimirum eſt ac vomere convicia per os alterius. Immo turpius omnino eſt, convitia dicere per alios, quam per ſe, cum facere velis, quod pudor vetat, ipſa conſcientia factum damnante, vel etiam ineptam ſimulationem alia vitia ſuadeant, veluti faſtus, ut generoſo animo injurias contemnere, aut manſuetus videaris, cum non ſis. Similiter non minus pervulgatum eſt: Qui ad factum alterius concurrit, ejus fit particeps. Inde per ſe ſequitur, conviciorum participem fieri, qui ad defenſionem conviciis conſpurcatam concurrit. Quoniam vero ad actionem alterius concurrit, qui actione quadam ſuá ad determinandum actualitatem actionis alterius quidpiam confert (§. 106. *part. 2. Phil. pract. univ.*); quin ad defenſionem vitioſam concurrat, qui eam approbat & laudat, cum prohibere poterat, dubitandum non eſt. Male igitur famæ ſuæ conſulunt, qui ſe per alios convitiis defendi patiuntur, nimisque imprudentes ſunt, ſi approbationem & laudes publice addant (§. 776. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Dum ſimulare volunt animum, quem vocant, generoſum, qui contemtu vindicet injuriam, aut ſaltem eadem non commoveatur, ſimulationem produnt ipſo facto contrario, artis ſimulandi parum periti.

§. 276.

Quando ea tanquam a nobis dicta recte ſumantur.

Quoniam qui famam ſuam per alios convitiis defendit, ipſe conviciator habendus, &, ſi defenſionem famæ ſuæ convitiis conſpurcatam approbat & laudat, cum prohibere poterat, convitiorum fit particeps (§. 275.); *ſi adverſarius convitia tanquam ab ipſo dicta ſumit, qui famam ſuam per alios convitiis defendit, aut defenſionem iſtiusmodi approbat & laudat, cum prohibere poterat, injuriam ipſi minime facit.*

In hoc caſu antagoniſta recte facit, ſi, quæ contra convicia urgenda ſunt, ea exprobret illi, cujus cauſa eſt, & alii quoque ex iis recte judicant de ejusdem animo & moribus. Nulla enim eſt querela de injuria ſibi facta, quod factum alienum imputetur, quod imputandum eſſe ſatis patet (§. 275.). Male omnino conſulit famæ ſuæ, qui per alios facit, aut ſaltem fieri permittit, cum prohibere poterat, quod ipſum facere pudor vetat. Sane hoc ipſo famæ ſuæ magis nocet, cum contra conſcientiam agat, quam ſi ipſemet convitia dixiſſet. Qui convitia deteſtatur, nequit permittere, ut alii ad famam ſuam defendendam convitia fundant in adverſarium ſuum: immo ſi hoc ſe inſcio ac inconſulto fiat, niſi aliæ rationes obſtent, publice hoc improbare tenetur, ne videatur tacite probare, quæ ab aliis facta ſunt.

§. 277.

Si defenſor famæ omnem ſuſpicionem animi adverſarium conviciandi a ſe amovere velit; dictis, quorum falſitatem, vel factis, quorum qualitatem oſtendit, nomina ſua addere non debet. Cum enim fama & exiſtimatio contra calumnias aliter defendi nequeat, niſi ut efficias, ne credantur, quæ dicit calumniator (§. 1039. *part. 1. Jur. nat.*); in defenſione famæ aliud intendi nequit, quam ut falſitas eorum oſtendatur, aut ſi neceſſitas exigit ut de iis, quæ adverſus famam tuam molitus eſt adverſarius, conſequenter de factis dicendum ſit, ut facti veritas & qualitas evincatur. Non igitur opus eſt, ut nominentur imperfectiones, quas iſtiusmodi dicta, vel facta arguunt, & in quibus ignominia conſiſtit (§. 811. *part. 1. Jur. nat.*). Oſtenditur nimirum dictis & factis competere definitionem, non vero iisdem tribuitur definitum. Quamvis enim definitum quoque competat ei, cui definitio competit (§. 349. *Log.*), nec multo acumine opus ſit, ut id videant alii; quando

Quomodo defenſor famæ ſuſpicionem animi conviciandi a ſe amoveat.

do

Digitized by Google

do tamen defenſor famæ ſuæ dictis, vel factis adverſarii nomina ſua non addit, eo ipſo indicat, quod quæ dicit famæ ſuæ defendendæ cauſa, quatenus famam adverſarii imminuere, aut maculam quandam inurere poſſunt, a ſe invito dicantur, ita ut mallet non dicenda eſſe, quæ famæ ipſius adverſa ſunt, quemadmodum manſuetudo exigit (§. 270.), quæ defenſionem famæ regit (§. 265.). Quodſi ergo defenſor famæ omnem ſuſpicionem animi adverſarium conviciandi a ſe amovere velit, quemadmodum fieri debet (§. 555. *part.* 1. *Jur. nat.*); dictis, quorum falſitatem, vel factis, quorum qualitatem oſtendit, nomina ſua addere non debet.

Quilibet vir bonus eſſe debet (§. 967. *part.* 4. *Jur. nat.*), ideoque defenſioni famæ maxime convenit, ne quid in ea committatur, quod nomini boni viri ſit adverſum. Vir autem bonus omittit etiam ea, quæ jure facere poterat, ſiquidem metuendum ſit, ne ſuſpicionem famæ ſuæ adverſam aliis præbeat. Quoniam itaque a defenſione famæ abeſſe debet conviciandi animus (§. 274. 265.); in ea quoque omittenda ſunt, quæ ſuſpicionem ejus injicere poſſunt. Non nimia videri debet ſollicitudo, quam propoſitio præſens inculcat: nimium enim non eſt, quod legi naturæ, actionum noſtrarum normæ, conſentaneum. Decet maxime philoſophum, ut ſit vir bonus. Quamobrem ſi quis philoſophi veri nomen habere velit, neceſſe quoque eſt ut vitet, quæ ſuſpicionem animi conviciandi movere poſſunt nonnullis. Laudatur in philoſopho acumen. Quodſi ergo in defendenda fama ſua ſe philoſophum præſtare velit, neceſſe eſt ut videat, quæ turba non videt. Ut vero propoſitio præſens rectius intelligatur, demus exemplum. Ponamus alterum tibi objicere arrogantiam, faſtum & ſuperbiam, quod glorieris invento alieno, quod pro tuo venditas, & ob quod te ſupra alios de ſcientia bene meritos efferas. Quodſi oſtenderis, inventum tuum differre ab eo, quod idem cum alieno eſſe dicitur, aut, ſi idem ſit, te id ſcire minime potuiſſe, quod idem jam habuerit alius, & expoſueris modum, quod

quo in id incideris, atque utilitatem inventi ſaltem docueris, & ita porro, ſufficienter famam tuam defendiſti & arrogantiæ, faſtus ac ſuperbiæ infamiam a te depuliſti (§. 566. 583. 888. *part. 1. Jur. nat.*); non vero opus eſt, ut eum voces cavillatorem, calumniatorem, alienæ laudis obtrectatorem, quamvis revera ea, quæ defendendi tui cauſa in medium attuliſti, hæc inſinuent. Facta alterius recenſeri poſſe abſque nominibus odioſis exempla obvia docent. Ita non opus eſt, ut fraudatorem appelles, qui tibi mercem aliam pro alia vendidit, aut caro nimis mercem exigui pretii; ſed ſufficit recenſere factum: nec opus eſt, ut plagiarium voces, qui, quæ pro ſuis venditat, ex aliis exſcripſit; ſed ſufficit oſtendere, quod totidem verbis ex aliis deſcripſerit. Cautio nimirum, qua opus habet ſuſpicionem animi conviciandi defenſione famæ a ſe remoturus, utilis quoque eſt in aliis caſibus.

§. 278.

Quinam conviciis famam defendant.

Qui famam ſuam defendere nequeunt, convicia in adverſarium vomunt. Cum fama aliter defendi non poſſit, niſi efficiendo, ne eidem adverſa credantur, (§. 1039. *part. 1. Jur. nat.*), ſi quæ dicuntur famæ ſuæ adverſa vera ſunt, nihil aliud reſtat, quam ut fides ei, a quo fama læſa putatur, detrahatur, aut ſaltem ſuſpecta reddatur (§. 1049. *part. 1. Jur. nat.*). Quodſi igitur ſibi perſuadeat, ſe alterius autoritatem labefactare poſſe conviciando, convicia in eum fundit, aut ſi videat quod ſe defendere non poſſit, cum ſe offenſum putet (§. 936. *part. 1. Jur. nat.*), ira commotus (§. 862. *Pſych. empir.*), ad vindictam concitatur (§. 422. *part. 2. Eth.*), conſequenter conviciando alteri tædia creare ſtudet. Quamobrem qui famam ſuam defendere nequeunt, convicia in adverſarium fundunt.

Equidem propoſitio converti nequit, ut, qui convicia in adverſarium, a quo famam ſuam læſam eſſe arbitratur, fundit, famam ſuam defendere non poſſe dicatur. Conſtat tamen

Digitized by Google

converſam probabiliter arguere impotentiam defendendi, præſertim ſi adhuc aliæ accedant rationes, quæ probabilitatem augent. Quamobrem cum perpauci probabile a certo dividere norint; vulgo defendendi impotentia ex conviciis, quibus laceſſitur adverſarius, colligitur, inprimis ſi aut nihil, quod defenſioni ſerviat, proferatur, aut ea, quæ proferuntur, nullius momenti ſint. Accedere vero etiam ſolent ad convicia mendacia, quibus convicia veritatis nomine colorari poſſe confidunt, ſi præoccupetur animus eorum, quos in partes ſuas allicere atque trahere ſtudent. Diſtingvuntur hæc mendacia a conviciis, quod illis per calumniam fingantur facta, quæ his probandis inſerviunt. Quodſi mendacia fuerint manifeſta, ut contrarium vel per ſe in vulgus notum ſit, vel facile oſtendi poſſit; conviciis omnis ſpecies veritatis detrahitur, quam mentiri poterant, quamdiu nonnulli, vel etiam plures de ipſa cauſa ſatis informati non ſunt, ut de ea judicium ſibi ſumere poſſent. Atque hoc modo famæ ſuæ magis nocent, quam conſulunt, & defenſionem, quam moliebantur, ipſimet refutant. Quid mirum? Si a veritate receſſeris, omnia confunduntur; ſi a virtute, mens occœcata inconſiderantiæ locum facit (§. 760. *part. 1. Phil. pract. univ.*) atque improvidentiæ (§. 764. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ut imprudenter agatur (§. 776. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Haud difficulter hinc intelligitur, qualis expectanda ſit laus a bonis & peritis, ſeu bene judicantibus, in qua veram gloriam conſiſtere in confeſſo eſt (§. 47. *Jur. Gent.*). Qui famam ſuam defendere nequeunt, rectius ſibi conſulerent, ſi a conviciis ſeſe abſtinentes ad modeſtiam & manſuetudinem confugerent (§. 563. 950. *part. 1. Jur. nat.*), tanquam ad ſacram anchoram, ut defenſione reali, quantum mala cauſa patitur, aliorum animos ſibi conciliarent (§. 1048. 558. *part. 1. Jur. nat.*), nec adverſarios irritarent ipſisque arma darent, ut acriter & bene contra ſe pugnent. Ita nimirum apud alios faciliorem haberent excuſationem, & adverſarium amore vincerent, cauſam licet bonam in malam verſurum, niſi ſe vinci patiatur. Multa hic

Digitized by Google

hic dicenda forent, ſiquidem præſentis inſtituti ratio proli-xitatem ferret. Ceterum maxime abſurdum eſt præ ſe ferre animum generoſum, qui parum commoveatur iis, quæ famæ ſuæ adverſa moliuntur alii, eandem tamen conviciis defendere per alios (§. 275.), omnium vero maxime, ſi addatur publica approbatio & laude ornatur, quæ reprehenſionem merebatur, defenſio.

§. 279.

Manſuetus ad condonandum offenſam facilis.

Qui manſuetus eſt ad condonandum offenſam facilis eſt. Qui enim manſuetus eſt, offendenti non iraſcitur (§. 950. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter cum ira ad vindictæ cupidinem tendat (§. 422. *part. 2. Eth.*), animum ab ea immunem habet. Quodſi vel maxime offenſa in iram concitetur, eidem tamen moderatur, ut vindictam reprimat, & animum ab ejus cupidine immunem præſtet (§. 950. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum offenſam condonet, qui cupiditatem vindictæ deponit (§. 959. *part. 1. Jur. nat.*); manſuetus ad condonandum offenſam facilis eſt.

Lex naturæ præcipit, ut ad condonandum offenſas faciles ſimus (§. 960. *part. 1. Jur. nat.*). Condonandi facilitas non peculiaris virtus eſt, ſed ad manſuetudinem pertinet. Qui te offendit, tædia tibi creat, aut ſaltem quidpiam committit, ex quo tædium capere poteras (§. 936. *part. 1. Jur. nat.*). Quodſi non habes animum ipſi viciſſim tædia creandi, quemadmodum non habere debes (§. 941. *part. 1. Jur. nat.*); animus tuus vindictæ cupidine vacuus eſt (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*). Condonatio itaque conſiſtit in animo propter offenſam nullum alteri creandi tædium, & qui hunc animum declarat, ſe alteri offenſam condonare ſignificat. Monuimus vero jam alias (§. 959. *part. 1. Jur. nat.*), quod qui offenſam condonat, alteri quoque eandem ignoſcere, aut ſimpliciter ignoſcere dicatur. Fluit condonandi offenſam facilitas ex

amore

amore inimicorum, qui manſuetudinis mater eſt (§. 261.), nec ab hac ſejungi poteſt (§. 262.). Ceterum propoſitio præſens demonſtrari quoque poterat ex eo, quod manſuetus malum malo non referat (§. 263.).

§. 280.

An condonationi offenſæ repugnet defenſio famæ ſuæ.

Condonationi offenſæ non repugnat defenſio famæ ſuæ, niſi addantur convicia, aut defenſio tota in conviciando conſiſtat. Condonandi enim offenſam facilitas ad manſuetudinem pertinet (§. 279.). Quamobrem cum manſuetudo regat defenſionem famæ (§. 265.), nec eidem repugnet niſi defenſio conviciorum labe infecta (§. 274.); condonationi quoque offenſæ repugnare nequit defenſio famæ ſuæ, niſi addantur convicia, aut defenſio tota in conviciando conſiſtat.

Oſtendi etiam poteſt hoc modo. Qui manſuetus eſt, in defenſione famæ non intendit detrimentum famæ adverſarii, & ſi defenſionis cauſa in medium proferenda ſunt, quæ famæ ipſius adverſantur, conſequenter moleſtiam creant eidem, ea reticere mallet (§. 270.). Non igitur habet animum alterius famam laceſſendi, quia ſuam prior laceſſere auſus, conſequenter a defenſione abeſt omnis vindictæ cupido (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum offenſam condonet, qui cupiditatem vindictæ deponit (§. 959. *part. 1. Jur. nat*); famam ſuam defendere poteſt, qui offenſam adverſario condonat. Quoniam vero convicia non ſunt modus aptus ad defendendam famam (§. 272.), ideoque ea ſuadere nequit niſi ira ad vindictam tendens (§. 422. *part. 2. Eth.*); ſi defenſioni addantur convicia, condonationi offenſæ locus eſſe nequit. Condonationi itaque offenſæ non repugnat defenſio famæ ſuæ, niſi addantur convicia, aut defenſio tota conviciando abſolvatur:

Non

Digitized by Google

Non omnes capiunt, quid ſibi velit offenſæ condonatio, cum eam ſaltem ad actionem externam, non vero ad animum referant, aut, ſi vel maxime ad animum attendant, eum tamen non ſatis ponderant. Unde non ſolum videas, alios ſibi perſuadere, quod adverſario condonent offenſam, cum tamen nondum depoſuerint vindictæ cupidinem, verum etiam alios opinari, quaſi ſedata ſaltem ira offenſa ſit condonata, quamvis remaneat odium cupidinem tædia creandi adverſario continens (§. 669. *Pſych. empir.*). Hinc audias dicentes, quod velint condonare offenſam, eam tamen perpetuo in memoria habere. Qui offenſam alteri condonat, cupiditatem vindictæ deponit (§. 959. *part. 1. Jur. nat.*), ita ut ejus animus ab ea prorſus ſit alienus (§. 948. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque penitus deleta eſt cupiditas alteri ullo modo creandi moleſtiam, propterea quod ipſum offendit (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque ipſi moleſtiam creavit (§. 936. *part. 1. Jur. nat.*). Neceſſe igitur eſt, ut eum habeat animum, qualem haberet, ſi nunquam ab altero offenſus fuiſſet, conſequenter cum unusquisque alterum diligere & amare debeat tanquam ſeipſum (§. 618. 619. *part. 1. Jur. nat.*), ne offenſa ullum impedimentum objiciat amori atque dilectioni. Quamobrem voluntaria oblivione conterendæ ſunt injuriæ, aut, cum fieri non poſſit, ut earum memoria ſtatim deleatur, quæ facta ſunt, tanquam non facta ſpectanda, ne eorundem ulla vis ſit in appetitum, aut averſationem. Quodſi defenſio famæ non repugnare debet condonationi offenſæ, ejus cogitatio non movere debet appetitum ſenſitivum: movet autem utique, ſi addantur convicia, vel ſi defenſio tota convitiando abſolvatur, cum his non delecteris, niſi quia iisdem moleſtiam adverſario creari putas. Jucunda tibi videtur defenſio, quia doloris tui remedium videtur adverſarii dolor: aſt cum hic irritetur, ubi conviciis convicia opponit, vel etiam abſque conviciis propalat, quæ famæ tuæ adverſa ſunt, voluptas in moleſtiam degenerat. Abſurdum eſt affirmare, quod offenſam condonaveris, ejus tamen memoriam conſervare velis. Etenim tua inter-

intereſſe debet, ne memoria offenſæ deleatur. Quænam igitur ratio eſt, ut eam conſervare velis? certe non alia, quam ut offenſa motivum ſit actionum futurarum, quæ reſpectum habent ad offenſorem. Quare animus tibi eſt vel denegandi officium humanitatis, quando a te petetur, vel nocendi, aut offendendi alterum, occaſione oblata. Cupiditas vindictæ itaque nondum depoſita (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque nec offenſa condonata (§. 959. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 281.

Signum animi condonandi offenſam & offenſæ condonatæ.

Qui animum condonandi offenſam habet, ejus appetitum movere nequit offenſa, nec ea motivum eſſe poteſt in actionibus, quæ reſpiciunt offenſorem, quando renovatur ejus memoria, ſi offenſa fuerit condonata. Qui enim habet animum condonandi offenſam, is cupiditatem vindictæ deponere tenetur (§. 959. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque offenſori tædia creare non vult, propterea quod ſe offendit (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*); ex tædio ipſius nullam voluptatem percipit (§. 156. *part. 2. Eth.*), conſequenter nec eum odit (§. 664. *Pſych. empir.*). Quamobrem offenſa appetitum ipſius movere nequit. *Quod erat unum.*

Similiter quoniam qui offenſam condonavit, omnem cupiditatem vindictæ depoſuit (§. 959. *part. 1. Jur. nat.*); offenſori nunquam moleſtiam creare vult, propterea quod ſe offendit (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem in actionibus determinandis, quæ ipſum reſpiciunt, nullam rationem habere vult offenſæ, cujus memoria obliterata cenſeri debet. Cum rationes determinandi voluntatem, vel noluntatem motiva ſint (§. 888. *Pſych. empir.*); ſi offenſa fuerit condonata, ea nunquam motivum eſſe poteſt in determinandis actionibus, quæ reſpiciunt offenſorem, quamvis data occaſione eidem inſerviendi refricetur ejus memoria. *Quod erat alterum.*

Pleri-

Digitized by Google

Plerique ſeipſos fallunt, quando putant ſe condonaſſe offenſam, quamvis memoriam offenſæ conſervent, & ejus memores officium humanitatis alteri denegant, aut prorſus nocent. Hoc vero certiſſimum ſignum eſt, offenſam nondum eſſe condonatam. Qui offenſam condonat, cum ſerio nolit, eam ingredi motivum determinandi actiones ſuas, quando offertur occaſio offenſori vel inſerviendi, vel quomodocunque ægre faciendi, eandem quoque e memoria extemplo evellere vellet, modo id fieri poſſet. Cum vero hoc in poteſtate ſua non ſit, cum omnis rerum memoria nonniſi ſenſim obſcuretur & evaneſcat; offenſam non amplius conſiderat tanquam animo ſibi moleſtiam creandi factam, ut odium avertatur a perſona. Meminiſſe facti, quo offenſus fuiſti, & meminiſſe offenſæ, utique differunt, ſaltem in condonatione offenſæ tanquam diverſa ſpectanda. Offenſa ſpectatur tanquam factum, quo alius tibi moleſtiam creavit: ſi vero ſenſum moleſtiæ ab eodem removes & factum tantummodo conſideres, quale in ſe eſt, facti meminiſti, non offenſæ. Quamobrem ſi aliæ fuerint rationes, cur facti memoriam conſerves; id ipſum condonationi offenſæ minime obſtat, nec inde colligi poteſt, te eam nondum condonaſſe. Ponamus tibi maximam factam eſſe injuriam ab inimico, qui fortunas tuas funditus ſubvertere moliebatur. Ponamus porro Deum injuriam iſtam direxiſſe in finem tibi admodum ſalutarem, ut inde fortunæ tuæ evaſerint ampliores. Cum interſit providentiæ divinæ memoriam conſervare eamque concelebrare, id vero fieri nequeat, niſi etiam injuriarum memoria conſervetur; ecquis dicat, in hoc caſu memoriam injuriarum repugnare condonationi offenſæ, cum jam non ſpectentur tanquam offenſæ? Qui offenſarum meminit, conqueritur de moleſtiis, quas ſibi creaverat inimicus, cumque appetitus ipſius adhuc feratur in ea, quæ inimico moleſta ſunt, infortunio atque injuriis ab alio ipſi illatis delectatur. Quamvis itaque ipſe moleſtiam eidem afferre nequeat, aut certis de cauſis nolit; in votis tamen habet, ut malis prematur. Aſt ex adverſo qui facti alterius

ſaltem meminit, quo tibi injuriam fecit, factum a perſona dividit, neque in hanc invehitur, multo minus malis, quæ ipſi accidunt, delectatur, neque eidem mala imprecatur. Quoties memoria factorum uſum moralem habent, eum conſervare potius debemus, quam delere. Neceſſe tamen eſt, ut animus amore inimicorum imbutus ſit, ne tacite reſuſcitetur odium, & nudi facti memoria transeat in memoriam offenſæ. Pertinent hæc ad difficultatem obtinendi puritatem animi (§. 607. *part. 2. Eth.*). Quamobrem non eſt quod miremur, ſi qui ad impoſſibilia referant, quod adeo difficile eſt. Solent enim homines difficultates metiri ſuis viribus, quas ſuperare putant quæ nondum in poteſtate ſua ſunt. Dolendum itaque, quod de manſuetudine parum cogitetur, immo non deſint qui manſuetudinis nomen averſantur, quaſi id dedeceat homines magnos & excelſos. Magis igitur arridet nomen animi generoſi, quod faſtui ac ſuperbiæ magis convenire videtur (§. 583. 888. *part. 1. Jur. nat.*), cum eodem ſignificetur contemtus offenſarum tanquam a perſona, quæ vilipenditur, profectarum. Accedit autem mendacium, dum faſtoſi ac ſuperbi iſtiusmodi homines præ ſe ferunt animum offenſa minime commotum, quaſi adverſarii ſint nimis impotentes, quam ut adeo magnis & excelſis hominibus, qui videri volunt, moleſtias creare poſſint, cum tamen ipſa convitia, quæ in eos fundunt, loquantur, quantum torqueatur animus. Abſurdum vero eſt, ſaltem vocabulo blandiri faſtui ac ſuperbiæ ſuæ, cum revera manſuetudinem mentiantur, quando generoſum animum crepant.

§. 282.

An manſuetudini repugnet jus puniendi & condonatio-

Jus puniendi non repugnat manſuetudini, nec condonatione offenſa tollitur. Etenim qui alterum punit, animum habet ab omni vindictæ cupidine alienum (§. 1078. *part. 1. Jur. nat.*), nimirum quando jus puniendi exercet legi naturæ convenienter, quemadmodum in Moralibus ſupponitur atque ſup-

poni

poni debet. Quamobrem cum manſuetudo animum offenſi a cupiditate vindictæ immunem præſtet (§. 950. *part. 1. Jur. nat.*); jus puniendi non repugnat manſuetudini. *Quod erat unum.* *ne offenſa tollatur.*

Porro qui alteri offenſam, ſeu læſionem condonat, hoc tamen non obſtante pœnam ab eodem exigere poteſt (§. 1079. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter qui offenſam condonat, non tamen propterea jus puniendi, quod natura ipſi competit (§. 1061. *part. 1. Jur. nat.*), remittit (§. 95. *part. 3.* & §. 1071. *part. 2 Jur. nat.*). Condonatione itaque offenſæ jus puniendi non tollitur. *Quod erat alterum.*

Jus puniendi non repugnare manſuetudini, eodem quoque modo oſtendi poteſt, quo ſupra oſtendimus, eidem non repugnare jus defendendi nos, res noſtras noſtramque famam (*not.* §. 265.). Etenim lex naturæ nobis concedit jus puniendi eum, qui nos læſit (§. 1061. *part. 1. Jur. nat.*). Eadem vero lege obligamur ut ſimus manſueti (§. 951. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque ob immutabilitatem obligationis, quæ a lege naturæ venit (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*), fieri nequit, ut licitas faciat actiones, quæ manſuetudini repugnant (§. 170. *part. 1. Jur. nat.*); jus puniendi manſuetudini non repugnat. Ex hac demonſtratione equidem apparet, quod jus puniendi repugnare nequeat manſuetudini; non tamen intelligitur, cur non repugnet, quemadmodum in ea, quam dedimus, ex principiis ſpecialibus deducta. In Moralibus, ubi aſſenſui negotium faceſſere ſolet appetitus, maxime conſultum eſt, ut demonſtrationes ſint lucidæ, ideoque ex principiis ſpecialibus deductæ præferantur tanquam lucidiores demonſtrationibus, quæ ex principiis generalibus derivantur, quamdiu præſertim cohibere nondum didiceris, ne appetitus influat in aſſenſum: id quod non adeo facile addiſcitur, quemadmodum forſan putatur, & ad difficillima Philoſophiæ moralis capita merito refertur. Habent tamen demonſtrationes ex principiis uni-

Digitized by Google

verſalibus deductæ etiam eximium uſum, ut memoria facilius retineantur ſpecialia ſub univerſalibus contenta, quæ absque demonſtratione ulteriori per modum corollariorum ſubſumuntur (§. 277. *Log.*). Ita in præſenti caſu patet, eodem modo in genere demonſtrari, nullum jus, quod nobis vi legis naturæ competit, ulli virtuti repugnare, ſed a virtutibus ſaltem regi ejus exercitium, quo idem de jure defenſionis & jure puniendi oſtendimus. Atque hac de cauſa conſultum foret, ut diſciplinæ ad principia maxime generalia revocarentur: ita nimirum paucis multa diſci poſſent, quæ nobis ſpecialia inſinuant, quoties iisdem opus habemus. De eo autem cogitandum erit, ubi diſciplinæ ſatis fuerint excultæ: hic enim labor pertinet ad eas magis perficiendas & ad uſum faciliorem aptandas. Abſit autem ut tibi perſuadeas, ſpeciales disquiſitiones tum fore inutiles. Faciunt enim hæ ad veritatem intimius perſpiciendam, ut magis immotus ſit aſſenſus: quo obtento, generalis theoria memoriæ potiſſimum conſulit & ad nova invenienda plurimum adjumenti affert. Qui offenſam inimico condonat, cum cupiditatem vindictæ deponat (§. 959. *part. 1. Jur. nat.*), non vult alteri moleſtiam creare, propterea quod ipſi moleſtiam creavit (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*); ſed propterea non declarat, quod ſecuritati ſuæ proſpicere nolit in futurum, ne ab inimico ſuo denuo lædatur, vel etiam ab aliis ejus exemplum ſecuturis. Enimvero jus puniendi, quod nobis lege naturali datur (§. 1061. *part. 1. Jur. nat.*), in eo conſiſtit, quod nobis liceat avertere periculum læſionis futuræ, præcavendo ſcilicet, ne in poſterum ab eo, qui nos læſit, denuo lædamur, nec exemplum ejus ſecuti alii nos lædere audeant (§. 1058. *part. 1. Jur. nat.*). Condonans igitur offenſam juri huic non renunciat (§. 103. *part. 3. Jur. nat.*). Salva igitur condonatione offenſæ jure ſuo uti, ideoque eum, qui ſe læſit, punire poteſt. Non eſt quod excipias, cum punitor offenſori malum quoddam inferat (§. 285. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ex quo hic utique moleſtiam percipit (§. 569. *Pſych. empir.*), qui vero pœnam non condonat, cupiditatem vindictæ non deponens

nens (§. 959. *part. 1. Jur. nat.*), offenſori moleſtiam creet, propterea quod ſe offendit (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*), unum idemque eſſe, ſive quis offenſam alteri non condonet, ſive condonata licet offenſa eum tamen puniat. Idem nimirum fieri in utroque caſu. Enimvero ut jam non dicam, quod tamen ex ſequentibus non patebit, non prorſus idem fieri, ſi quis jure puniendi utitur & ſi vindictæ cupidinem explet, hic ſaltem notandum eſt valere illud pervulgatum: Duo cum faciunt idem, non eſt idem. In moralibus enim reſpicitur animus agentis, non actio ſaltem externa. Qui vindictæ cupidinem exſatiare ſtudet, malum inimici, aut offenſoris intendit (§. 947. *part. 1. Jur. nat.* & §. 616. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ſi ex eadem voluptatem percipit (§. 156.): neutrum vero dici poteſt de punitore (§. 1074. 1076. *part. 1. Jur. nat.*). Supponit præterea vindicta odium ejus, qui te læſit, aut offendit (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*) & §. 672. *Pſych. empir.*), quod a punitore procul remotum (§. 1077. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 283.

Manſuetudo regit punitionem. Qui enim alterum punit, intendit averſionem periculi læſionis futuræ ſibi & aliis ex præterita metuendæ (§. 1074. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum homini competat jus perfectum non patiendi, ut alius ipſum lædat (§. 913. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque omnis læſio ad injuriam adſcribenda ſit (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*); punitio circa injurias verſatur. Enimvero manſuetudo dirigit actiones noſtras circa injurias ab aliis nobis illatas (§. 250.). Manſuetudo igitur punitionem regit. *An manſuetudo regat punitionem.*

Exercitium juris puniendi ad manſuetudinem pertinet, quæ punitionem regit, ne quid in ea committatur, quod amori univerſali adverſum. Oſtendendum itaque, quomodo manſuetudo punitionem regat, ne exceſſus labe quadam inficiat animum (§. 598. *part. 2. Eth.*), ſed puritas ejus conſervetur

(§. 599.

(§. 599. *part. 2. Eth.*). Equidem in civitate exercitium juris puniendi ſingulis ablatum, & judicibus demandatur (§. 559. 561. *part. 8. Jur. nat.*), nec toleranda ſunt bella privata (§. 560. *part. 5. Jur. nat.*); non tamen inde ſequitur, ut ex Ethica proſcribendus ſit modus; quo manſuetudo regere debet exercitium juris puniendi natura unicuique competentis (§. 1061. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam enim perinde eſt, ſive jus puniendi exerceas per te, ſive per alium, nimirum in civitate per judicem, quæ ſunt manſuetudinis in eo partes nunquam deſerendæ. Judex in punitione eadem obſervare debet, quæ tibi punitori obſervanda. At de eo diſertius dicendum ſuo loco iu Philoſophia civili. Notandum præterea eſt, ſupereſſe adhuc caſus nonnullos, in quibus non omnis puniendi poteſtas privatis ademta: ſit ita quod vulgo non ſemper hoc nomine compelletur. Inprimis autem obſervandum, ſi quis per judicem punit eum, qui ſe læſit, ipſum eundem habere debere animum, quem habere debet, ſi per ſe jus ſuum exequeretur. Ac propterea neceſſe eſt, ut in Ethica doceatur, qui animus in puniendo conveniat manſueto. Hoc noſſe etiam prodeſt, ne injuſtas de judice moveas querelas.

§. 284.

Quænam in hoc regimine obſervanda. Quoniam menſuetudo regere debet punitionem (§. 283.), in punitione autem duo obſervanda ſunt, nimirum quomodo determinanda ſit magnitudo pœnæ & qualem animum punitor habere debeat; *qui manſuetus eſt, non plus ſibi licitum eſſe ſumit in punitione, quam lege naturæ permittitur, nec alium habet animum, quam quem urget lex naturæ.*

Convenit regimen punitionis cum regimine defenſionis (§. 266.): punitio enim defenſioni quodammodo aſſimilatur. Defenſione avertitur injuria intentata in præſenti periculo; punitione futura in periculo metuendo. In utroque caſu tuendum eſt jus ſecuritatis, ne ſcilicet patiamur nos lædi ab alio (§. 917. *part. 1. Jur. nat.*), homini omni natura compe-

tens

tens (§. 918. *part.* 1. *Jur. nat.*), ideoque tam defenſio ſui, ac famæ & rerum ſuarum, quam punitio eſt juri ſecuritatis tuitio. Non igitur eſt quod miremur, manſuetudinis tam in defenſione, quam in punitione easdem eſſe partes.

§. 285.

Quoniam qui manſuetus eſt in punitione eum habere debet animum, quem lex naturæ urget (§. 284.), lex vero naturæ a puntione removet omne odium (§. 1077. *part.* 1. *Jur. nat.*), ne ex malo, quod inferendum (§. 285. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ulla percipiatur voluptas (§. 1076. *part.* 1. *Jur. nat.*), omnemque vindictæ cupidinem arcet (§. 1078. *part.* 1. *Jur. nat.*), ita ut non intendatur malum, quod alteri infertur, ſed averſio periculi læſionis futuræ ſibi & aliis ex præterita imminentis (§. 1074. *part.* 1. *Jur. nat.*), nec punitor velit malum alterius, quatenus malum alterius eſt, ſed quatenus eſt medium unicum avertendi a ſe atque aliis læſionis metuendæ periculum, ſed mallet ab illo immunem eſſe alterum (§. 1075. *part* 1. *Jur. nat.*); *Qui manſuetus eſt, eum, quem punit, minime odit, ab omni cupidine vindictæ totus alienus, nec voluptatem percipiens ex malo, quod qui punitur patitur, neque hoc intendens, ſed averſionem periculi læſionis futuræ ſibi & aliis ex præterita imminentis, illud non vult tanquam malum alterius, ſed tanquam medium unicum læſionis futuræ periculum a ſe atque aliis avertendi, immo mallet alterum a malo iſto eſſe immunem.* *Qualis ſit animus manſueti in punitione.*

Non differt animus in punitione ab eo, quem habere debemus in defenſione (§. 269.). Rationem jam inſinuavimus (*not.* 284.). Cum manſuetudo dirigat actiones circa injurias (§. 250.), animus manſueti ſemper idem eſt, ſive injuria intentetur, ſive facta fuerit, ſive præcavenda. Tum enim regimen huc redit, ut impediatur, ne conſideratione injuriarum concitentur affectus amori univerſali ad ipſos inimicos extenſo contrarii nihilque moderabile ſuadentes.

Digitized by Google

§. 286.

Quomodo manſuetus jus puniendi æſtimet.

Similiter quia in punitione non plus ſibi ſumere licet, quam lege naturali permittitur (§. 284.), in eum autem, qui te læſit, tantundem tibi licet, quantum ad avertendum periculum læſionis futuræ, ſive ab eodem tibi atque aliis, ſive ab aliis exemplum ejus ſecutis tibi metuendæ ſufficit (§. 1059. part. 1. Jur. nat.); *qui manſuetus eſt, periculum læſionis futuræ ſive ab eadem tibi atque aliis, ſive ab aliis exemplum ejus ſecutis tibi metuendæ æſtimat ex circumſtantiis præſentibus & ei convenienter pœnæ magnitudinem determinat, ſollicite ſibi cavens, ne in puniendo modum excedat, pœnam ſcilicet graviorem ſumens, ubi levior ſufficit* (§. 1066. part. 1. Jur. nat.), conſequenter *ſi nullum ſit iſtiusmodi periculum, a punitione ſeſe abſtinet, ſi minæ ſufficiunt, ſi objurgatio, ſi admonitio, non progreditur ulterius.*

Eadem hic repetenda ſunt, quæ ſupra annotavimus, cum de modo defenſionis ageremus (*not.* §. 267.). Probe autem conſiderandum eſt, punitorem lædere puniendum, quatenus modum excedit (§. 1065. *part. 1. Jur. nat.*): id quod motivum eſt, ut in determinanda pœnæ magnitudine tanto majore circumſpectione utamur ſemper promiores in partem mitiorem. Quoniam periculum læſionis futuræ nonniſi probabiliter æſtimari poteſt, futurorum autem prævíſio admodum incerta eſt; illius quoque æſtimatio admodum difficilis. Quæ in civitate attendenda ſunt, quatenus injuriæ ſingulis factæ reſpectum quendam ad Remp. habent, in præſenti inſuper habemus.

§. 287.

De nomine punitionis notanda.

Jus puniendi quod dicimus *Jus ulciſcendi* vocatur a *Cicerone* & ita quoque vulgo appellatur, ideoque quod nobis punitio eſt, *Ultio* vocatur. Idiomate patrio dicimus, ſich rächen, & ipſam actionem die Rache.

Ne

Ne videamur ſine ratione a recepto loquendi more receſſiſſe, ratio nobis reddenda eſt. Ulciſci idem eſſe ac injuriam non impunitam relinquere confitentur omnes. Quamobrem a communi ſignificatu non recedimus, ſi quod *Cicero* in Topicis jus ulciſcendi vocat jus puniendi dicimus. Enimvero conſtat, & olim communem fuiſſe opinionem, & eandem hodienum plerorumque mentem occupare, quaſi inimicum odiſſe liceat, & per conſequens ipſi male facere, quia nobis malefacit, ut ideo ultio cum ea actione coincidat, quam nos vindictam appellavimus (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*). Cum lex naturæ præcipiat amorem inimicorum, prohibeat odium (§. 632. *part. 1. Jur. nat.*), ultionem quoque in hoc ſenſu acceptam proſcribit. Quodſi vocabulum ad ſignificatum legi naturæ conformem reducere velis, quemadmodum in Moralibus fieri debet, ultio coincidit cum punitione. Pœnis obligantur homines ad actiones tam committendas, quam omittendas (§. 288. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nec malum, quod alteri infertur, pœnæ rationem habet, niſi inferatur ab eo, qui alterum obligandi jus habet (§. 285. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quando alteri malefacis, qui tibi injuriam facit, ut in poſterum ab injuria facienda abſtineat, nec alii exemplum ejus ſequantur, eum obligare vis, ne ipſe porro injuriam tibi faciat, obligare ſimul vis alios, ne ipſi quoque injuriam tibi vel aliis faciant (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*), atque jus obligandi alios ne injuriam faciant, tibi competit (§. 913. *part. 1. Jur. nat.* & §. 301. *part. 1. Phil. pract. univ.*), exercendum vero abſque odio (§. 1077. *part. 1. Jur. nat.*) & vindictæ cupidine (§. 1078. *part. 1. Jur. nat.*). Jus igitur ulciſcendi aliud non eſt niſi jus puniendi (§. 349. *Log.*). In ſyſtemate igitur unumquodque proprio ſuo nomine compellandum, nec quæ eadem ſunt diverſis nominibus inſignienda. Eſt vero ratio multo prægnantior, quæ urget, ne ab hac regula diſcedamus. Omne enim jus puniendi, de quo agitur in Jure naturæ & omni philoſophia practica, morali atque civili, ex hoc ipſo jure puniendi natura hominibus competente tanquam ex ſuo

Digitized by Google

fonte deducendum, quemadmodum abunde patet ex demonſtrationibus, quas in ſyſtemate Juris naturæ dedimus. Quamobrem conſultius utique videtur, ut jus puniendi potius dicatur, quam jus ulciſcendi jus illud, quo ad tuendam ſecuritatem noſtram opus habemus.

§. 288.

De extenſione juris puniendi manſuetudini repugnante.

Manſuetudini repugnat jus puniendi extendere ad liberos, vel parentes, ad cognatos alios atque amicos ejus, qui te læſit. Ob factum enim alienum, quo læſus es, nemo puniri poteſt (§. 1084. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter nec licet liberos punire ob facta parentum, vel contra, nec cognatos ob factum cognati, nec amicos ob factum amici. Quodſi ergo jus puniendi extenditur ad alios, ultra perſonam lædentis; id aliunde proficiſci nequit, quam ex immoderata nimis vindictæ cupidine (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum manſuetudo non ferat vindictæ cupidinem (§. 950. *part. 1. Jur. nat.*); eidem utique repugnat jus puniendi extendere ad liberos, vel parentes, aut ad cognatos alios, atque ad amicos ejus, qui te læſit.

Oſtenditur etiam hoc modo. Jus puniendi vi legis naturalis nobis non competit, niſi in eum, qui nos læſit (§. 1061. 1084. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter ſi quis id extendere velit ultra perſonam lædentis ad alios, qui nullam injuriam fecerunt, hoc nullo jure fit. Quoniam itaque manſuetudo virtus eſt (§. 950. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque manſuetus actiones ſuas legi naturæ convenienter determinare debet (§. 321 *part. 1. Phil. pract. univ.*), ob injurias ſibi factas punire nequit liberos, vel parentes, vel cognatos quoscunque alios, vel amicos lædentis.

Non opus eſt, ut propoſitioni præſenti addatur reſtrictio, niſi quocunque modo ad læſionem concurrerint. Etenim tum

tum puniuntur propter factum proprium, non vero alienum (§. 1082. 1083.). Qui ad læſionem concurrit, injuriæ tibi factæ fit particeps, nec minus ab hoc metuendum eſt periculum læſionis futuræ, quam ab eo, qui primaria læſionis cauſa fuit. Quando jus puniendi ad innocentes extenditur, jus eſſe deſinit, & quæ dicitur ſive punitio, ſive ultio vindicta eſt lege naturæ prohibita (§. 947. 948. *part. 1. Jur. nat.*), & ad malitiam adſcribenda. Abſurda hæc & nefaria juris puniendi, aut, ſi mavis, ulciſcendi extenſio certiſſimum ſignum eſt deficientis manſuetudinis. Non licet obtendere punitionem parentum in liberis ipſi Deo a Moſe tributam, cum decalogum publicaret Hebræis: neque enim tum liberi puniuntur ob facta parentum (*not. §. 667. part. 8. Jur. nat.*). Propoſitio præſens non abhorret a notionibus communibus. Notiſſimum enim eſt, ipſum imperitum vulgus indignari ei, qui injuriam a parentibus illatam ulciſcitur in liberis ſive infantibus, ſive pueritiæ adhuc proximis, quam in parentibus ulciſci non poterant, adeo naturale hominibus eſt innocentem non poſſe puniri ob factum alienum, quamvis vindictam ſeu ultionem licitam eſſe putent.

§. 289.

Quid jubeat manſuetudo, ſi defenſio & punitio non ſit in poteſtate, aut parum conſulta.

Si jus defendendi & puniendi exercere nequis, aut prudentiæ eſt, ne eodem utaris; manſuetudinis eſt injuriam patienter ferre & eventum omnem providentiæ divinæ committere. Etenim ſi jus defendendi & puniendi exercere nequis, vires deſunt, conſequenter defenſio & punitio phyſice efficitur impoſſibilis (§. 952. *part. 1. Theol. nat.*). Quodſi prudentiæ ſit, ne jure defendendi, vel puniendi utamur, cum prudenter agere debeamus (§. 258. *part. 1. Jur. nat.*), defenſio & punitio a rectitudine deficit (§. 81. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque efficitur moraliter impoſſibilis (§. 952. *part. 1. Theol. nat.*). In utroque igitur caſu injuriæ, quibus afficimur, aut quæ metuendæ

Digitized by Google

ſunt ad fortunam adverſam referenda (§. 540. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem cum in adverſis patientes eſſe debeamus (§. 593. *part. 1. Jur. nat.*); ſi jus defendendi & puniendi exercere non poſſumus, aut prudentiæ eſt, ne eodem utamur, injuriæ patienter ferendæ, conſequenter cum manſuetudo dirigat actiones noſtras circa injurias (§. 250.), utique tanquam virtus (§. 950. *part. 1. Jur. nat.*), legi naturæ convenienter (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), manſuetudinis omnino eſt ut eas patienter feramus. *Quod erat unum.*

Per ſe patet, ſi nos defendere non poſſimus, nec punire eum, qui nos læſit, aut ſi jure defendendi & puniendi non utamur, dubium eſſe, quæ nobis eventura ſint mala. Enimvero cum eventus dubius providentiæ divinæ totus ſit committandus (§. 1192. *part. 1. Jur. nat.*); ſi jus defendendi & puniendi exercere non poſſumus, aut prudentiæ eſt, ne eodem utamur, patet ut ante *n. 1.* manſuetudinis eſſe, ut eventum omnem providentiæ divinæ committamus. *Quod erat alterum.*

Omnes actiones, quæ circa injurias quomodocunque verſantur, tam poſitivæ, quam privativæ, objectum manſuetudinis ſunt, cujus eſt curare, ut legi naturæ ad amuſſim reſpondeant (§. 250.). Quamobrem huc etiam pertinet tam phyſica, quam moralis impoſſibilitas defenſionis & punitionis. Non eſt quod dicas, eam pertinere ad patientiam & fiduciam in Deo (§. præſ. & §. 1186. *part. 1. Jur. nat.*). Patet enim ex demonſtratione propoſitionis præſentis, manſuetudinem commendare patientiam & fiduciam in Deo, & non minus patet ex ſequente, patientiæ ac fiduciæ in Deo non eſſe locum, niſi manſuetudo præſupponatur. Phyſica impoſſibilitas defenſionis & punitionis manifeſta eſt, cum deſint vires ad defenſionem & punitionem requiſitæ, vel etiam puniendi occaſio (§. 158. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Aſt moralis impoſſibilitas

tas disquiſitione accuratiori indiget. Potiſſimæ hic ſunt prudentiæ partes, quæ non modo nos circumſtantiarum præſentium rationem habere jubet (§. 466. *part.* 1. *Eth.*), ut evitentur damna, quæ defenſione, aut punitione contrahere poteramus (§. 464. *part.* 1. *Eth.*), & futura proſpicere probabiliter (§. 470. 471. *part.* 1. *Eth.*), ne audacia noceat (§. 604. *part.* 1. *Jur. nat.*); verum etiam cavet, ne quid in defenſione & punitione committatur, quod legi naturæ adverſatur.

§. 290.

Quid in eo caſu porro faciat manſuetus.

Quoniam *qui manſuetus eſt*, injurias patienter fert & eventum omnem providentiæ divinæ committit, ſi jus puniendi exercere nequit, aut prudentiæ eſt, ne eodem utatur (§. 289.), cum non velit malum alterius, quatenus malum eſt (§. 1075. *part.* 1. *Jur. nat.*), *ei, quem punire nequit, aut ut puniat minime conſultum judicat, mala non imprecatur, ſed ut ad ſaniorem mentem redeat optat & bona quævis ipſi apprecatur: immo ſi occaſio fert, officiis animum ejus ſibi conciliare ſtudet.*

Ira tendit ad mala alteri imprecandum, ſi in poteſtate noſtra non fuerit ut malum malo referamus (§. 422. *part.* 2. *Eth.*). Manſuetudo iræ moderatur (§. 950. *part.* 1. *Jur. nat.*). Ferre itaque nequit, ut inimico mala imprecemur. Punitione intenditur, ne qui te læſit denuo te lædere audeat (§. 1074. *part.* 1. *Jur. nat.*), conſequenter ut animum lædendi mutet. Quodſi ergo deficiant media, quibus ad mutandum animum lædentem obligare potes; ſi manſuetus es, in votis ſubſiſtis, ideoque optas, ut ad ſaniorem mentem redeat, neque te, nec alios in poſterum lædat. Et quoniam animum lædendi quoque mutat, cujus animus nobis conciliatur; ſi occaſio ita fert, officiorum prompta præſtatione eum tibi conciliare ſtudes. Poſſumus quoque alterum obligare præmiis (§. 297. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ideoque conferendo bonum in alterum (§. 295. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quando itaque bono malum referimus, cum ei, qui nobis malefecit, bene faciamus

(§. 799.

Digitized by Google

(§. 799. *part. 1. Jur. nat.*), bonum, quod in ipſum confertur, ſpectari poteſt inſtar præmii abſtinentiæ a læſione futura & depoſitionis inimici erga nos animi. Etenim ſi præmiis alterum obligare velimus ad aliquid faciendum, vel non faciendum, bonum quoque confertur ante factum, vel non factum. Sane ipſe Deus, qui bonitate ſua, vi nexus rerum in hoc univerſo (§. 901. *part. 1. Theol. nat.*), mundum gubernat (§. 903. *part. 1. Theol. nat.*), malis quoque benefacit, ut ſint motiva actionum bonarum committendarum, malarum vero omittendarum (§. 315. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter ad mutandum animum eos hoc modo obligare vult (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamvis enim ſpectari nequeant bona in malos collata tanquam præmia actionum malarum perpetratarum (§. 315. *part. 1. Phil. pract. univ.*); præmii tamen rationem habent reſpectu futurarum, quatenus per ea intenditur obligatio mutandi animum (§. 297. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Equidem videntur præmia non ante conferenda, quam ubi factum fuerit, cujus gratia præmium ſtatutum, cum nemo puniatur ob actionem nondum perpetratam; perperam tamen a pœnis ad præmia fit argumentatio. Nemo enim puniri poteſt innocens (§. 1086. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter qui facto nullo ſuo pœnam meruit (§. 1085. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque ad pœnam patiendum nondum obligatur (§. 1071. *part. 1. Jur. nat.*): aſt cum malum bono referre debeamus (§. 808. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque bene facere ei, qui nobis malefecit (§. 799. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter etiam ei, qui habet animum nobis male faciendi; nil obſtat, quo minus alterum præmio obligaturi ad non male faciendum bonum in ipſum conferamus actu, etiamſi a male faciendo ſeſe nondum abſtinuerit.

§. 291.

Quando manſuetudi- *Manſuetudini maxime convenit, ut, ſi alterum, qui nos læſit, officiorum præſtatione obligare poſſimus, ne in poſterum nos lædat, loco puni-*

Digitized by Google

punitionis hoc medio utamur, & multo magis ut eodem utamur, ſi nis ſit ut loco punitioni non conceditur locus. Etenim manſuetudo regit punitionem (§. 283.). Enimvero ſi alio modo periculum ex læſione facta imminens averti poteſt, quam pœnam exigendo, ea remittenda (§. 1097. *part. 1. Jur. nat.*). Quodſi ergo quis officiorum præſtatione qui nos læſit obligari poteſt, ne in poſterum nos lædat; loco punitionis hoc modo ut utamur manſuetudini maxime convenit (§. 284.). *Quod erat unum.*

pœnæ officiorum præſtatione ſecuritati noſtræ proſpiciamus.

Quoniam remedium adverſus injurias metuendas leniſſimum eſt, ſi eum, qui nos læſit, officiorum præſtatione obligemus ab iisdem abſtinere, quando autem punitioni non conceditur locus, remedium aliud non ſupereſt, in caſu quamvis maxime dubii eventus eodem tamen utendum. Et quia manſuetudini maxime convenit, ut hoc modo injurias avertere ſtudeamus, quando ſufficere videtur, *per demonſtrata*; multo magis eidem conſentaneum eſt, ut eodem utamur, ſi aliud non ſuppetit, conſequenter ſi punitioni, quæ neceſſaria videbatur, non ſit locus. *Quod erat alterum.*

Hoc modo manſuetudine vincitur inimicus. Etenim ad hoc non ſufficit, ut deponatur animus vindictæ cupidus & offenſa condonetur, cum utroque non obſtante pœnæ adhuc locus relinquatur (§. 282.); ſed pœna convertenda eſt in præmium, quatenus nimirum præmiis intenditur obligatio in poſterum non lædendi, quemadmodum eadem intentione pœna exigitur. Nimirum bonum, quod confertur in eum, qui te læſit, non ſpectatur tanquam præmium injuriæ factæ, cum non ideo conferatur, quia te læſit, ſed tanquam præmium injuriæ non committendæ, quia ideo confertur, ne te in poſterum lædat. Ac ideo injuria cenſetur gravior & gravius peccat, ſi quis contra hanc obligationem peccat, Deo præmii tui in punienda injuria facta rationem habituro. Effectum hujus obligationis deſcribit Apoſtolus Rom. XII. 20.

Digitized by Google

quando ait: Hoc faciens carbones ignis congeres ſuper caput ejus (ſcilicet inimici tui). Facile autem patet, a te non intendi gravitatem peccati, ſed emendationem inimici, ne denuo in te peccet. Falſo igitur ſibi perſuadent, ſe manſuetos eſſe, ſeu amori inimicorum ſatisfacere, ſi inimico, qui eos offendit, benefacientes profitentur ſe velle carbones ignis congerere in caput ejus. Etenim hoc indicat animum vindictæ cupidum, & odium inimici, ideoque manſuetudini (§. 950. *part.* 1. *Jur. nat.*) & amori inimicorum repugnat (§. 623. *part.* 1. *Jur. nat.*). Equidem qui inimicos diligit, ipſis benefacit (§. 75.), conſequenter cum inimicos diligere debeamus (§. 632. *part.* 1. *Jur. nat.*), etiamſi punias offenſorem, hoc tamen non obſtante officia humanitatis ei denegare minime debes; non tamen hoc obſtat, quo minus officium etiam inimico debitum vertatur in medium ipſum obligandi, ut a læſione abſtineat, accedente nimirum intentione obligandi ad ſenſum officii. Quatenus præſtatio ſpectatur tanquam officium, Deo te obedientem præbes; quatenus vero intenditur læſionis in poſterum metuendæ averſio, ſecuritati tuæ conſulis, uſus mediis quam maxime licitis ad eam tuendam, quantum datur.

§. 292.

An officium humanitatis in pœnam denegari poſſit.

In pœnam denegari poteſt officium aliquod humanitatis, quod petitur. Etenim quando quis punitur, ei affertur malum phyſicum (§. 285. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Carentia boni etiam malum eſt (§. 754. *part.* 1. *Jur. nat.*), conſequenter qui beneficium denegat, malum afferre cenſetur. Quamobrem in pœnam denegari quoque poteſt officium aliquod humanitatis, cumque qui punitur noſſe debeat, quod puniendi animo denegetur, officium denegandum, quod petitur.

Non eſt quod exiſtimes, hoc modo latas fores pandi vindictæ. Quamvis enim negare non auſim, fieri poſſe, ut ſub hoc prætextu injurias ulciſcantur vindictæ cupidi; non tamen ideo

ideo quicquam mutatur in veritate. Denegatur officium, quod petitur, absque odio & vindictæ cupidine, quemadmodum pœna exigenda, & officium eſſe deſinit, quando recte denegatur. Sane omnis pœna foret læſio, niſi jus puniendi licitum faceret, quod extra hunc caſum foret illicitum (§. 692. *part. 1. Jur. nat.*). Quamvis itaque peccet, qui alteri denegat officium, quod præſtare poterat (§. 672. *part. 1. Jur. nat.*); non tamen amplius peccat, ubi officium eſſe deſinit & pœnæ ſpeciem induit. Cum ad officium humanitatis jus perfectum non habeas (§. 658. *part. 1. Jur. nat. &* §. 235. *part. 1. Phil. pract. univ.*), in pœnam autem adimi poſſit jus perfectum (§. 589. *part. 8. Jur. nat.*); denegatio officii humanitatis inter pœnas leves locum obtinet (§. 1064. *part. 1. Jur. nat.*). Atque hac ipſa de cauſa conſiderandum quoque eſt, quantum malum patiatur is, cui denegatur, ne in puniendo modus excedatur: id quod ex circumſtantiis æſtimandum, ex quibus etiam dijudicandum, num in pœnam recte denegetur. Emergere enim poſſunt caſus, in quibus officii humanitatis denegatio foret nimis dura, veluti ſi alterum a periculo mortis liberare poſſes, vel damnum quoddam ingens ab eodem avertere, vel etiam fortunas ejus inſigniter amplificare. Tum enim denegatio adſcribenda eſſet ad exceſſum in puniendo prohibitum (§. 1067. *part. 1. Jur. nat.*). Aſt non opus eſt, ut ſcrupuloſius inquiratur, quomodo hæc accurate ſint dijudicanda: amor enim ſincerus, quem inimicis quoque debemus, facienda & non facienda facile ſuadet. Ceterum ex propoſitione præſente patet, etiamſi exercitium juris puniendi in civitate ſingulis ademtum & judicibus demandatum, dari adhuc caſus, in quibus exerceri poteſt a privatis, quatenus nimirum non omnes injuriæ privatæ puniuntur a judice, & ratio ceſſat, cur privatis non ſit concedendum. Patet vero porro, ſi a judice punitus fuerit, qui te læſit, in pœnam officium humanitatis denegari non poſſe.

§. 293.

Quomodo facta a perſonis dividenda.

Qui facta a perſonis dividere vult, operam dare tenetur ut adſueſcat facta ad notiones abſtractas easque determinatas revocare & iisdem tanquam ſubjecto conveniens prædicatum, quod vel obſervatio ſuggerit, vel quod ex principiis juris naturæ deducitur, tribuere. Quodſi enim factum revocetur ad notionem abſtractam, id ſaltem conſideratur tanquam poſſibile, non vero tanquam hujus individui. Quodſi jam porro eidem tribuatur prædicatum, quale ipſi convenire vel obſervatur, vel ex principiis Juris naturæ deducitur; in hoc judicio non aliud ſpectatur, quam quale ſit iſtiusmodi factum ſive phyſice, ſive moraliter conſideratum, ut prodeat propoſitio, qualis diſciplinis convenit. Quemadmodum itaque in his individuorum nulla habetur ratio, ita quoque in iis, quæ hic præcipiuntur, nullæ attenduntur perſonæ in ſingulari, conſequenter factum a perſona dividitur.

In Moralibus non infrequens uſus eſt factorum a perſonis diviſio, nec ſine ea fieri poteſt, ut inimicos amemus ac diligamus tanquam nos ipſos & ut in defenſione ac punitione eum habeamus animum, qui manſuetudini convenit (§. 268. 285.). Etenim vitia, ex quibus proficiſcuntur facta legi naturæ adverſa (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*), odiſſe (§. 368. *part. 1. Phil. pract. univ.*), aſt hominem neminem odio habere debemus (§. 624. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo factum a perſona dividere non didicerimus, odium facti extenditur quoque ad perſonam, immo convertitur in odium perſonæ, ut eam oderimus propter factum, quod dum nobis diſplicet odium concitat (§. 674. *Pſych. empir.*). E. gr. ponamus tibi objici animum alterius famam laceſſendi, a quo tamen maxime alienus es, ut fidem tuam ſuſpectam reddat. Quodſi hoc factum ad notionem abſtractam revoces eique tribuas prædicatum, quod obſervatio prodit; tale erit judicium tuum: Qui

per

Digitized by Google

per mendacium alicui tribuit animum famam ſuam laceſſendi, ut ipſius fidem ſuſpectam reddat, ipſum calumniatur (§. 514. *part. 1. Jur. nat.*). Quodſi porro addas prædicatum ex Jure naturæ deductum; judicium tuum tale erit: Qui per mendacium alicui tribuit animum famam ſuam laceſſendi, ut ipſius fidem ſuſpectam reddat, injuriam ipſi facit (§. 877. *part. 1. Jur. nat.*). Ita factum in abſtracto conſideratum tanquam lege naturæ prohibitum (§. 836. *part. 1. Jur. nat.*), odiſſe potes, nec odium extenditur ad perſonam, cujus in judiciis tuis nulla habetur ratio. Nimirum fingis, quemadmodum in diſciplinis moris eſt, ſubjectum aliquod, cui præter ea, quæ ad calumniam ſpectant, nihil ineſt, ideoque individuum hoc morale diſcernis ab individuo phyſico, qui eſt hic homo. Quodſi jam porro calumniam ad te referas, quæſtio huc redit, quantum tibi noceat iſtiusmodi calumnia & quid lege naturæ tibi permittatur ad eam reprimendam. Quoniam tibi nullum eſt negotium niſi cum perſona morali, amore individui phyſici ſalvo famam tuam defendere, vel etiam calumniatorem, pro datis circumſtantiis, punire potes. Facile apparet his exercitiis maxime convenire exempla, quæ vel obſervamus, vel in libris hiſtoricis legimus, vel etiam fingimus legentes ea, quæ in Jure naturæ prohibentur. Quoniam enim ea, quæ nos minime tangunt, animum parum commovent, ſaltem affectus vehementiores minime concitant, attentio, qua opus eſt, minime impeditur, nec judicio facile immiſcentur, quæ a veritate aliena, aut ullo modo legi naturæ adverſa ſunt. Cum hiſce vero exercitiis utiliter conjungitur ſtudium ingignendi odium vitiorum (§. 230. & *ſeqq. part. 2. Eth.*), niſi id jam ante fuerit contractum. Ea cum vulgo negligantur, non eſt quod miremur, ſi fuerint pauci, qui odium facti ad perſonam non extendunt, immo non deſint, qui ſibi videntur factum ſaltem odiſſe, illæſo amore perſonæ, cum tamen tacitum minimum odium perſonæ alant, quod ſuo quoque tempore vires capit. Maxime falluntur, qui ſibi voluntatis bonæ con-

Digitized by Google

§. 293.

Quomodo facta a perſonis dividenda.

Qui facta a perſonis dividere vult, operam dare tenetur ut adſueſcat facta ad notiones abſtractas easque determinatas revocare & iisdem tanquam ſubjecto conveniens prædicatum, quod vel obſervatio ſuggerit, vel quod ex principiis juris naturæ deducitur, tribuere. Quodſi enim factum revocetur ad notionem abſtractam, id ſaltem conſideratur tanquam poſſibile, non vero tanquam hujus individui. Quodſi jam porro eidem tribuatur prædicatum, quale ipſi convenire vel obſervatur, vel ex principiis Juris naturæ deducitur; in hoc judicio non aliud ſpectatur, quam quale ſit iſtiusmodi factum ſive phyſice, ſive moraliter conſideratum, ut prodeat propoſitio, qualis diſciplinis convenit. Quemadmodum itaque in his individuorum nulla habetur ratio, ita quoque in iis, quæ hic præcipiuntur, nullæ attenduntur perſonæ in ſingulari, conſequenter factum a perſona dividitur.

In Moralibus non infrequens uſus eſt factorum a perſonis diviſio, nec ſine ea fieri poteſt, ut inimicos amemus ac diligamus tanquam nos ipſos & ut in defenſione ac punitione eum habeamus animum, qui manſuetudini convenit (§. 268. 285.). Etenim vitia, ex quibus proficiſcuntur facta legi naturæ adverſa (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*), odiſſe (§. 368. *part. 1. Phil. pract. univ.*), aſt hominem neminem odio habere debemus (§. 624. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo factum a perſona dividere non didicerimus, odium facti extenditur quoque ad perſonam, immo convertitur in odium perſonæ, ut eam oderimus propter factum, quod dum nobis diſplicet odium concitat (§. 674. *Pſych. empir.*). E. gr. ponamus tibi objici animum alterius famam laceſſendi, a quo tamen maxime alienus es, ut fidem tuam ſuſpectam reddat. Quodſi hoc factum ad notionem abſtractam revoces eique tribuas prædicatum, quod obſervatio prodit; tale erit judicium tuum: Qui

per

per mendacium alicui tribuit animum famam ſuam laceſſendi, ut ipſius fidem ſuſpectam reddat, ipſum calumniatur (§. 514. *part. 1. Jur. nat.*). Quodſi porro addas prædicatum ex Jure naturæ deductum; judicium tuum tale erit: Qui per mendacium alicui tribuit animum famam ſuam laceſſendi, ut ipſius fidem ſuſpectam reddat, injuriam ipſi facit (§. 877. *part. 1. Jur. nat.*). Ita factum in abſtracto conſideratum tanquam lege naturæ prohibitum (§. 836. *part. 1. Jur. nat.*), odiſſe potes, nec odium extenditur ad perſonam, cujus in judiciis tuis nulla habetur ratio. Nimirum fingis, quemadmodum in diſciplinis moris eſt, ſubjectum aliquod, cui præter ea, quæ ad calumniam ſpectant, nihil ineſt, ideoque individuum hoc morale diſcernis ab individuo phyſico, qui eſt hic homo. Quodſi jam porro calumniam ad te referas, quæſtio huc redit, quantum tibi noceat iſtiusmodi calumnia & quid lege naturæ tibi permittatur ad eam reprimendam. Quoniam tibi nullum eſt negotium niſi cum perſona morali, amore individui phyſici ſalvo famam tuam defendere, vel etiam calumniatorem, pro datis circumſtantiis, punire potes. Facile apparet his exercitiis maxime convenire exempla, quæ vel obſervamus, vel in libris hiſtoricis legimus, vel etiam fingimus legentes ea, quæ in Jure naturæ prohibentur. Quoniam enim ea, quæ nos minime tangunt, animum parum commovent, ſaltem affectus vehementiores minime concitant, attentio, qua opus eſt, minime impeditur, nec judicio facile immiſcentur, quæ a veritate aliena, aut ullo modo legi naturæ adverſa ſunt. Cum hiſce vero exercitiis utiliter conjungitur ſtudium ingignendi odium vitiorum (§. 230. & *ſeqq. part. 2. Eth.*), niſi id jam ante fuerit contractum. Ea cum vulgo negligantur, non eſt quod miremur, ſi fuerint pauci, qui odium facti ad perſonam non extendunt, immo non deſint, qui ſibi videntur factum ſaltem odiſſe, illæſo amore perſonæ, cum tamen tacitum minimum odium perſonæ alant, quod ſuo quoque tempore vires capit. Maxime falluntur, qui ſibi voluntatis bonæ con-

Digitized by Google

ſcii ſunt, quæ tamen ad animum purum conſervandum minime ſufficit (§. 605. *part.* 4. *Eth.*).

§. 294.

Quomodo facta ſpectari poſſint tanquam infecta.

Quoniam qui facta a perſonis dividit facta in abſtracto ſaltem conſiderat per modum poſſibilium (§. 293.); *eodem modo, quo facta a perſonis dividuntur, ſpectari quoque poſſunt tanquam infecta.*

Facta nimirum a perſonis dividentes concipimus ſubjectum, cui non ineſſe ſumitur niſi habitus hoc faciendi. Quando itaque mentis actu hoc ſubjectum diſcernimus ab individuo phyſico, factum non aliter conſideratur, quam quod ab iſtiusmodi ſubjecto proficiſci poſſit. Non vero eſt, quod exiſtimes, fictiones iſtiusmodi eſſe abſurdas, aut inutiles. Quis enim eſt qui neſciat, eas eſſe fundamentum omnis ſcientiæ, ſeu cognitionis univerſalis. Quando enim genera & ſpecies rerum, ſeu entia univerſalia concipimus, nonne fingimus ſubjecta, quæ ab individuis phyſicis diſtingvuntur, & quibus non ineſſe ſumimus, niſi quæ certa individua communia habent? Et nonne perſonas morales concipimus tanquam ſubjecta certarum obligationum certorumque jurium (§. 70. *part.* 1. *Jur. nat.*), ideoque in ſtatu inprimis civili uni individuo phyſico attribuuntur plures perſonæ morales, ut de iis, quæ ipſis conveniunt, aut diſconveniunt, certo judicio ſtatui poſſit? Quod ſubjecto tribuimus, a veritate non ab horret; fictio tantummodo in eo eſt, quod id concipiatur per modum entis ſeparatam exiſtentiam habentis, & quod eidem non alia inſint, quam quæ eidem tribuimus.

§. 295.

Manſuetudo medium conciliandi alio-

Manſuetudine bonorum & bene judicantium amorem nobis conciliamus. Qui enim manſuetus eſt, hominem quemcunque alium, ipſum etiam inimicum, amat & diligit tanquam ſe-

ipſum

ipſum (§. 262.), malum bono, minime autem malo refert (§. 263.), ad condonandum offenſam facilis (§. 279.). Qui bene judicant, agnoſcunt hæc omnia legi naturæ conſentanea eſſe (§. 632. 799. 808. *part. 1. Jur. nat.*), & qui bonam habent voluntatem, ex actionibus legi naturæ conformibus voluptatem percipiunt (§. 121. 156. *part. 2. Eth.*), ideoque ipſis placent mores manſueti (§. 542. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque amor erga alterum concitatur, ſi quid in eo obſervamus, quod nobis placet (§. 648. *Pſych. empir.*); manſuetudine bonorum & bene judicantium amorem nobis conciliamus. *rum amorem.*

Qui de iis, ex quibus manſuetudo colligitur, recte judicant, difficultatem quoque hujus virtutis agnoſcunt, ideoque tanto magis amori ipſorum commendatur, qui hac virtute præditus eſt, modo non adſint impedimenta in contrarium, quæ tamen in præſenti non attenduntur, ubi ea demonſtrantur, quæ ex manſuetudine in ſe ſpectata fluunt. Nemo facile erit, qui non deſideret, ut, ſi quos offendit quocunque modo, eosdem ad condonandum faciles & a vindictæ cupidine alienos experiatur, ſi vel maxime non conſideret, hæc legi naturæ conſentanea eſſe, iisque delectetur, quæ caſtiſſimæ huic legi conformia ſunt. Quamobrem cum placeat manſuetudo, quando nobis utilis eſt, facile intelligitur, abſurdum eſſe, ſi non in ſe placeat, cum ſemper utilis eſſe poſſit, modo offeratur occaſio, quæ in manſueti poteſtate non eſt. Quodſi hoc probe perpendatur, manſuetudo ad aliorum amorem conciliandum tanto efficacior erit. Quicquid vero ſit, manet conciliatio amoris bonorum & bene judicantium motivum manſuetudinis, licet ad hos ſolos reſtringatur. Qui enim virtuti præditi ſunt, maxime delectantur, ſi amentur a bonis & intelligentibus, & ab iis exiſtimentur. Dudum enim exploratum eſt, quam dulce ſit placuiſſe bonis atque recte judicantibus. Et profecto parum refert, num improbis diſpliceas,

nec

Digitized by Google

nec placeas; ſufficit manſuetudinem non poſſe eſſe in cauſa, ut diſplicentia odium eorum in te concitet. In præſenti nimirum caſu diſplicere magis eſt non placere, quam revera diſplicere, ita ut facta tua improbent, aut prorſus derideant, non vero propterea tibi male cupiant.

§. 296.

Quod ſit amicitiæ conciliandæ medium.

Quoniam manſuetudine bonorum & bene judicantium amorem nobis conciliamus (§. 295.), amicus vero nobis eſt, qui nos amat (§. 625. *part. 1. Jur. nat.*); *manſuetudo medium eſt bonorum & bene judicantium amicitiam acquirendi.*

Eſt equidem hoc medium admodum particulare, quia reſtringitur ad bonos & recte judicantes: conſtat tamen horum amicitiam maximi eſſe faciendam. Avertit quoque ſubinde aliorum odium, conſequenter impedit, ne nobis reddantur inimici (§. 626. *part. 1. Jur. nat.*), propterea quod pudet odiſſe eos, quos amare ac diligere vident ipſos inimicos & bono referre malum, ita ut pudor vetet, quod ratio diſſuadere nequit. Cum operam dare teneamur, ut amicitiam aliorum acquiramus (§. 636. *part. 1. Jur. nat.*), nec alios nobis inimicos reddamus (§. 634. *part. 1. Jur. nat.*); legi naturæ conveniens medium acquirendi amicitiam & declinandi inimicitiam manſuetudo eſt.

§. 297.

Quod manſuetus ſit ad reconciliationem pronus.

Qui manſuetus eſt ad reconciliationem pronus eſt. Qui enim manſuetus eſt, inimicum quoque ſuum amat (§. 262.), conſequenter amicus ipſi eſt (§. 625. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque eum odiſſe nequit (§. 623. *part. 1. Jur. nat.*), inimicitiam averſatur (§. 626. *part. 1. Jur. nat.*). Cumque præterea ad condonandum offenſam facilis ſit (§. 279.), ideoque cupiditatem vindictæ deponat (§. 959. *part. 1. Jur. nat.*), tædia ipſi creare nolens, propterea quod ſe offendit (§. 947. *part.*

part. 1. *Jur. nat.*); nulla ſane ratio eſt, cur alterum non potius malit ſibi eſſe amicum, quam inimicum. Quodſi ergo fieri poſſit, ut inimicus reddatur amicus, conſequenter ut ipſi reconcilietur (§. 766. *part.* 1. *Jur. nat*), minime refragatur. Ad reconciliationem igitur pronus eſt, qui manſuetus eſt.

Quodſi homines omnes eſſent manſueti, nulla reconciliatione opus foret, cum ea ſua ſponte ſequeretur ira deflagrante, cum manſuetudo nullum odio relinqueret locum (§. 262.). Sane ſi qui manſuetus eſt alterum offendit & ad iram provocavit, cum ipſum offenſæ ſtatim pœniteat, omnem quoque extemplo movet lapidem, ut eum ſibi reconciliet, amorem ſuum erga ipſum omni poſſibili modo ſignificans nihilque prætermittens, quod ad iram alterius ſedandam, & odium reprimendum facere poſſe videtur. Quodſi vero alter ipſum offendit, quam ſit pronus ad condonandum, & quod inimicitiam averſetur, ſignificat, ne alter ſuo odio ad odium viciſſim concitetur, ideoque inimicum erga ſe induat animum. Fieri enim ſolet, ut, qui putat eum, quem offendit, ſe odiſſe, ideoque ad tædia ſibi creandi paratum, eundem erga ipſum induat animum, quem eum erga ſe habere opinatur. Sunt etiam alii, qui præ ſe ferre geſtiunt, quaſi amicitiam, vel inimicitiam alterius parum curent, aut quaſi alteri magis noceat ſuum odium, vel etiam indifferens erga ipſum animus, ſeu non amor. Nihil itaque ad reconciliationem magis prodeſt quam manſuetudo.

§. 298.

Quoniam qui manſuetus eſt, ad reconciliationem pronus eſt (§. 297.), qui vero ad reconciliationem pronus eſt placabilis eſt (§. 779. *part.* 1. *Jur. nat.*); *Qui manſuetus eſt, idem & placabilis eſt*, conſequenter cum placabilitas virtus ſit, qua ad reconciliationem proni ſumus (§. 780. *part.* 1. *Jur. nat.*), *manſuetudo placabilitatem comitem aſſiduam habet.* *De placabilitate manſuetudinis comite.*

Sine manſuetudine firma reconciliatio non concipitur, ideoque nec placabilitas re vera locum habet. Nondum enim placabilis eſt, qui ſe reconciliari patitur. Facile enim reconciliationis pœnitet eum, qui ſe conciliari paſſus fuit, & odium ſopitum facile recrudeſcit, ſi occaſio alteri moleſtiam creandi ſeu nocendi priſtinæ injuriæ, aut offenſæ memoriam reſuſcitet. Placabilitas, quæ virtus eſt (§. 780. *part. 1. Jur. nat.*), conſtantiam & perpetuitatem voluntatis exigit (§. 328. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quæ reconciliationi firmitatem præſtat (§. 1062. *part. 1. Theol. nat.*). Conſtantiam & perpetuitatem voluntatis placabilitati infundit manſuetudo. Etenim cum manſuetus deponat omnem vindictæ cupidinem (§. 950. *part. 1. Jur. nat.*) offenſam condonans (§. 959. *part. 1. Jur. nat.*); ſi vel maxime contingat memoriam offenſæ renovari, ea tamen appetitum movere nequit, nec motivum ingreditur in actionibus, quæ reſpiciunt offenſorem (§. 281.). Atque hinc multo evidentius patet, ſine manſuetudine non concipi placabilitatem. Non omnia, quæ virtuti conformiter fiunt, a virtute proficiſcuntur, quæ legi naturæ conformiter ea determinandi habitus eſt (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ex uno vel altero actu non colligendus (§. 430. *Pſych. empir.*). Accedit, quod rationes, ob quas quis ſe reconciliari patitur, diverſæ admodum eſſe poſſint, quam quæ motiva virtutis ſunt. Atque in his dijudicandis inſignem uſum habet cognitio dependentiæ virtutum a ſe invicem, veluti in præſenti placabilitatis a manſuetudine, manſuetudinis ab amore inimicorum, amoris inimicorum ab amore aliorum propter Deum & hujus amoris ab amore Dei ac pietate. Facile nimirum contingit, ut motiva labem aliquam contrahant ob defectum hujus, vel illius virtutis, a qua dependet virtus, ad quam actio aliqua refertur. Neque vero eſt, ut nimiam ſubtilitatem accuſes, dum perfectam virtutem inculcamus. Ipſe Chriſtus, dum manſuetudinem commendat, tandem concludit adhortationem ſuam hiſce verbis: Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt, *Matth.* V. 48.

§. 299.

§. 299.

Similiter quoniam *qui manſuetus eſt*, ad reconciliationem pronus eſt (§. 297.); *non modo reconciliatori ſeſe difficilem minime præbet, verum etiam alteri ultro reconciliatur, etſi is reconciliationem non petat, nec ſit alius, qui eam tentet, immo etiamſi alter ſe reconciliari non patiatur.* Oſtenditur idem etiam hoc modo: Manſuetudo regit actiones humanas circa injurias (§. 250.), conſequenter quaslibet offenſas (§. 255.). Quodſi ergo inde naſcatur inimicitia, actiones quoque regit circa inimicitias. Enimvero quilibet operam dare debet, ut inimici ipſi reconcilientur (§. 768. *part. 1. Jur. nat.*), & ipſe non modo ſeſe minime difficilem præbere debet reconciliatori (§. 786. *part. 1. Jur. nat*), verum etiam ultro reconciliari alteri, quamvis is reconciliationem non petat, nec ſit alius, qui eam tentet (§. 783. *part. 1. Jur. nat.*), immo quamvis is ſeſe nobis reconciliari non patiatur (§. 784. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem patet, manſuetum in reconciliatione ea obſervare, quæ ab eo obſervari diximus. *Quomodo manſuetus in reconciliatione ſe gerat.*

Duo ſunt caſus hic attendendi. Aut enim inimicitia ex una ſaltem parte eſt, aut ex utraque. Si inimicitia fuerit ex una parte, aut tu alteri inimicus es, quia te offendit, aut alter tibi inimicus eſt, quia tu ipſum offendiſti. Fieri tamen quoque poteſt, ut alter tibi inimicus reddatur, qui te offendit, quamvis, cum manſuetus ſis, inimicum erga ipſum animum non indueris, quia putat, te inimicum eſſe, ex ſuo genio te judicans, quemadmodum jam ante notavi (*not. §. 298.*). Hinc facile patet, quid pro diverſitate caſuum fieri debeat, ne quid committatur contra manſuetudinem. Tuus animus in poteſtate tua eſt; aſt non alterius. Quamvis itaque tu reconciliationi minime reſiſtis, ſed eam omni modo quæris, immo etſi ex parte tua perfecta jam ſit; non tamen vi alterum ad reconciliationem adigere potes, cum voluntatem alterius

cogere haud quaquam poſſis (§. 927. *Pſych. empir.*). Tum igitur ſufficit, ut pro datis circumſtantiis animum tuum erga ipſum declares, vel reconciliationem ipſius per te, vel per alios tentes. Nemo enim obligatur ultra id, quod in poteſtate ſua eſt (§. 176. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 300.

Quomodo placabilis.

Similiter quia manſuetus placabilis eſt (§. 299.), placabilis vero ad reconciliationem pronus eſt (§. 779. *part. 1. Jur. nat.*): *qui eſt placabilis*, eodem modo ſe gerit in reconciliatione quemadmodum manſuetus, nimirum *non præbet ſe difficilem reconciliatori, ſed ultro reconciliatur alteri, etiamſi is reconciliationem non petat, nec ſit alius, qui eam tentet, immo etiamſi alter ſe reconciliari non patiatur* (§. 299.).

Negotium reconciliationis ad placabilitatem pertinet (§. 779. *part. 1. Jur. nat.*), manſuetudo vero placabiles efficit (§. 298.). Qui placabilis eſt, ita ſe gerit in reconciliatione, quemadmodum lex naturæ jubet, & in præſenti propoſitione urgetur; ſi vero ita ſe gerere debet, neceſſe eſt ut omnem vindictæ cupidinem deponat (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque manſuetudini locum faciat (§. 950. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem qui placabilis eſſe vult, manſuetudini operam dare tenetur, & ut manſuetus fiat, inſtillandus eſt amor inimicorum (§. 261.). Hæc quidem ita ſe habere debent, ſi placabilitas virtus eſſe debet, ſeu habitus legi naturæ convenienter agendi. Fieri nimirum poteſt, ut inimicos reconciliemus uſi motivis particularibus a circumſtantiis caſus dati deſumtis: aſt propterea qui reconciliantur nondum efficiuntur placabiles. Deeſt illa voluntatis conſtantia & perpetuitas, quæ ad virtutem requiritur (§. 328. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nec ita diſpoſitus eſt animus, qualis ad veram amicitiam requiritur, odio radicitus nondum evulſo. Immo rationes ſuaſoriæ vim ſuam a vitiis accipere ſolent, veluti ab ambitione, ſi deſumuntur ab honore, ab avaritia, ſi a lucro. Quamvis in ſocietate huma-

humana utile ſit, ut inimicitiæ manifeſtæ tollantur, ne in actus externos erumpant; in Ethica tamen non ſaltem adſuefaciendi ſunt homines, ut actiones externas utcunque ad legem naturæ componant, utilitate quadam ſua adducti; ſed immutandus eſt animus, cum virtutes morales ſint habitus voluntatis (§. 547. *part. 1. Jur. nat.*), in cujus determinationem nihil influere debet, quod a vitio ortum trahit, & puritati animi officit (§. 599. *part. 2. Eth.*), quam lex naturæ urget (§. 604. *part. 2. Eth.*). Non omnes rationes ſuaſoriæ, quibus voluntas determinatur ad actionem legi naturæ conformem, ſunt vera motiva virtutis, quamvis in ſocietate humana utiles ſint ad dirigendas actiones externas, & in formandis moribus, ut animi ad ſtudium virtutis præparentur.

§. 301.

Quomodo animus ad placabilitatem diſponatur.

Qui animum ad placabilitatem diſponere vult, perpendere debet inimicitiam eſſe malum fortunæ, amicitiam fortunæ bonum; illam ducere ad legem naturæ transgrediendum, hanc ad actiones eidem conformes committendas. Qui enim perpendit, inimicitiam eſſe malum fortunæ (§. 774. *part. 1. Jur. nat.*), & quam periculoſum ſit habere inimicos (§. 216.), quodque inimicitiæ miſeriam humanam pariant hominesque infelices reddant (§. 241.), is inimicitiam averſabitur (§. 907. *Pſych. empir.*). Qui perpendit amicitiam eſſe fortunæ bonum (§. 773. *part. 1. Jur. nat.*), & quantum ea valeat in promovenda felicitate hominum (§. 172.), quantumque in ea præſidium ſit in rebus adverſis (§. 182.); is amicitiam appetet (§. 904. *Pſych. empir.*). Quodſi agnoſcat inimicitiam ducere ad transgreſſionem legis naturæ, cum inimici odio ſe mutuo habeant, quod tendit ad promovendam infelicitatem & impediendam, vel depellendam felicitatem alterius (§. 308. *part. 2. Eth.*), lex vero naturæ requirat in omni homine conſtantem ac perpetuam voluntatem felicitatem alterius cujuscunque promovendi (§. 615. *part.*

Digitized by Google

part. 1. *Jur. nat.*); niſi noluntate bona adhuc careat (§. 127. *part.* 2. *Eth.*), inimicitiam averſabitur. Immo ſi ad animum revocaverit, transgreſſione legis naturalis hominem reddi infelicem (§. 405. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); cum natura infelicitatem averſemur (§. 325. *part.* 2. *Jur. nat.*), inimicitiam averſabitur. Ex adverſo vero ubi perpendit, amicitiam nos ducere ad legem naturæ ſervandam, cum amicitia mutuo amore conſiſtat (§. 171.), qui tendit ad promovendam felicitatem & depellendam infelicitatem alterius (§. 292. *part.* 2. *Eth.*), lex vero naturæ nos obliget dare operam pro virili, ut homines quicunque ſint felices, ac impedire, ne fiant infelices (§. 614. *part.* 1. *Jur. nat.*); niſi voluntate bona adhuc careat (§. 121. *part.* 2. *Eth.*), amicitiam appetit. Immo ſi ad animum revocaverit, cuſtodia legis naturalis hominem reddi felicem (§. 396. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), nec ſine ea quenquam felicem eſſe poſſe (§. 399. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), cum natura felicitatem appetamus (§. 324. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), amicitiam appetet. Quoniam itaque inimicitiam averſatur, amicitiam vero appetit, qui inimicitiam tanquam malum, amicitiam tanquam bonum fortunæ conſiderat, quodque illa ad transgreſſionem, hæc vero ad cuſtodiam legis naturalis ducat *per demonſtrata;* ideo fieri nequit, quam ut inimicitiam tolli velit, ſiquidem in eam inciderit, conſequenter animus ad reconciliationem pronus efficiatur (§. 766. *part.* 1. *Jur. nat.*), ideoque ad placabilitatem diſponatur (§. 780. *part.* 1. *Jur. nat.*).

Nemo ſanus cupiet alios ſibi potius eſſe inimicos, quam amicos, modo ſatis noverit, quid ſibi velit amicitia, quid inimicitia, nec pravis affectibus, quibus irritatur animus adverſus alterum, mens occœcata fuerit. Qui vult alios ſibi eſſe amicos, inimicum ſe ipſis præbere non debet. Amor enim inimico-

Digitized by Google

micorum admodum rarus eſt, ut in alio ſupponi nequeat. Et, ſi vel maxime eundem ſupponas, amor tamen, quo amicum proſequimur, prærogativam quandam habet præ amore inimici (§. 668. *part. 1. Jur. nat.*). Animus itaque ad placabilitatem aliter diſponi nequit, niſi conſideratione boni, quod ab amicitia ſperandum, & conſideratione mali, quod ab inimicitia metuendum, ut illius amore capiamur, hujus vero odium concipiamus. Sane ſi rationes ſuaſorias conſideres, quibus vulgo utuntur omnes, qui inimicos reconciliare ſtudent; eæ tandem ad amicitiæ utilitatem, inimicitiæ damna redeunt. Atque ideo quoque implacabiles ſunt, qui ſibi perſuadent, alterum ſibi nocere minime poſſe, nec ſe ejus indigere ope, ut perinde ſit ſive eo amico, ſive inimico utantur. Inde quoque petenda eſt ratio, cur reconciliationi parum ſit fidendum, quæ tantum nititur opinione damnorum quorundam particularium metuendorum, quorum præviſio admodum incerta eſſe ſolet. Quamobrem etſi utile ſit, ut iſtiusmodi rationibus animus diſponatur ad reconciliationem in caſu particulari potiſſimum, neceſſe tamen eſt, ut præterea probe conſiderentur damna, quæ naſcuntur ex actionibus legi naturæ adverſis, ad quas cupido vindictæ incitat. Atque huc faciunt, quæ de transgreſſione legis naturæ infelicitatis cauſa diximus, & de cuſtodia ejusdem cauſa felicitatis, qua ſe privat qui actiones eidem conformes omittit.

§. 302.

De nexu facilitatis condonandi cum placabilitate.

Qui placabilis eſt, ad condonandam offenſam facilis eſt, & contra. Qui enim placabilis eſt, ad reconciliationem pronus eſt (§. 780. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter vult, ut inimicus reddatur amicus, ac ipſe quoque ei, qui ſe offendit, inimicus eſſe non vult (§. 766. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque eum, qui ſe offendit, non odit (§. 626. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque tædia ipſi creare non cupit, propterea quod ſe offendit (§. 671. *Pſych. empir.*); cupiditatem vindictæ

depo-

Digitized by Google

deponit (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum offenſam condonet, qui cupiditatem vindictæ deponit (§. 959. *part. 1. Jur. nat.*); qui placabilis eſt, ad condonandum offenſam facilis. *Quod erat unum.*

Quodſi quis fuerit ad condonandum offenſam facilis, cupiditatem vindictæ deponit (§. 959. *part 1. Jur. nat.*), conſequenter tædia alteri creare non vult, propterea quod ſe offendit (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum tædia creare alteri nolens, propterea quod ſe offendit, eum odiſſe nequeat (§. 672. *Pſych. empir.*); inimicitiam quoque averſatur (§. 626. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque alteri reconciliatur, qui ex inimico fit amicus (§. 766. *part. 1. Jur. nat.*), ad reconciliationem pronus eſt. Enimvero placabilis eſt, qui ad reconciliationem pronus eſt (§. 779. *part. 1. Jur. nat.*). Ad condonandum offenſam itaque facilis placabilis eſt. *Quod erat alterum.*

Condonandi facilitas ſignum placabilitatis eſt. Inde nimirum colligitur, quod quis inimicitias habere ac gerere nolit, ipſum odium odio habens. Odium odio haberi poſſe abſurdum non eſt. Odium enim vitium eſt, quod oritur ex odio affectu (§. 130.). Quamobrem cum odium vitii poſſibile ſit (§. 230. *part. 2. Eth.*); odium quoque tum qua vitium, tum qua affectus odio haberi poteſt. Idem quoque ex ipſa notione odii patet. Qui enim alterum odiſſe non vult, ex odio moleſtiam percipit (§. 156. *part. 1. Eth.*). Quoniam itaque rem inanimatam odio habemus, ſi ex ea moleſtiam percipimus (§. 679. *Pſych. empir.*); ipſum quoque odium odio haberi poſſe manifeſtum eſt. Et quoniam odium rerum inanimatarum tendit ad eas deſtruendas (§. 311. *part. 2. Eth.*); ſi ipſius odii odium concipitur, hoc tendit ad affectum iſtum reprimendum & per conſequens ad inimicitiam deponendam (§. 626. *part. 1. Jur. nat.*): id quod placabilitati maxime convenit (§. 780.

766.

Digitized by Google

766. *part. 1. Jur. nat.*). Quæ hic de odio dicuntur, de omni affectu pravo valent, & in odio affectuum pravorum multum præſidii eſt adverſus affectus pravos, quod perinde ac odium vitii ingignendum, ne iisdem facile corripiatur animus. Et ex adverſo idem quoque transferri poteſt ad amorem affectuum bonorum, quatenus nimirum ſunt ſtimulus actionum bonarum committendarum. Qui notionem amoris rerum inanimatarum habet, facile hoc videt (§. 657. *Pſych. empir.*).

§. 303.

Quinam qui placabilis eſt offenſam ſtatim condonet & pœnam remittat.

Quoniam qui *placabilis* eſt ad condonandum offenſam facilis (§. 302.); *ſi quem facti pœnitet, deprecanti extemplo offenſam condonat.* Et quamvis condonatio offenſæ pœnam non tollat (§. 282.), cum tamen pœna non intendatur niſi averſio periculi, ne denuo lædaris in poſterum (§. 1074. *part. 1. Jur. nat.*), ſi quem vero facti ſerio pœnitet, ne ab eo denuo lædaris non verendum videatur, & pœna remittenda ſit, ſi alio modo periculum ex læſione facta imminens averti poteſt, quam pœnam exigendo (§. 1097. *part. 1. Jur. nat.*); *qui placabilis eſt, offenſori, quem facti ſerio pœnitet, præſertim ſi deprecatione facti uſus veniam petit, pœnam, quam exigere poterat, remittit.*

In ipſo foro deprecatio pœnæ loco injungitur pro ratione injuriarum, nec ad ulteriorem progreditur judex, ſi eam ſufficere arbitratur. Quoniam vero in civitate exercitium juris puniendi privatis ademtum & in judicem translatum (§. 559. *part. 8. Jur. nat.*); præſens tamen propoſitio uſum quoque habet in ſtatu civili, quatenus data venia auxilium judicis non imploramus, qui ex officio non punit, niſi delicta publica, ſeu crimina, minime autem privata.

§. 304.

De naturali æqualitate

Conſideratio naturalis æqualitatis hominum intimius perſpecta hominem ad condonandum facilem reddit, & placabilitatem promovet.

hominum condonandi facilitatem & placabilitatem inſtillante.

Qui enim naturalem hominum omnium æqualitatem intimius perſpicit (§. 81. *part. 1. Jur. nat.*), is non modo agnoſcit omnium hominum natura eadem eſſe jura & obligationes easdem (§. 78. *part. 1. Jur. nat.*); verum etiam pro certo habet, quod jure ſuo ſibi fieri vult ab alio, qui ipſi obligatus eſt, id etiam ſe alteri facere debere, cui eadem obligatione tenetur (§. 99. *part. 1. Jur. nat.*), quod vero ſibi fieri non vult, id nec ſe alteri facere debere (§. 98. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero nemo vult, ut is, quem offendit, tædia ſibi creare velit, quod propria conſcientia teſte ſumere licet, conſequenter ut habeat erga ſe animum vindictæ cupidum (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*), ſed vult potius, ut vindictæ cupidinem deponat, conſequenter ut offenſam ſibi condonet (§. 959. *part. 1. Jur. nat.*). Et præterea lege naturali præcipitur, ut habeamus animum ab omni vindictæ cupidine alienum (§. 948. *part. 1. Jur. nat.*), atque ad condonandum faciles ſimus (§. 960. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem ad hoc non magis alter tibi obligatur, quam tu ipſi obligatus es, & quo jure, cum id ex hac obligatione naſcatur (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*), tu hoc requiſiveris ab altero, eodem jure alter a te hoc requiſiverit. Patet itaque conſideratione naturalis æqualitatis hominum intimius perſpectæ homines ad condonandum faciles reddi. *Quod erat unum.*

Enimvero qui ad condonandum facilis eſt, placabilis quoque eſt (§. 302.). Quoniam itaque conſideratione æqualitatis naturalis hominum ad condonandum offenſam faciles efficiuntur homines, *per demonſtrata n. 1.* eadem quoque placabilitas promovetur. *Quod erat alterum.*

Poſterius quoque oſtenditur ex eo, quod nemo velit ut is, quem offendit, tædia ſeu moleſtias ipſi creare ſtudeat, id quod denuo propria conſcientia teſte ſumere licet, conſe-

quen-

Digitized by Google

quenter non vult, ut ſe odio habeat (§. 672. *Pſych. empir.*), ideoque ſibi inimicus ſit (§. 626. *part. 1. Jur. nat.*); ſed potius vult, ut odium ex offenſa conceptum deponat, ideoque ex inimico amicus reddatur, ſicque ſibi reconciliari ſe patiatur (§. 766. *part. 1. Jur. nat.*) & per conſequens ut ſit placabilis (§. 779. *part. 1. Jur. nat.*). Et quoniam lex naturæ jubet, ut ad reconciliationem proni (§. 769. *part. 1. Jur. nat.*) atque ideo placabiles ſimus (§. 782. *part. 1, Jur. nat.*); tu non minus alteri, quam alter tibi ad hoc obligatur, & quo jure tu ab altero hoc exigis, eidem quoque idem alter a te exigit. Inde nimirum eodem prorſus modo, quo in propoſitione præcedente infertur, conſideratione æqualitatis naturalis hominum intimius perſpectæ placabilitatem promoveri.

Ad conſiderationem naturalis æqualitatis hominum intimius perſpectæ requirimus, ut non modo ejus notionem diſtinctam habeamus, verum etiam nobis nota ſint, quæ ex ea neceſſario conſequuntur, conſequenter vi ejusdem facienda, vel non facienda ſunt, utque tam illius, quam horum ſimus convicti. Atque huc animum attendimus in demonſtratione, quemadmodum facile animadvertitur. Pervulgata eſt regula: Quod tibi non vis fieri, alteri non feceris, & quod vis ut tibi faciant alii, tu quoque aliis feceris: aſt non omnes fontem illius conſiderant, naturalem ſcilicet hominum omnium æqualitatem, unde fluunt determinationes, quas nos addidimus (§. 98. 99. *part. 1. Jur. nat.*), & quas noſſe intereſt, ne intempeſtivis exceptionibus locum faciamus, quando affectus & vitioſi habitus in contrarium ejus trahunt, quod faciendum alteri, vel non faciendum. Quanta enim ſit vis harum exceptionum & quam proni ſint homines ad eas faciendas, ſi affectus pravi ſuadent, quod a ratione alienum agnoſcere tenentur, indies experimur. Neceſſe vero etiam eſt, ut ad determinationes iſtas animum attendamus, ne in applicatione regulæ a vero aberremus; nec difficultates faceſſat inæqualitas

hominum moralis, quæ vel ab acquiſitis pendet, vel in ſtatu civili introducta. Hic enim proprie ſaltem ſpectantur ea, quæ homo homini qua homini debet, quamvis etiam regulæ iſtius uſus eſſe poſſit in caſu inæqualitatis, ſi fingamus, nos eſſe alterius loco, alterum vero noſtro. Negari tamen non poteſt, in hoc caſu non eandem vim eſſe regulæ ad commovendum animum, quemadmodum in priori, niſi quis in ratione perficienda multos fecerit progreſſus, & ratione vincere affectus didicerit. Multi ſunt, qui phyſicæ ſaltem æqualitatis hominum notionem confuſam habent, moralis nullam. Atque his parum utilis erit conſideratio æqualitatis hominum ad facilitatem condonandi & placabilitatem, neque in aliis quoque caſibus multum efficies, etiamſi ipſis inculcaveris, alteri non eſſe faciendum, quod tibi fieri non vis, faciendum vero, quod tibi fieri vis. Et ubi æqualitas moralis regulæ locum facit, certus eſſe debes, alterum tibi ad hoc faciendum, vel non faciendum eſſe obligatum, quod tibi fieri, vel non fieri vis: id quod ex Jure naturæ addiſcendum.

§. 305.

Quænam requirantur, ut conſideratio æqualitatis naturalis ingignat facilitatem condonandi & placabilitatem.

Quoniam conſideratio æqualitatis naturalis intime perſpectæ hominem ad condonandum facilem reddit & placabilitatem promovet (§. 304.), cognitio autem non fit motivum voluntatis, vel noluntatis, niſi fuerit viva (§. 244. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), conſequenter niſi veritatis fuerimus convicti (§. 248. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*); *Cui ſerium eſt propoſitum facilitatem condonandi & placabilitatem acquirendi, is ſcientiam æqualitatis naturalis* & per conſequens *officiorum ex natura humana derivatorum, ſeu quæ homo homini debet, quia homo eſt, ſibi comparare, & in rationes inæqualitatis, tum quæ ab iis derivantur, quæ homo ſtudio ac labore ſuo acquirit, atque fortunæ accepta referre debet, tum quæ ex ſtatu civili reſultant, inquirere, & quomodo per inæqualitatem hæc officia illa alterentur, ſeu certo modo determinentur, aut* quæ-

quædam peculiaria inde oriantur, cognoſcere tenetur. Quoniam ad hanc ſcientiam requiritur, ut agnoſcatur dependentia officiorum omnium a ſe invicem, hoc eſt, quomodo unum ex altero naſcatur, & quomodo inſtar rivulorum ex fonte ex natura humana deriventur, & ab illis ipſis dependeat inæqualitas, tum quæ locum habet in ſtatu naturali, tum quæ obtinet in civili, hæc autem ſcientia hauriri nequit, niſi ex ſyſtemate legum naturalium (§. 81. *part. 2. Phil. pract. univ.*), non alia methodo quam demonſtrativa condendum (§. 83. *part. 2. Phil. pract. univ.*), qua ad ſcientiam pervenitur (§. 598. *Log.*); *qui ſcientiam æqualitatis naturalis hominum ad inſinuandam facilitatem condonandi & placabilitatem ingignendam ſufficientem ſibi comparare vult, ex ſyſtemate legum naturalium veri nominis eam haurire tenetur.*

Qui hæc perpendit, haud difficulter animadvertet, cur parum commoveat homines æqualitatis naturalis conſideratio, ut ſint ad condonandum faciles & placabiles, quamvis admodum naturale homini ſit, ut propter æqualitatem naturalem ſit & ad condonandum facilis, & placabilis. Operam dedimus, ut ſyſtema legum naturalium conſtrueremus, ex quo dependentia officiorum a ſe invicem cognoſci poteſt, & quomodo ea, quæ homo homini debet, ab iis, quæ ob rationes alias debentur, dividenda ſint, addiſcere poſſumus, modo huc animum advertamus, quemadmodum demonſtrationum analyſis exigit (§. 992. *Log.*), & quoad caſum præſentem aliquatenus inſinuavimus (*not.* §. 304.). Neque vero eſt, ut deſperes, hoc pacto conſiderationem æqualitatis naturalis paucis profuturam ad condonandi facilitatem & placabilitatem. Etenim in iis, qui ſcientiæ capaces non ſunt, ejus defectum ſupplet reductio veritatum univerſalium ad ſenſum communem (§ 422. *part. 1. Eth.*), & qui ſcientia pollent opera ſua hunc defectum ſupplere debent (§. 612. *prt. 1. Jur. nat.*).

Præterea notandum eſt, ad confuſam quandam dependentiæ officiorum a ſe invicem perceptionem ſufficere, ſi officia inculcentur eo ordine, quo unum ex altero conſequitur, atque tunc perceptionem iſtam influere vel tacite in appetitum & averſationem eorum, qui ſcientiæ ſunt incapaces. Haud obſcure hoc intelligitur ex iis, quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus, & experientia domeſtica confirmatur, ſi quis animum juxta ea formaverit. Quodſi hoc obſervaretur ab his, qui mores aliorum formare debent, multa facilia forent, quæ difficilia, ſi non prorſus impoſſibilia videntur. Non alia de cauſa officia omnia Chriſtus reduxit ad amorem Dei ſuper omnia atque proximi tanquam ſui ipſius dependentiam omnium officiorum a ſe invicem inculcaturus, *Matth.* XXII. 37. *& ſeqq.* Ne vero exiſtimes, quæ vulgo imperito ſufficiunt, in iis quoque tibi eſſe acquieſcendum, nec ſcientiæ navandam operam, ut dependentiam illam intimius perſpicias; tenendum eſt, eum, cui amplior eſt facultatum, virium ac rerum uſus & auxilium majus, ad plura præſtanda obligari, quemadmodum denuo ipſe Chriſtus inculcat, *Luc.* XII. 48. ut aliis non ſis inutilis, quibus utilis eſſe poteras atque debebas, *Luc.* XIX. 13. *& ſeqq.*). Notandum præterea eſt, duplicem eſſe dependentiam officiorum a ſe invicem, alteram theoreticam, alteram practicam. Illa potiſſimum agnoſcitur ex ſyſtemate Juris naturæ, hæc ex ſyſtemate Ethicæ, quamvis etiam cognitio hujus a cognitione illius dependeat, quemadmodum experietur qui ex utroque ſyſtemate ſcientiam dependentiæ haurire ſtuduerit. Denique non negamus, fore, ut, qui omni virtuti ſedulam operam navaverit, ei quaſi ſua ſponte ipſique inſcio confuſam quandam dependentiæ notionem ingigni, & in exercitio virtutum unam in alteram influere, quemadmodum dependentia officiorum a ſe invicem requirit, etiamſi de ea non cogitet: fortunæ tamen demandanda non ſunt, quæ poteſtati noſtræ ſubjiciuntur. Ingens equidem fortunæ beneficium eſt, quod in praxi morali nos multis modis adjuvat; non tamen eos faciemus progreſſus,

quos

quos facere poteramus, niſi a fortuna expectare voluiſſemus, quod ratione uſi conſequi poteramus. Certum incerto præferendum, præſertim in re tanti momenti, qualis eſt praxis moralis, & huc quoque nos ducit ipſa naturalis obligatio, vi cujus omnem facultatum noſtrarum uſum facere tenemur, qui ad ſervandam legem naturæ requiritur (§. 302. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 306.

Signum deficientis manſuetudinis.

Qui ad condonandum offenſam ægre ſe perſuaderi patitur, manſuetus nondum eſt. Qui enim ægre ſe perſuaderi patitur, ut offenſam condonet, ad eam condonandam nondum facilis eſt: id quod per ſe patet. Quoniam itaque manſuetus ad condonandum offenſam facilis eſt (§. 279.); qui ad condonandum offenſam ægre ſe adduci putitur, nondum manſuetus eſt.

Ad manſuetudinem non ſufficit, ut te tandem perſuaderi patiaris ad offenſam condonandum: cum enim manſuetudo tanquam virtus (§. 950. *part. 1. Jur. nat.*) habitus ſit (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), habitus vero in promptitudine agendi conſiſtat (§. 428. *Pſych. empir.*), ut manſuetus offenſam condonet, nullis demum argumentis opus eſt, quibus eorum notionem ipſi perſuadeas. Animus ejus ad condonationem jam diſpoſitus eſt & ea ex amore ipſorum inimicorum ſua ſponte reſultat (§. 262.). Spectat manſuetus condonationem offenſæ tanquam officium, quod negligere turpe eſt, nec illæſa conſcientia negligi poteſt. Conſideranda vero etiam ſunt argumenta, quibus quis ad condonandum offenſam perſuadetur. Ex iis enim intelligitur, utrum condonatio ſit actus ad manſuetudinem referendus & a voluntate bona proficiſcatur, an vero labem contrahat a vitio quodam in determinationem ejus influente, ideoque labe quadam inficiatur (§. 598. *part. 2. Eth.*).

§. 307.

§. 307.

Signum placabilitatis deficientis.

Qui ægre ſe alteri reconciliari patitur, nondum placabilis eſt. Etenim qui ægre ſe alteri reconciliari patitur, ad reconciliationem nondum pronus eſt, id quod per ſe patet. Quoniam itaque placabilis ad reconciliationem pronus eſt (§. 779. *part. 1. Jur. nat.*); qui ægre ſe alteri reconciliari patitur, nondum placabilis eſt.

Quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus, de præſenti quoque valent. Atque inde ſimul patet, ſignum hoc deficientis virtutis ad virtutem aliam quamcunque applicari poſſe: id quod quamvis intellectu admodum facile, probe tamen notandum, ne ad virtutem jam perveniſſe nobis videamur, a qua tamen procul adhuc remoti ſumus, ſi vel maxime conſtituti ſimus in via, quæ ad eandem tendit, & ut ſollicitius animum attendamus ad obſtacula, quæ progreſſum adhuc remorantur, vel etiam ex rationibus actionem externa ſpecie virtuti conformem determinantibus colligamus, quibus vitiorum labe animus adhuc infectus ſit. Lubet ſubinde in caſu ſpeciali afferre, quæ in genere valent, tum ut hoc modo adſueſcat lector generalia a ſpecialibus abſtrahere, quod plurimum valet ad amplificandam ſcientiam, tum ut notiones generales, quæ lucem mutuantur a ſpecialibus, quemadmodum hæ a ſingularibus, clariores menti infigantur, quod plurimum valet ad convictionem & in praxi præſertim morali multum habet uſum.

§. 308.

Quando declaratio condonationis offenſæ ſit ſignum manſuetudinis.

Qui manſuetus eſt, læto vultu & verbis lenibus condonationem petenti declarat, ſe lubenter ipſi condonare offenſam. Qui enim manſuetus eſt, ad condonationem pronus eſt (§. 279). Quamobrem cum manſuetudo virtus ſit (§. 950. *part. 1. Jur. nat.*), virtuoſus autem actiones legi naturæ conformes cum

cum gaudio committat (§. 348. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & virtutem amet (§. 351. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque eadem delectetur (§. 657. *Pſych. empir.*), ut ipſi maxime placeat (§. 542. *Pſych. empir.*); offenſam lubenter condonat (§. 938. *Pſych.*), nec ſine gaudio. Quamobrem cum verbis alteri animum noſtrum declaremus, quod per ſe patet, & non minus voce & ſermone, quam vultu prodatur affectus (§. 752. *part. 2. Phil. pract. univ.*); qui manſuetus eſt, læto vultu & verbis lenibus condonationem petenti declarat, ſe lubenter ipſi condonare offenſam.

Si quis manſuetus eſt, offenſa jam condonata, antequam petatur, cum condonetur, etiamſi non petatur. Condonatio offenſæ dulcis eſt, cum ex ea intelligat manſuetus, ſe virtute adeo excelſa, qualis manſuetudo eſt, præditum eſſe, ideoque perfectionis hujus ſibi conſcius (§. 548. *part. 1. Jur. nat.*) voluptate perfundatur (§. 511. *Pſych. empir.*). Hæc cum prædominetur, tædio ex offenſa percipiendo (§. 936. *part. 1. Jur. nat.*) nullum relinquit locum (§. 529. *Pſych. empir.*). Quoniam in actione ſincera plenarius eſt conſenſus internæ cum externa, ita ut in externa nihil occurrat, in cujus determinationem non influat animi ſtatus (§. 714. *part. 2. Phil. pract. univ.*); fieri quoque aliter non poteſt, quam ut eidem attemperentur vultus atque verba. Quodſi ergo vel maxime e re ſit, ut offenſor objurgetur & admoneatur, ut ad agnitionem peccati adducatur & emendetur, ne alios offendendo noceat ſibi; objurgatio tamen omnis amaritudinis expers & admonitio placida eſt. Multa adhuc dantur particularia, pro varietate circumſtantiarum diverſa, ſed quæ doceri non eſt opus, cum non demum adſuefactione addiſcantur, ſed ab ipſa virtute ſuggerantur. Eſt enim ipſa virtus multorum, quæ ipſam decent, magiſtra, & hæc obſervanda potius ſunt, quam docenda, cum haud raro non habeant fidem penes inexpertos, in dubium autem revocari nequeant ab expertis.

§. 309.

Quomodo manſuetus ſe gerat, ſi reconciliatio petatur.

Qui manſuetus eſt reconciliationem petenti non ſine gaudio annuit. Qui enim manſuetus eſt ad reconciliationem pronus eſt (§. 297.), conſequenter vult quam maxime, ut inimicus ſibi reddatur amicus & inimicitiam maxime averſatur (§. 766. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quoniam itaque ex reconciliatione voluptatem percipit, ex inimicitia vero moleſtiam (§. 156. *part.* 2. *Eth*).), ideoque hæc voluptas prædominatur (§. 529. *Pſych. empir.*), in prædominio autem voluptatis gaudium conſiſtit (§. 614. *Pſych. empir.*); qui manſuetus eſt reconciliationem petenti non ſine gaudio annuit.

Fluit pronitas ad reconciliationem ex amore univerſali omnium hominum ad ipſos inimicos extenſo, quemadmodum ex ſupra demonſtratis liquet (§. 297.). Manſuetus igitur amicum erga inimicum ſuum jam habet animum, antequam is inimicum erga ſe animum deponere vult (§. 625. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quodſi igitur hic declaret, ſe in gratiam cum ipſo redire velle; cum jam voti ſui reddatur compos, fieri non poteſt, quin lætetur, ſicque lætus annuat reconciliationem petenti. Ne vero hic & in aliis caſibus ſimilibus naſcantur difficultates, quando animæ tribuuntur affectus, etiamſi eorum impetum non ſentiamus; probe perpendenda ſunt, quæ de affectibus per eminentiam in appetitu & averſatione rationali inexiſtentibus demonſtravimus (§. 594. *part.* 2. *Eth.*), ita ut vocabula, quibus affectus denotantur, etiam de volitionibus & nolitionibus animæ uſurpari poſſint (*not.* §. *cit.*). Quoniam nolitiones & volitiones naſcuntur ex notionibus diſtinctis (§. 880. 881. *Pſych. empir.*), affectus vero ſedantur, ſi animus revocatur a perceptione confuſa affectus genetrice ad notiones diſtinctas (§. 434. *part.* 2. *Eth.*); ſi attentionem in ſe trahant rationes volitionem & nolitionem determinantes, commotionem appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ, in qua affectus conſiſtit (§. 603. *Pſych. empir.*), vix appercipiuntur.

Digitized by Google

tur. Atque hinc rectius intelligitur prædominium affectus alicujus, quatenus naſcitur ex concurſu appetitus rationalis cum ſenſitivo, vel etiam averſatione ſenſitiva, veluti cum hic odium inimicitiæ & amor amicitiæ ad idem tendunt, nimirum ad tollendam inimicitiam & ponendam amicitiam, voluntate ad legem naturæ compoſita. Leniuntur hoc modo affectus & quaſi miteſcunt, ut tranquilla ſerenitas in anima oriatur, veluti ſi fracto impetu procellæ lenis aura ſpirat. Cum amore virtutis cujuslibet conjungitur odium vitii eidem oppoſiti, quod ſaltem tacite eidem ineſt. Quemadmodum vero amor tendit ad virtutem acquirendam, conſervandam & perficiendam (§. 294. *part. 2. Eth.*), & odium ad vitium fugandum & eradicandum (§. 311. *part. 2. Eth.*); ita tendentiæ ad virtutem acquirendam, conſervandam & perficiendam ineſt tendentia ad vitium fugandum & eradicandum. Parum refert, quod eorum nobis parum conſcii ſimus, quamdiu permanemus in ſtatu perceptionum confuſarum, id quod plerumque accidit. Quodſi enim quis perceptiones confuſas ad diſtinctas revocaverit, quæ iisdem inſunt clariſſime perſpiciet. Notandum vero eſt, nos certos eſſe debere de amore virtutis & animo per eum juxta legem naturæ rite diſpoſito; ne quæ de eodem demonſtrantur ad caſum alium non ſatis circumſpecte trahantur. Obſervationes enim morales acumen requirunt, quod cum ſcientia proficit.

§. 310.

Quoniam qui manſuetus eſt, ideoque ad reconciliationem pronus (§. 297.), reconciliationem petenti non ſine gaudio annuit (§. 309.), qui vero ad reconciliationem pronus eſt, placabilis eſt (§. 779. *part. 1. Jur. nat.*); *placabilitatis ſignum eſt, ſi quis reconciliationem petenti non ſine gaudio annuit, conſequenter læto vultu & verbis blandis ſignificat, quam grata ſibi ſit reconciliatio* (§. 753. *part. 2. Phil. pract. univ.*). *Signum placabilitatis.*

Manſuetudo placabilitatem aſſiduam comitem habet (§. 298.), ideoque ad ea ducit, quæ huic propria ſunt. Quoniam virtuti deditus actiones legi naturæ conformes cum gaudio committit (§. 348. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); placabilis quoque non ſine gaudio ea facit, quæ ad reconciliationem faciunt (§. 779. 780. *part.* 1. *Jur. nat.*). Gaudium hoc cum vultus prodat & ſermo (§. 753, *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), quod omnium minime ſimulari poteſt, quando ejus parum nobis ſumus conſcii, ita ut facilius ex ſignis externis ab aliis colligatur, quam a nobis animadvertatur, certiſſimum virtutis ſignum eſt. Tenendum enim, quod actus appetitus ſenſitivi & averſationes ſenſitivæ, quæ tacite influunt in volitiones & nolitiones, habeant quoque ſibi reſpondentem vultum, vocem atque ſermonem, nobis non animadvertentibus, ob harmoniam perpetuam inter modificationes animæ atque corporis (§. 549. *Pſych. rat.*), quæ in ipſis ſimulationibus contradictoria parit iis, quæ in corpore obſervantur (*not.* §. 811. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*).

§. 311.

Effectus gaudii in virtute, & placabilitate in ſpecie.

Gaudium virtutem, ideoque etiam placabilitatem, dulcem reddit. Etenim cum gaudium in prædominio voluptatis conſiſtat (§. 614. *Pſych. empir.*), ideoque affectus jucundus ſit (§. 608. *Pſych. empir.*), affectus autem jucundus animum dulcedine demulceat, quemadmodum unusquisque in ſe percipit; gaudium virtutem, a qua ſeparari nequit (§. 348. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), dulcem reddit. *Quod erat unum.*

Quoniam itaque placabilitas virtus eſt (§. 780. *part.* 1. *Jur. nat.*); gaudium quoque eandem dulcem reddit. *Quod erat alterum.*

Oſtendimus alibi, quomodo lex naturæ tanquam divina nobis reddatur chara, ut eadem delectemur (§. 190. *part.* 3. *Eth.*), & quomodo nos cum gaudio Deo præbeamus obedientes (§.

194.

Digitized by Google

194. *part. 5. Eth.*). Conſultum igitur eſt, ut ibidem relegantur, præſertim cum inde ſimul pateat, quomodo obtineatur, ut obedientia erga Deum facilius influat in placabilitatem a Chriſto tantopere nobis commendatam tanquam virtutem, quæ nos Deo charos efficit.

§. 312.

Qui iracundus eſt, iis, qui ſe offenderunt, tædia creare ſtudet. Etenim qui iracundus eſt, cupiditatem vindictæ difficulter reprimit (§. 952. *part. 1. Jur. nat*). Quoniam itaque cupiditas vindictæ tendit ad tædia offenſori creanda (§. 947. *part. 1. Jur. nat.* & §. 388. *part. 2. Eth*); animum iracundi tenet ſollicitudo facto quodam ſuo eidem tædia creandi, conſequenter tædia creare ſtudet. *Conatus iracundi.*

Vindictæ cupido ſtimulus eſt, quo ad malum malo referendum incitatur, ſive alter revera ipſi male fecerit, ſive ſaltem putet, quod fecerit: neque enim offenſa omnis vera eſt (§. 936. *part. 1. Jur. nat.*), nec de ejus magnitudine ex vero ſtatuitur, cum æſtimetur ex tædio, quod inde percipitur, non vero ex magnitudine mali, quod nobis alter attulit & ex gradu malitiæ. Quoniam iracundus affectibus regitur, non vero affectus regere didicit, ac præterea vitia alia concurrunt ad falſam æſtimationem & in animi perturbationem influunt; tanto facilius a vero aberratur, ut, qui alias omni acumine non deſtituuntur, magis tamen cœci quam talpa ſunt, ac miſere vapulant, cupiditatem vindictæ exſatiaturi. Quemadmodum enim ira furor brevis eſt; ita ceſſante iræ impetu cupiditate vindictæ adhuc flagrans deliro aſſimilatur.

§. 313.

Quoniam *iracundus* iis, qui ſe offenderunt, tædia creare ſtudet (§. 312.), *occaſionem offenſori tædia creandi, ideoque quocunque modo malefaciendi, quærit & oblatam ambabus manibus amplectitur,* *Diſtinctius explicatur.*

ſtitur, & malum infert, quantum poteſt, quodſi vero in poteſtate ſua non fuerit ſtatim vindictæ cupiditatem explere, quod differt, minime aufert; immo *quod ipſe per ſe facere non poteſt, aut quod per ſe facere pudet, per alios facere conatur.*

Iracundus male cupit offenſori, ſeu ei, a quo ſe offenſum putat: quemadmodum enim ira opinione offenſæ concitatur, ita quoque cupido vindictæ, quæ ira deflagrata remanet, eadem fovetur. Cum de modo malum malo referendi anxie disquirat, vindictæ cupido altas in animo agit radices & offenſæ memoria, quæ non deletur, vim ſuam ad commovendum animum retinet, ut ſeræ quoque vindictæ locum faciat. Quoniam vero alii quoque habitus & diſpoſitiones facultatum animæ una cum circumſtantiis aliis in propoſitum alteri malefaciendi influunt; vindictæ quoque ſtudium multis modis variat. Iſtiusmodi autem differentiæ omnium optime obſervantur, ſi exemplorum analyſis moralis inſtituatur, quam ſupra jam commendavimus. Pendent enim hæ a latebris & receſſibus in animo (§. 72. *part. 1. Eth.*), in uno quolibet ſubjecto variantibus, nec explicabilibus niſi per principia pſychologica & moralia ab eo, qui iracundum propius novit. Analyſis hæc novam probat utilitatem noſcentiæ aliorum, & requirit virtutes intellectuales formales, quas diximus.

§. 314.

Quomodo iracundia gignatur.

Si offenſa iram concitat & vindictæ cupido voluntatem in conſenſum trahit, ut ei, a quo quis ſe offenſum, ſeu injuriam ſibi factam putat, malum referre velit; iracundia ingignitur. Quodſi enim offenſa iram concitat, ea ad malum malo referendum tendit (§. 422. *part. 2. Eth.*). Quodſi ergo porro vindictæ cupido, quæ omni iræ ineſt (§. 872. *Pſych. empir.*), voluntatem in conſenſum trahit, qui ſe offenſum putat, malum malo referre vult, ideoque disquirit, quomodo ei, a quo ſe offenſum putat, ſeu injuriam ſibi factam opinatur, mala facere poſſit, con-

Digitized by Google

conſequenter propoſitum ſuum executurus tædia ipſi creare ſtudet. Quoniam igitur iracundus ei, a quo ſe offenſum putat, tædia creare ſtudet (§. 312.); ſi offenſa iram concitat & vindictæ cupido voluntatem in conſenſum trahit, ut ei, a quo ſe offenſum, ſeu a quo ſibi injuriam factam putat, malum referre velit, iracundia ingignitur.

Iracundia vitium eſt, quod manſuetudini opponitur (*not.* §. 953. *part.* 1. *Jur. nat.*), ideoque habitus voluntatis depravatæ committendi actiones legi naturæ contrarias (§. 322. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quemadmodum itaque manſuetus malum malo minime refert, ſed potius bono (§. 263.), legi naturæ convenienter (§. 808. 809. *part.* 1. *Jur. nat.*); ita ex adverſo iracundus malum malo refert, ſive id revera tale fuerit, ſive ſaltem opinione ſua, contra naturæ legem (§. 809. *part.* 1. *Jur. nat.*). Atque ita patet, iracundiam quatenus vitium eſt manſuetudini oppoſitum eſſe habitum malum malo referendi ei, a quo nos læſos putamus, animo nimirum alteri tædia creandi, cum proficiſcatur a vindictæ cupidine, quam iracundus non reprimit (§. 947. 952. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quoniam is iram regere non didicit, ceſſante perturbatione animi ad ſe rediens attentionem in cupidinem vindictæ, quæ remanet ira deflagrata, convertit & ita corruptio, quæ appetitui ſenſitivo inhæret, in voluntatem diffunditur, ut ſe offenſum putans offenſori malum malo referre velit (§. 16. *part.* 2. *Eth.*), ex quo propoſito naſcitur deliberatio, quomodo id fieri poſſit. Vitia omnia ortum trahunt ab appetitu ſenſitivo & averſatione ſenſitiva & per conſequens ab affectibus (§. 603. *Pſych. empir.*). Quamobrem quæ de modo, quo iracundia animo ingignitur, dicta ſunt; ad cetera quoque vitia applicari poſſunt ac debent, ſi earum originem inſpicere velis, quamvis brevitatis cauſa de ſingulis id minime doceamus, quemadmodum in aliis obſervamus, quæ paſſim annotantur, vel etiam demonſtrantur. Utendum ſaltem eſt acumine, ut generalia a ſpecialibus abſtrahantur, & deinde ad alia ſpecialia applicentur.

§. 315.

An iracundus ſit, qui ad iram facile provocatur.

Qui ad iram facile provocari poteſt, propterea non iracundus eſt. Quemadmodum hominibus naturale eſt, ut certi affectus in iis facilius concitentur, quam in aliis (§. 253. *part. 2. Eth.*); ita quoque obſervamus, alios aliis facilius ad iram provocari. Enimvero cum affectus eradicari nequeat (§. 243. *part. 2. Eth.*); nec illa ad affectum certum pronitas radicitus evelli poteſt. Quoniam tamen affectus regimini intellectus ſubjici poſſunt (§. 532. *parth. 2. Eth.*), atque regi (§ 528. *part. 2. Eth.*); vindictæ quoque cupiditas, quæ ira deflagrata remanet, reprimi poteſt. Quamobrem cum iracundus non ſit qui vindictæ cupidinem reprimit (§. 952. *part. 1. Jur. nat.*); qui ad iram facile provocari poteſt, propterea iracundus non eſt.

Patet idem a poſteriori. Videmus enim aliquos facile iraſci, & quamvis ira ſupra modum videatur, cum eadem tamen ipſam ſtatim extingvi vindictæ cupiditatem, ut ſummum remaneant querelæ de injuria ſibi facta, ſed cum ſignificatione condonationis offenſæ, ſicque ad manſuetudinem redeat animus (§. 950. *part. 1. Jur. nat.*), nec ad iracundiam abripiatur (§. 952. *part. 1. Jur. nat.*).

Iracundus equidem dici ſolet, qui parva, vel nullius momenti cauſa iraſcitur, conſequenter natura ad iram valde proclivis eſt. Quoniam tamen iracundia definitur per ulciſcendi libidinem, teſte *Cicerone* in Tuſcul. lib. 3. quando ad vitium manſuetudini oppoſitum trahitur, non proclivitas ad iram, ſed animus vindictæ cupidus ſpectatur, lege naturali prohibitus (§. 948. *part. 1. Jur. nat.*), cum in omni vitio ſpectandum ſit id, quod legi naturæ contrariatur (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Ex proclivitate igitur ad iram colligi nequit iracundia, quæ vitium eſſe debet manſuetudini oppoſitum, ut, ſicuti hæc iræ moderari ſciat vindictæ cupiditatem repri-

Digitized by Google

reprimendo (§. 950. *part. 1. Jur. nat.*), ita hæc neſciat, eidem fræna laxando. Patrio idiomate iracundiam qua vitium a pronitate ad iram verbis ſatis diſtingvimus. Ad iram enim pronum vocamus **einen Zornigen**, iracundum vero **einen Rachgierigen**.

§. 316.

Iracundus ad condonandum offenſam difficillimus eſt, aut prorſus ſe ad eandem permoveri non patitur & contra. Etenim qui iracundus eſt, cupiditatem vindictæ difficulter reprimit (§. 952. *part. 1. Jur. nat.*); conſequenter ad eam deponendam vix ac ne vix quidem, aut prorſus non permoveri poteſt. Quamobrem cum offenſam non condonet, niſi qui vindictæ cupiditatem deponit (§. 959. *part. 1. Jur. nat.*); iracundus ad condonandum offenſam difficillimus eſt, aut prorſus non ad eandem ſe permoveri patitur. *Quod erat unum.* *De condonandi difficultate iracundi.*

Quodſi quis ad condonandum offenſam ſeſe difficillimum præbet, aut prorſus non ad eandem ſe permoveri patitur; cum offenſæ condonatio in depoſitione vindictæ conſiſtat (§. 959. *part. 1. Jur. nat.*), vindictam difficulter reprimit, vel ad eam deponendam prorſus non adduci poteſt. Enimvero iracundus eſt, qui vindictam difficulter reprimit (§. 952. *part. 1. Jur. nat.*), immo omnium maxime, ſi prorſus non ad eam deponendam adduci poteſt. Quamobrem qui ad offenſam condonandum difficillimus eſt, aut prorſus non ad eandem ſe permoveri patitur, iracundus eſt. *Quod erat alterum.*

Habemus itaque ſignum certiſſimum iracundiæ, ideoque cupiditatis vindictæ & per conſequens odii, immo carentiæ amoris univerſalis ad ipſos inimicos extenſi: abunde nimirum conſtat ex antea demonſtratis hæc omnia a ſe invicem dependere. Manſuetus qui eſt, ad condonandum offenſam

facilis eſt (§. 279.). Quamobrem cum iracundia eidem e diametro opponatur, non eſt quod miremur, iracundum ad offenſam condonandum difficillimum eſſe.

§. 317.

Difficultas reconciliandi iracundum. *Iracundus difficillime, aut prorſus non ſe reconciliari patitur.* Qui enim iracundus eſt cupiditatem vindictæ deponere non vult (§. 952. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter tædium, ſive moleſtiam creare vult ei, a quo ſe putat offenſum, propterea quod ſe offendit (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum eum odio habeamus, cui tædia creare volumus (§. 669. *Pſych. empir.*); iracundus eum odit, a quo ſe offenſum putat, conſequenter ipſi inimicus eſt (§. 626. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque odium mittere ac finire non vult, *per demonſtrata*; ideo nec inimicitiam finire vult, multo minus ex inimico reddi amicus. Quamobrem cum difficillime aut prorſus non ſe reconciliari patiatur, qui ex inimico reddi amicus non vult (§. 766. *part. 1. Jur. nat.*); iracundus difficillime, aut prorſus non ſe reconciliari patitur.

Difficultas reconciliationis oritur ex conſtantia voluntatis ulciſcendi, quam habet iracundus. Ea vero inde eſt, quod altas in animo radices egerit cupiditas vindictæ. Satis manifeſta hæc ſunt per ea, quæ de reſtrictione voluntatis per appetitum ſenſitivum & averſationem ſenſitivam paulo ante annotavimus (*not.* §. 314.).

§. 318.

De implacabilitate iracundi. Quoniam iracundus difficillime, aut prorſus non ſe reconciliari patitur (§. 317.), qui vero ſe alteri reconciliari non patitur, implacabilis eſt (§. 781. *part. 2. Jur. nat.*); *iracundus implacabilis eſt.*

Ideo

Ideo videmus, homines iracundos ne quidem aures præbere velle reconciliatori, immo inſtanti indignari, quamvis idem non ſemper contingat, propterea quod plurimæ dantur rationes, cur actiones ex eodem vitio proficiſcentes pro diverſitate ſubjectorum aliarumque circumſtantiarum variant per analyſin moralem exemplorum detegendæ. Omne in hiſce punctum ferunt latebræ & receſſus in animis hominum (§. 72. *part. 1. Eth.*), quorum in caſu ſingulari imperſcruatabilitas obſtat, quo minus analyſis moralis exemplorum ex voto ſuccedat, & in cauſa eſt, ut reconciliator utatur motivis ad immutandam voluntatem iracundi minime ſufficientibus, immo haud raro implacabilitatem firmantibus. In Philoſophia morali proponuntur motiva, quæ ratio dictitat: aſt cum homines in vitia ſe ingurgitantes rationem ex animo exſpuerint, quæ ratio dictitat ipſos parum movent. Quamobrem nec fieri poteſt, ut vitia extemplo eradicentur, nec eſt quod tibi perſuadeas, alterum a vitio eſſe liberatum, ubi eidem perſuaſeris, ut in præſenti omittat actionem externam, Placabilis nondum eſt, cui reconciliationem in caſu dato perſuaſeris, nec ſublata eſt iracundia. Diſtingvenda ſunt vitiorum remedia a rationibus, quibus impediuntur, aut diſſuadentur actiones externæ in dato caſu.

§. 319.

An punitio & defenſio ſit ſignum iracundiæ.

Qui injuriam ſibi facientem punit, aut ſe famamque ſuam adverſus eum defendit, propterea iracundus non eſt. Etenim ſi jure defenſionis & punitionis utamur legi naturæ convenienter, utrumque exercetur absque omni vindictæ cupidine (§. 999. 1078. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque fieri poteſt, ut habeas animum ab omni vindictæ cupidine alienum, etiamſi propter injurias tibi intentatas, aut factas, adverſus alterum te defendas, aut ipſum punias, iracundus vero is eſt, qui cupidinem vindictæ nondum depoſuit (§. 952. *part. 1. Jur. nat.*); propterea iracundus nemo dici poteſt, quod injuriam

Digitized by Google

ſibi facientem puniat, aut ſe famamque ſuam adverſus eum defendat.

Ex defenſione non poſſe colligi iracundiam vulgo agnoſcitur, quia jus defenſionis nemo in dubium vocat: aſt cum jus puniendi cum ultione ex cupiditate vindictæ profecta confundatur, ex punitione iracundiam colligere ſolent longe plurimi. Hi vero non ſatis perſpiciunt, quid ſibi velit jus puniendi & quo animo exerceri debeat. Et ſicuti in defenſione, quæ neceſſaria videtur, animus defenſoris inſuper habetur, ut de cupiditate vindictæ non cogitetur; ita ex adverſo in punitione ad vindictam unice attenditur animus, quaſi eadem malum malo referatur, niſi fiat a ſuperiore. Hæ vero nebulæ, quæ mentem obfuſcant, aliter diſpelli nequeunt, quam ſi ex Jure naturæ diſcas, quale ſit jus defenſionis & jus punitionis & quomodo utrumque exercendum, & cur exercitium hujus in civitate magis judicibus demandatum, quam illius, & quomodo pœnæ delictorum publicorum dividendæ ſint a pœnis privatorum, etſi a judice utræque irrogentur. Multa in hiſce cum præjudicia occupaverint plerorumque mentem, nec ſana eſſe poſſunt judicia, quæ inde manant. Niſi certus fueris de punientis animo, iracundiæ eum redarguere haud quaquam potes. Ex ſolo autem actu punitionis animus colligi nequit, cum is & cupiditate vindictæ plenus, & eadem vacuus eſſe poſſit. Abſit itaque ut punitionem pro ſigno iracundiæ habeas.

§. 320.

An proclivitas naturalis ad iram ſit attendenda.

Proclivitas naturalis ad iram in iracundia non attenditur. Etenim propterea iracundus non es, quod ad iram proclivis es (§. 315.). Neceſſe igitur eſt, ut aliæ dentur iracundiæ cauſæ. Quamobrem proclivitas naturalis ad iram in iracundia non attendenda.

Faci-

Facile iraſci & cupiditatem vindictæ difficillime reprimere utique diverſa ſunt, ipſaque experientia docet hoc ab illo neceſſario non dependere, quamvis fieri poſſit ut ſimul locum habeant, cum ſibi invicem non repugnent. Illud proclivitati ad iram, hoc iracundiæ tribuendum. Proclivitas ad iram a natura venit, iracundia alias cauſas agnoſcit. Illa in ſe ſpectata vitium non eſt, quamvis a vitiis aliis labem contrahere poſſit; hæc vero in vitiorum numero eſt & perinde ac alia vitia gignitur. Hæc quidem notanda ſunt, ſi medelam iracundiæ afferre volueris.

§. 321.

Quomodo proclivitas naturalis ad iram regatur.

Proclivitati naturali ad iram moderatur manſuetudo. Manſuetudo enim moderatur iræ (§. 950. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum in regimine affectuum non modo opera detur, ut affectus falſa opinione concitati ſedentur, verum etiam caveatur, ne eadem concitentur (§. 528. *part.* 2. *Eth.*); qui iræ moderatur, non modo operam dat, ut falſa opinione injuriæ concitata ſedetur, verum etiam ne eadem concitetur. Quamvis itaque quis natura ad iram fuerit proclivis, manſuetudo tamen obſtat, quo minus in caſibus multis ad iram non provocetur qui ad eandem proclivis eſt. Cumque idem injuriam rite æſtimare ſoleat (§. 252.), doloſam a culpoſa diſtingvat (§. 255.) & facta a perſonis dividere norit (§. 293.), utpote animum habens a vindictæ cupidine alienum (§. 263. *b.* & §. 947. *part.* 1. *Jur. nat.*); hoc ipſo quoque proclivitati ad iram ſuccurrit. Manſuetudo igitur proclivitati naturali ad iram moderatur.

Naturalis ad iram proclivitas ad determinationes naturales naturæ pertinet. Quemadmodum itaque natura expelli nequit, ne unquam redeat; ita quoque fieri non poteſt, ut determinationes ejus naturales deleantur, ideoque etiam naturalis ad

Digitized by Google

ad iram proclivitas tolli nequit. Proclivitas illa ad iram in ſe ſpectata mala non eſt, aſt inſtar reliquarum inclinationum naturalium beneficio intellectus regenda (§. 41. *part. 2. Eth.*), ne ſcilicet degeneret, & hoc regimen pars quædam manſuetudinis eſt. Proclivis ad iram facile iraſcitur multumque: quodſi vero ea obſerventur, quæ in demonſtratione de modo, quo proclivitatem ad iram regit manſuetudo, oſtendimus, multi occurrent caſus, in quibus ad iram non provocabitur qui ad eandem natura proclivis eſt, & ſi ira juſta de cauſa concitetur cohibebitur, ne exorbitet, conſequenter ne iraſcentes peccemus. Si proclivis ad iram in iracundiam incidit; id non vitio naturæ, ſed ipſius culpa accidit, quia manſuetudini non eam navavit operam, quam debebat.

§. 322.

Quomodo manſuetudo immutet cupiditatem vindictæ.

Si manſuetus juſta de cauſa ad iram provocatur, cupiditas vindictæ abit in cupiditatem injurias, ſi fieri poſſet, exterminandi, aut, cum hoc in poteſtate noſtra non ſit, eas pro virili præcavendi. Etenim manſuetus animum a cupiditate immunem præſtat (§. 950. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam tamen injuria omnis lege naturali prohibita (§. 911. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque ad vitium adſcribenda (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*), virtute autem præditus vitium omne odit (§. 368. *part. 1. Phil. pract. univ.*); manſuetus quoque injurias omnes odit. Quamvis itaque juſta de cauſa ad iram provocatus cupiditatem vindictæ ſupprimat, *per demonſtrata*; injuriarum tamen odium remanet. Quoniam odium rerum inanimatarum tendit ad eas deſtruendas, aut e conſpectu noſtro removendas (§. 311. *part. 2. Eth.*); odium injuriarum tendit ad injurias, ſi fieri poſſet, ex orbe exterminandas, aut, cum hoc in poteſtate noſtra non deprehendimus, quod per ſe patet, eas ſaltem pro virili præcavendas. Ex hoc itaque odio cum oriatur cupiditas injurias extirpandi, aut ſaltem pro virili præcavendi (§. 810. *Pſych. empir.*),

empir.), quarum abſentia in bonorum numero eſt (§. 756. *part.* 1. *Jur. nat.*); cupiditas vindictæ, ad quam alias ira tendit (§. 422. *part.* 2. *Eth.*), abit in cupiditatem injurias, ſi fieri poſſet, exterminandi, aut, cum hoc in poteſtate noſtra non ſit, eas pro virili præcavendi.

Effectus odii vitiorum, quod concipit virtuti deditus, eſt cupiditas vitia extirpandi, aut, quantum datur, præcavendi, ne alii in ea incidant, aut ut iisdem liberentur. Quodſi votis pares eſſent vires, ſtrenuus & ingenuus virtutis cultor vitia in univerſum omnia ex toto terrarum orbe relegaret. Mallet enim neminem eſſe vitio alicui obnoxium. Atque in eo voluntatem ſuam conformat legi naturæ, quæ omnem diligentiam in virtutibus moralibus propagandis præcipit (§. 638. *part.* 1. *Jur. nat.*), conſequenter etiam in eradicandis, quantum datur (§. 176. *part.* 1. *Jur. nat.*), ac præcavendis vitiis. Quamobrem odio injuriarum nihil hic tribuitur, niſi quod odio facti legi naturæ adverſi in genere convenit. Hæc ipſa autem cupiditas, quam vitiorum odium gignit, odii hujus ſignum eſt. Quamobrem quoque cupiditas exterminandi, quantum datur, injurias manſuetudinis ſignum eſt.

§. 323.

Quomodo ipſa manſuetudo ducat ad exercitium juris puniendi.

Quoniam manſuetudo, ſi manſuetus juſta de cauſa ad iram concitatur, gignit cupiditatem injurias pro virili præcavendi (§. 322.), pœnæ autem ob injurias factas infliguntur, ut præcaveantur in futurum (§. 1058. *part.* 1. *Jur. nat.* & §. 285. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *ſi manſuetus juſta de cauſa ad iram provocatur, jure puniendi utitur injuriarum futurarum præcavendarum cauſa*, ut ſcilicet pœna tam emendatrix ſit, quam exemplaris (§. 1062. *part.* 1. *Jur. nat.*), conſequenter *etſi pœna emendatrice opus non ſit, rationes vero adſint ſingulares, ob quas pœna exemplaris exigenda, pœnam non remittit.*

Oſten-

Oſtendimus jam ſuperius, quod manſuetudo regat punitionem (§. 283.), in præſenti autem oſtenditur, quomodo animus manſueti, quando juſta de cauſa ad iram provocatur, ad exercitium juris puniendi determinetur, ne lenitate ſua, qua alias delectatur, noceat & ſibi, & aliis, neque deſit obligationi, quam lex naturæ imponit, ut depellantur injuriæ (*not.* §. 322.). Atque ita apparet, quomodo manſuetudo ducat ad puniendum, etſi abſit animus malum malo referendi, nec læſi doloris remedium ſit inimici dolor, & per conſequens jus puniendi exerceatur legi naturæ convenienter (§. 285.). Intenditur nimirum emendatio & lædentis, & aliorum, & conſulitur ſecuritati & ſuæ, & aliorum, & per conſequens bonum commune ſocietatis humanæ promovetur, quantum datur.

§. 324.

De vindictæ dulcedine. *Iracundus ex vindicta voluptatem inſignem percipit.* Quoniam enim iracundus cupiditate vindictæ flagrat (§. 952. *part. 1. Jur. nat.*); eandem appetit (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*). Et quoniam cupiditas vindictæ difficillime reprimi poteſt (§. 952. *part. 1. Jur. nat.*); vindictam vehementiſſime appetit. Quamobrem cum nihil appetamus, niſi quatenus ex eo voluptatem percipimus (§. 156. *part. 2. Eth.*), conſequenter quo ardentius aliquid appetitur, eo major quoque voluptas eſt, quæ inde percipitur; iracundus ex vindicta voluptatem inſignem percipit.

Cupiditas vindictæ prægustus voluptatis vel gaudii eſt ex bono abſente, quod præſens eſſe mallemus (§. 805. *Pſych. empir.*). Cupiditas itaque vindictæ prægustus quidam gaudii eſt, ex vindicta percipiendi. Vindictæ cupidus dolorem ejus appetit, qui ipſum offendit (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*): ex ea igitur, quod alteri moleſtiam creat, voluptatem percipit, quæ tanto major eſt, quo ardentior fuerit appetitus. Malum alterius iracundus conſiderat tanquam ſuum bonum, quatenus quod

Digitized by Google

quod alteri moleſtiam, id ſibi gaudium creat (§. 5. *part.* 2. *Eth.*). Vindicta intentione voluptatem nonniſi prægustandam præbet. Quodſi accedat ſpes fore ut vindictæ ſumendæ ſimus pares (§. 799. *Pſych. empir.*), prægustus ille augetur (§. 796. *Pſych. empir.*), immo ſi certi nobis eſſe videamur, malum malo relatum iri accedente fiducia in gaudium abit (§. 802. *Pſych. empir.*). Ineſt perceptionibus noſtris perfectionis propriæ apperceptio, quatenus nobis videmur habere vires ſufficientes ad ægre faciendum ei, qui nos læſit, vel habere amicos, qui noſtro nomine eidem male faciunt. Hanc vero eſſe voluptatis cauſam in propatulo eſt (§. 511. *Pſych. empir.*). Ideo contingit ut, ſi iratus non videt, quomodo offenſori ægre facere poſſit, aut alia obſtent, quo minus ipſe ægre facere velit, dira quævis indignabundus imprecetur, ira autem deflagrata optet, ut eveniant, quæ imprecatus fuerat. Patet itaque, quomodo iracundus vindictam experiatur dulcem, quæ in ſe ſpectata nihil dulcedinis habet. Malum enim in ſe ſpectatum voluptatem parere nequit (§. 569. *Pſych. empir.*), & amori univerſali repugnat, ut ex malo alterius voluptatem percipiamus (§. 619. *part.* 1. *Jur. nat.* & §. 640. *Pſych. empir.*). Dulcedo igitur vindictæ rationi maxime repugnat.

§. 325.

Quoniam iracundus ex vindicta voluptatem percipit (§. 323.), conſequenter ex dolore ejus, qui ipſum offendit (§. 947. *part.* 1. *Jur. nat.*), ipſius autem animus moleſtia torquetur, quam offenſa creat (§. 936. *part.* 1. *Jur. nat.*) & voluptas tædio ſive moleſtiæ contraria (§. 511. 518. *Pſych. empir.*), ſi prædominetur, tædium ſupprimit (§. 529. *Pſych. empir.*), ſi nondum prædominetur, ſeu gradus voluptatis minor fuerit gradu tædii, hoc ſaltem imminuit; *remedium moleſtiæ ex offenſa perceptæ vindicta habetur*, conſequenter cum homini, cujus appetitus natura fertur in felicitatem (§. 324. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), *Quomodo læſi doloris remedium ſit inimici dolor.*

univ.), ideoque in ea, quæ voluptatem ipſi creant (§. 638. *Pſych. empir.*), naturale ſit, ut velit animum a moleſtia liberari, *læſus ad vindictam reprimendam redditur difficilis, ſicque iracundus efficitur* (§. 952. *part. 1. Jur. nat.*).

Patet itaque quomodo læſi doloris remedium ſit inimici dolor & cur homines fiant iracundi, qui læſi in hoc remedio doloris ſui ſpem omnem habent. Quamdiu itaque læſus ſibi perſuadet, ſe alio modo dolori ſuo mederi non poſſe, vindictæ quoque cupiditatem non deponit, conſequenter iracundus permanet (§. 952. *part. 1. Jur. nat.*). Vix neceſſarium videtur, quod jam abunde plus ſimplici vice tam in genere, quam in ſpecie inculcatum, quantum in hiſce quoque dandum ſit opinionibus hominum, quarum tamen diverſitas attendenda eſt in caſibus perticularibus, ne quæ in genere demonſtrantur in dubitationem & diſceptationem adducantur.

§. 326.

Quomodo iracundiæ ſit medendum. Quoniam iracundiæ medela non affertur, quamdiu offenſoris dolor habetur remedium doloris ex offenſa (§. 325.); *ſi iracundiæ mederi volueris, neceſſe eſt ut iracundo perſuadeas remedium doloris ex offenſa non eſſe dolorem offenſoris.*

Quando iracundiæ mederi volumus, aut eandem prorſus extirpare volumus, aut ſaltem id agimus, ut in caſu præſenti cupiditas vindictæ reprimatur. Illud potiſſimum intenditur in philoſophia morali, cujus eſt vitiorum, morborum animi, curatio; hoc autem obtinet in praxi morali, ubi id agitur, ne vitia noceant in caſu emergente, actionibus externis cohibitis. In philoſophia morali proponuntur remedia, quæ in praxi applicantur: in applicatione autem habenda eſt ratio circumſtantiarum particularium ſingularium, quæ pro ratione earundem multum diverſitatis in applicatione cauſantur, præſertim ſi diſtingvas eradicationem vitii, veluti ſi ab iracundia ad manſuetudinem quis reducendus, ubi aliorum vitiorum influ-

Digitized by Google

influxus ſimul attendendus, a cohibitione actionis externæ in caſu ſaltem dato, veluti ſi vindicta adverſus hunc offenſorem impedienda.

§. 327.

Quod rationi adverſetur, ſi alieno tædio delectemur.

Rationi adverſatur, ut ex tædio alterius voluptatem percipiamus. Etenim cum lex naturæ per rationem nobis innoteſcat (§. 259. *part. 1. Phil. pract. univ.*); quod legi naturæ adverſatur idem adverſatur rationi. Enimvero lex naturæ præcipit, ut ex felicitate alterius, conſequenter voluptate aliena (§. 638. *Pſych. empir.*), voluptatem percipiamus (§. 616. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter eidem adverſatur, ut ex alterius tædio percipiamus voluptatem (§. 722. *part. 1. Jur. nat.*). Ergo rationi adverſatur, ut ex tædio alterius voluptatem percipiamus.

Qui vitam rationi conformem, conſequenter vitam hominis vivere ſerio vult; is facile averſabitur voluptatem ex alterius tædio percipiendam. Aſt qui non agnoſcit, quid ſit homo nec ſatis ponderat, quod ratione potiſſimum a brutis diſtinguatur; is parum curabit, utrum quod facit rationi conſentaneum ſit, nec ne, modo ſit affectibus ſuis conforme, quos regere non didicit, ſed quibus ipſe regitur ſervus ſui ipſius (§. 544. *part. 2. Phil. pract. univ.*), vitam brutorum more vivens (§. 547. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ſi qui dignitatem hominis minime proſpiciunt, ut averſentur ea quæ eidem contraria ſunt; neceſſe eſt, ut ſervitutem moralem, qua infra conditionem humanam ad brutorum conſortium deprimuntur, graphice delinees, ſicque pudor efficiat, quod ratio efficere nequit (§. 779. *Pſych. empir.*), niſi homo perfrictæ frontis pudorem omnem exuerit, aut alia vitia obſtent, quo minus pudori locus relinquatur, pro datis circumſtantiis oppugnanda & quantum datur vincenda. Utile autem eſt, ut ad dignitatem hominis agnoſcendam tempeſtive adducamur,

atque amor vitæ rationi conformis inſtilletur: ita nimirum animus præmunitur adverſus perceptionem voluptatis ex tædio alterius.

§. 328.

Vindicta rationi adverſa.

Quoniam rationi adverſatur, ut ex tædio alterius voluptatem percipiamus (§. 327.), vindictæ autem cupidus dolorem ſive tædium ejus appetit, qui ſe offendit (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter voluptatem ex alterius tædio percipit (§. 156. *part. 2. Eth.*); *vindicta rationi maxime adverſatur*, conſequenter, *ſi quis rationi conformem vitam*, conſequenter *vitam hominis vivere vult*, ideoque *in ſervitutem moralem ſe addicere* (§. 548. *part. 2. Phil. pract. univ.*) & *brutorum more vivere non vult* (§. 547. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *vindictam averſabitur, nec remedium doloris ex offenſa inimici dolorem habebit* (§. 325.).

Philoſophi nomen fruſtra affectat, minime meretur, qui dolore ejus, a quo ſe offenſum putat, dolori ſuo ex offenſa mederi cupit. Cum enim philoſophi ſit ſecundum rationem, ideoque vitam hominis vivere (§. 57. *part. 2. Phil. pract. univ.*); ipſum maxime dedecet ſervitus moralis, qua brutorum more vivitur (§. 547. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Turpe omnino eſt philoſopho, cujus eſt rationem reddere eorum, quæ ſunt, vel eſſe poſſunt (§. 46. *Diſc. præl.*), nullam diſtinctam notionem rationis habere, & ignorare quid ſit homo, & quænam ſit vita, quæ hominem decet, ac in quonam vita hominis diſtingvatur a vita brutorum. Puerorum eſſe conſtat, ut dolorem ex offenſa leniant voluptate ex dolore lædentium percepta, idque maxime conſpicitur in iis, qui ſunt ex infima plebe. His aſſimilari omnino pudet eum, qui philoſophi nomen affectat, niſi iracundia omnem attentionem auferat, quam ad ſeipſum afferre tenetur, qui ſui ipſius non prorſus oblivîſci vult. Inde ortum trahit proteſtatio facto contraria, quod quis ſe injuria ſibi facta minime offendi dicat, cum tamen

tamen omnem moveat lapidem, ut ei moleſtiam creet, a quo ſe læſum putat, manifeſto ſatis indicio, quod inimici dolorem remedium ſui doloris reputet. Nimis vero plebejum & philoſopho nimis indignum eſt, ſi quis ex ſparſis convitiis & calumniis per alios in eum, a quo ſibi injuriam factam arbitratur, aut prorſus ſomniat, percepta voluptate dolorem ſuum lenire conatur. Sed ea eſt vitiorum vis, ut mentem hominis occæcent, ne videat, quæ clariſſima ſunt, ſicque pœnas det temeritatis ſuæ, quas meretur. Dolorem læſi leniri inimici dolore in dubium vocari nequit. Quamobrem cum hoc in dubium vocari minime poſſit, ne lenire velimus, nil aliud reſtat, quam ut oſtendatur, remedium hoc eſſe illicitum & rationi maxime adverſum, hominemque ſanæ mentis parum decere. Quodſi vero quis rationem omnem exſpuit, vitium quoque animi inſanabile eſt, quod tamen pro ratione circumſtantiarum ejus nimis tenacem infelicem certo reddet (§. 406. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ſit ita quod eidem deditus non agnoſcat, ex quo tandem fonte promanent moleſtiæ, quibus animum ſuum torqueri ſentit.

§. 329.

Similiter quoniam rationi maxime adverſatur, ut quis ex tædio alterius voluptatem percipiat (§. 327.), conſequenter ut dolore ejus, a quo ſe læſum putat, dolorem ſuum ex offenſa lenire conetur (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*), qui vero bonam habet voluntatem, actiones ſuas legi naturæ, conſequenter rationi (§. 259. *part. 1. Phil. pract. univ.*), convenienter determinare vult (§. 121. *part. 2. Eth.*); *qui bonam voluntatem habet, dolorem ex offenſa lenire non vult dolore ejus, a quo ſe offenſum putat*, conſequenter *dolorem inimici remedium doloris læſi minime reputat*. *Quinam non reputent remedium doloris læſi dolorem inimici.*

Nimirum qui bonam habet voluntatem remedium æſtimat moraliter, conſequenter pro remedio non habet, quod rationi repugnat, ſeu legi naturæ adverſatur. Sane iſtiusmodi remedia

dia curæ ſaltem palliativæ inſerviunt, cum voluptas ex dolore ejus, a quo quis ſe offenſum putat, percepta nocua eſſe ſoleat. Ponamus e. gr. hominem quendam ambitioſum offendi, quod putet famæ, quam aucupatur, inſidias fuiſſe ſtructas, & cupidine vindictæ abreptum ignominia offenſorem afficere. Nullum eſt dubium, quin is ex vindicta inſignem voluptatem percipiat, quæ cum prædominetur tædio ex offenſa percepto, dolorem ſuum lenit alterius dolore. Enimvero ſi jam alter in neceſſitate famam ſuam defendendi conſtitutus ignominiam depellit & eum modulo ſuo metiri tenetur, ut qui maximus videri avebat, nunc minimus agnoſcatur; quantis moleſtiis torqueatur animus haud difficulter perſpicitur. Cura igitur doloris ſui nonniſi palliativa fuit & voluptas ex vindicta percepta intolerabilia tædia parit, ideoque ipſius voluptas maxime nocua erat (§. 383. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & nimis ſero vindictæ eum pœnitet, ubi amaram experitur, quæ adeo dulcis videbatur. Iſtiusmodi exempla omnium optime docent, doloris læſi remedium perperam haberi remedium dolorem inimici, ideoque rationi adverſari, ut hoc remedio utamur, etiamſi per impoſſibile ponatur, idem lege naturali non eſſe prohibitum. Quodſi ergo quis bonam habuerit voluntatem, ut legi naturæ conformem vitam vivere velit (§. 121. *part. 2. Eth.*); non durum ipſi videbitur, uſum hujus remedii lege naturæ prohiberi (§. 946. *part. 1. Jur. nat.*), qua conſulitur felicitati noſtræ (§. 396. & *ſeqq. part. 1. Phil. pract. univ.*), ut tuti ſimus ab inſidiis voluptatis nocuæ. Non eſt quod excipias, voluptatem, quam creat vindicta, ſemper nocuam eſſe, conſequenter imprudentiæ tribuendum eſſe, ſi nocua evadat. Ut enim taceam difficulter prævideri futura, præſertim ſi affectus menti caliginem offundunt; ſufficit vindictam hoc modo ſeſe nobis commendare & ejus cupiditatem altas in animo radices agere, ut data quavis occaſione ad eam properemus parum conſiderantes, qualis ſit illa voluptas, quam nobis creat.

§. 330.

Quia vindicta rationi maxime adverſatur hominemque dedecet (§. 328.), qui vero ſanæ mentis eſt, committere non vult videri, quæ rationi adverſa ſunt hominemque dedecent, quod tanquam per ſe notum brevitatis cauſa ſumimus; *Qui ſanæ mentis eſt, eum vindictæ pudet* (§. 779. *Pſych. empir.*). *Quem vindictæ pudeat.*

Sunt equidem qui animum a vindictæ cupidine alienum ad Chriſtianos reſtringunt, quaſi vindicta non dedeceat hominem qua hominem, ſed ſaltem qua chriſtianum: aſt qui ita ſentiunt, aut ignorant, aut non perpendunt, lege naturæ præcipi ut habeamus animum ab omni vindictæ cupiditate alienum (§. 948. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter cum lex naturæ rationem ſufficientem habeat in natura humana (§. 135. *part. 1. Phil. pract. univ.*), vindictam dedecere hominem qua hominem (§. 198. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque omnium maxime philoſophum, qui, cum ſuum ſit rationes eorum, quæ fiunt, ſcrutari (§. 31. *Diſc. prælim.*), rationes quoque ignorare non debet, cur actiones quædam hominem deceant, aliæ dedeceant. Et quoniam turpe eſt doctori, ſi culpa redarguit ipſum; philoſophi quoque eſt ea facere, quæ hominem decent, non facere, quæ dedecent. Recte *Cicero* philoſophiam dicit culturam animi, quæ extrahit vitia radicitus, & Philoſophi eſſe contendit, ut omnem bene vivendi rationem teneat & perſequatur. Perperam ſibi Philoſophi videntur, qui commentitiis fabulis delectantur, quibus nullum in Philoſophia locum recte concedit *Cicero.*

§. 331.

Quia vindicta rationi adverſatur & hominem dedecet (§. 328.), amaritudo autem vitium eſt, quo qui laborat cupiditatem vindictæ non ante deponere vult, quam eandem ex ſatiaverit (§. 955. *part. 1. Jur. nat.*); *amaritudo rationi omnium* *Quantum amaritudo rationi adverſetur & maxi-*

hominem dedeceat. *maxime repugnat hominemque dedecet, ita ut naturam humanam exuiſſe, nec hominis nomine dignus videatur, qui hoc vitio laborat.*

Differentiam hujus vitii ab iracundia jam alias ſatis expoſuimus (*not.* §. 955. *part.* 1. *Jur. nat.*), quamvis vulgo ab hac non ſatis diſtingvatur, ut ideo quoque amarus, quem dicimus, vocetur difficilis (*not.* §. *cit.*). Conſtat dari homines, qui cupiditatem vindictæ difficulter reprimunt, ut ideo difficile ſit ipſis perſuadere abſtinentiam a vindicta; dari vero etiam alios, qui ſe nullo modo perſuaderi patiuntur, ne injuriam ſibi illatam, aut quam ſibi illatam putant, ulciſcantur, ideoque vindictæ cupiditatem tamdiu fovent, donec male fecerint ei, a quo ſe læſos exiſtimant. Differunt utique vindictæ cupiditatem difficulter reprimere & eam non deponere, donec injurias injuriis ulciſci datum fuerit. Recte igitur nominibus a ſe invicem diſtingvuntur, quæ diverſa ſunt, præſertim cum nomina commoda non deſint, aut ſaltem iis aptari poſſint. Ex amaritudine conſequuntur, quæ iracundiæ non conveniunt, quemadmodum jam in ſe animus iracundi ab animo amari plurimum differt. Amaritudo quoque hominem magis deformat, quam iracundia, ut injurius videaris in iracundum, ſi ipſi animum amarum tribuas. Cumque philoſophum dedeceat iracundia, multo adhuc magis eum dedecet amaritudo.

§. 332.

De implacabilitate amari. *Amarus prorſus implacabilis eſt.* Etenim amarus cupiditatem vindictæ non deponit, donec eam exſatiaverit (§. 955. *part.* 1. *Jur. nat.*), conſequenter moleſtiam creare vult ei, a quo ſe offenſum putat, propterea quod ſe offendit (§. 947. *part.* 1. *Jur. nat.*), nec ullis rationibus ſe perſuaderi patitur, ut voluntatem mutet. Quamobrem cum eum oderimus, cui tædia creare volumus (§. 669. *Pſych. empir.*); amarus odium erga eum, a quo ſe offenſum putat, non deponit, conſequenter

ter inimicitiam non finit, antequam ipſi male fecit, ideoque multo minus ex inimico reddi poteſt amicus. Quamobrem cum irreconciliabilis ſit, qui ex inimico amicus reddi non vult (§. 766. *part. 1. Jur. nat.*); amarus prorſus irreconciliabilis eſt, conſequenter cum implacabilis ſit, qui ſe reconciliari non patitur (§. 781. *part. 1. Jur. nat.*); amarus prorſus implacabilis eſt.

Oſtendimus ſuperius, fieri poſſe, ut etiam iracundus ſit prorſus irreconciliabilis (§. 317.), conſequenter etiam prorſus implacabilis (§. 781. *part. 1. Jur. nat.*): aſt propterea tamen iracundia non coincidit cum amaritudine. Etenim ſi contingat, iracundum nullis rationibus ad reconciliationem permoveri poſſe; in caſu ſaltem particulari iracundia ad amaritudinem accedit. Amarus autem ſemper irreconciliabilis eſt, quandocunque & quomodocunque lædatur, in omni caſu vindictæ cupiditatem exſatiare ſtudens. Et quamvis non ſtatim injuriam ſibi illatam ulciſci poſſit, memoriam tamen injuriæ ſervat, qua vindictæ cupiditas fovetur, donec occaſio male faciendi inimico offeratur. Atque hi ſunt, qui ſpe vindictæ moleſtiam reprimunt, in ſilentio expectantes tempus gaudendi, quo malum malo referre dabitur. Calliditas prudentiam mentita voluptatem gignit (§. 511. *Pſych. empir.*), quæ ſpem ad reprimendam moleſtiam fortiorem reddit. Calliditas eundem habet effectum, ſi amarus ſibi videtur inveniſſe medium tutum malum malo referendi, ne voluptatem ex vindicta nocuam experiatur, ſed ut eadem perpetuo fruatur. Quodſi eventus præter omnem ſpem & expectationem contrarium probet, pœnitentia, affectus per ſe moleſtiſſimus (§. 762. *Pſych. empir.*), nimis ſera, quando pœnas dat vitii ac temeritatis ſuæ, cum & præteriti doloris memoria adhuc recens ſit, tanto acrius torquet. Moralis exemplorum analyſis, cujus aliquoties jam meminimus, cumulum moleſtiarum, quibus obruitur ultor, intimius perſpiciendam ſiſtit & æſtimationem earundem inſinuat: neque enim idem æqualem moleſtiam

ſtiam affert unicuique, ſed eadem variat pro diverſa diſpoſitione animi non modo a diſpoſitionibus, inclinationibus & reclinationibus naturalibus; verum etiam habitibus acquiſitis aliisque circumſtantiis pendente. Ducit nimirum moralis exemplorum analyſis ad cognitionem latebrarum & receſſuum in animis hominum, quorum cum maxima vis ſit in actionibus hominum, illa non ſatis laudari, nec commendari poteſt.

§. 333.

Quando amarus ad vindictam properet.

Si amarum offenſa nimium torquet, ad vindictam properat. Quoniam homo natura infelicitatem averſatur (§. 325. *part. 2. Phil. pract. univ.*), conſequenter ea, quæ ipſi moleſtiam afferunt (§. 639. *Pſych. empir.*), omnis autem averſatio tendit ad aliquid depellendum (§. 250. *part. 2. Eth.*); quo majores fuerint moleſtiæ, quæ animum inquietant, eo quoque ardentius ab iis liberari cupimus. Quodſi ergo offenſa amarum nimium torquet, moleſtias depellere quantocyus ſatagit. Quoniam vero doloris ſui remedium aliud non agnoſcit, quam offenſoris dolorem; cupiditatem vindictæ non ante depoſiturus, quam eandem exſatiaverit (§. 955. *part. 1. Jur. nat.*), ad vindictam properat.

Feſtinationi celeritatem addit gaudium ex ultione ſperatum; quo major vero fuerit feſtinationis celeritas, eo minor eſt in ponderanda ultione circumſpectio. Attenditur ſaltem animus ad malum offenſori inferendum & ad moleſtiam eodem ipſi creandum, avertitur vero a malo ex vindicta in ultorem redundante & a tædiis ex eo orituris. Ideo contingit ut in ſcyllam incidat, qui vitare volebat charybdin. In feſtinationibus propterea tollendæ ſunt nimiæ celeritates, quæ deliberationi officiunt. Quamobrem recte inculcarunt veteres, lente feſtinandum eſſe. Aſt homines, quos affectus regunt, attentionem ab eo, quod contrarium illi, ad quod affectus tendit, avertentes (§. 532. *part. 2. Phil. pract. univ.*), non recor-

recordantur notiſſimorum. Contemnunt vero etiam eruditi faſtoſi, quæ ipſis vulgaria videntur, quamvis ipſiſmet admodum ſalutaria forent.

§. 334.

Quoniam *amarus* ad vindictam properat, ſi offenſa eum nimis torquet (§. 333.); ideoque ambabus manibus arripit media ulciſcendi, quæ circumſtantiæ præſentes offerunt, non ſufficiente uſus circumſpectione, utrum ſibimet ipſi magis noceat quam alteri, a quo ſe offenſum putat; *ad vindictam properans dolorem, quem inimici dolore lenire ſatagebat, auget & acriorem reddit*, conſequenter *ſi amici imprudentes ultionem ſuadent, vel prorſus adjuvant, quam diſſuadere debebant* (§. 776. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), *ſe non amicos, ſed revera inimicos eidem præbent* (§. 172.). *Quando amarus ad vindictam properet.*

Facile quidem eſt invenire media creandi tædia alteri, præſertim ſi alteri imputare audeas talia, quæ a te pro lubitu finguntur tibique licere ſumas, quæ facere potes. Sed non adeo facile eſt impedire, quo minus tædia multo majora inde in te redundent. Calliditas, quamvis prudentiam mentiatur, valde deceptrix eſt: cum enim æqui & juſti nullam rationem habeas, transgreſſione legis naturalis, quæ æqui ac juſti norma eſt, in infelicitatem incidis (§. 405. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter tædiis latas fores pandis (§. 637. *Pſych. empir.*). Multis modis accidit, ut eventus non reſpondeat votis. Sed diverſitas pendet a circumſtantiis particularibus, quæ pro diverſitate caſuum plurimum variant. Exemplorum itaque analyſis moralis ad talia prævidenda reddit acutiores. Quodſi amici actionem amari approbent aut adjuvent ſtudio placendi; amicum quidem habere videntur animum (§. 192.), factum tamen inimici eſt (§. 272.), quo indirecte ſaltem intenditur tædium amici (§. 621. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), quodque culpa commiſſum (§. 696. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*)

ipſis imputandum (§. 700. *part. 1. Phil. pract. univ.*), præſertim cum amici ſit monere ultorem ne faciat, quod ipſi quocunque modo nocere poteſt (§. 203.), nec amicitiæ cauſa faciendum ſit, quod legi naturæ contrariatur (§. 635. *part. 1. Jur. nat.*). Non nego prudentia ſæpius opus eſſe, ne te ultori facilem præbeas in perſequenda vindicta; ſed cum prudenter agere obligemur (§. 258. *part. 1. Jur. nat.*), nec negligendæ ſunt, quæ illius ſunt partes, ut, ſi monitio parum conſulta videatur, excuſationi locum facias, cujus neglectus tanto magis imputatur, quo magis obviæ ſunt excuſandi rationes.

§. 335.

Quando iracundus & amarus ſtultitiam prodant.

Quoniam amarus ad vindictam properans dolorem, quem inimici dolore lenire intendit, augere & acriorem reddere ſolet (§. 334.), idem vero etiam accidere ſolet iracundo, qui in medio ulciſcendi ſaltem ſpectat inimici dolorem, inſuper habitis tædiis inde in ſe redundaturis (§. 955. *part. 1. Jur. nat.*), ſtultitiæ vero eſt per præcipitantiam ſtatuere de mediis (§. 458. *part. 1. Eth.*); *non minus iracundus, quam amarus ſtultitiam prodit, ſi in medio ulciſcendi tantummodo ſpectat inimici dolorem, inſuper habitis tædiis inde in ſe redundaturis.*

Stultitia hæc major eſt amari, quam iracundi, quia illius major eſt cupido exſatiandi vindictæ cupiditatem, quam hujus (§. 452. 455. *part. 1. Jur. nat.*), cum is magis circumſpectus eſſe debeat in medio ulciſcendi eligendo, ne dolorem, quem adeo averſatur, acriorem reddat. Stultitiam non excuſat nimia, quam in calliditate ſua habet ultor, confidentia: hæc enim ipſa ad ſtultitiam adſcribenda, immo in eamdem degenerat, quando ad depellendum dolorem eliguntur media, quibus exacerbatur. Conſiderandum hic quoque eſt, quod, ſi quem calliditas ſua decepit, quam pro prudentia habebat, ubi is ſe deluſum experitur, ex eo quoque moleſtiam percipiat.

§. 336.

§. 336.

Crudelis in ultione tantum malum infert, quantum poteſt, adhuc majus illaturus, modo poſſet. Crudelis enim cupidinem vindictæ non deponit, antequam offenſori quantumcunque malum intulerit (§. 957. *part. 1. Jur. nat.*). Malum igitur inferendum potentia ſua æſtimat, cupiditate in infinitum tendente. Quamobrem tantum infert malum, quantum poteſt, majus adhuc illaturus, modo poſſet. *De crudelitate.*

Monuimus jam alias, crudelitatem, cum ſit vitium (§. 957. *part. 1. Jur. nat.*), æſtimandam eſſe ex appetitu, non vero ex actione externa. Hæc non excedit potentiam agentis, appetitus vero nullis limitibus circumſcribitur. Falluntur itaque, qui de crudelitate ex ſolo actu externo ſtatuunt, cum hoc modo crudelis minime videri poſſit, qui tamen eſt. Produnt vero animum cudelem, qui, quando de ultione ſermo incidit, duriora minantur & ſe confidere ajunt fore, ut majus malum inferant, nunquam immemores futuri offenſæ. Eadem de cauſa multi ſibi videntur a crudelitate alieni, cui tamen maxime obnoxii ſunt. Conſiderare nimirum tenentur, qualem habeant animum, ideoque quidnam facturi eſſent, modo poſſent, aut ſi non aliæ rationes obſtarent, quo minus facere conſultum exiſtimarent, quod poterant. Crudelem utique animum produnt, qui in votis habent, ut diriſſima mala eveniant ei, a quo ſe læſos putant, quamvis hic non attendenda ſint verba irati, cum ira furor brevis ſit, quæ crudelitatem inſpirat, minime tamen approbatam, quando iratus ad ſe redit & mente minime perturbata verba perpendit, quæ lingvæ parum potens effutiebat. Vitia nimirum ex appetitu ſenſitivo irrepunt in rationalem eundemque corrumpunt, ideoque animo affectuum impetu minime perturbato propoſitum male faciendi adeſt idemque conſtans, ut homo ſibi probe conſcius velit hoc, vel illud facere, nec ſibi facile perſuaderi patiatur contrarium, prouti vitium magis, vel minus altas

radices jam egit in animo ipſius. Inconſiderate dicta nondum arguunt vitium.

§. 337.

Quotuplici modo crudelitas committatur.

Quoniam crudelis in ultione tantundem mali infert, quantum poteſt, adhuc majus illaturus, modo poſſet (§. 336.) homo autem homini malum inferre nequit, niſi vel famam lædendo, vel vim corpori inferendo, vel fortunas ejus evertendo, quod per ſe patet; *crudelis ultor ſævit nunc in famam, nunc in corpus, nunc in fortunas ejus, a quo ſe offenſum putat, ſeu inimici.*

Vulgo homines crudelitatem ſaltem æſtimant ex ſævitia in corpus adhibita, quæ æſtimatur ex magnitudine dolorum, quibus cruciatur vim expertus. Ideo crudele habetur hominem ita cruciare, ut non ſtatim moriatur, ſicque cruciatus ſint graviores. Enimvero dantur quoque cruciatus animi, qui non minus moleſti, quam cruciatus corporis. Atque iſtiusmodi ſunt, quæ ex læſione famæ & fortunarum everſione oriuntur. Abſonum itaque non eſt, ut & in læſione famæ ac fortunarum everſione ſpectetur crudelitas. Crudelis intendit moleſtiis torquere animum inimici, & torquere conatur, quantum poteſt, conſequenter quantum fert occaſio. Perinde igitur eſt ipſi, ſive læſione famæ, ſive afflictione corporis, ſive fortunæ everſione torqueatur animus. Neque exiſtimandum eſt, quod crudelis, medio ultionis utens, quod minus durum videtur, non alio quovis duriori uteretur, modo id ſibi eſſet permiſſum. Ita eruditus ignominiam adſpergens famæ ejus, a quo famæ ſuæ inſidias ſtructas putat, non abſtineret a corporis cruciatibus, modo non deeſſet iisdem afficiendi offenſorem occaſio. Produnt animum vota, quibus manifeſto declaratur, quam vellent offenſorem e vivis ſublatum, addita ſubinde dira imprecatione. Immo huc etiam referendi ſunt, qui graviſſimo ſupplicio, quod imaginari poſſunt, offenſorem dignum pronun-

Digitized by Google

nunciant. Obſervanda tamen hic ſunt, quæ paulo ante dicta ſunt (*not.* §. 336.), ut ſcilicet verba in furore prolata dividantur ab iis, quæ a redeunte ad ſe proferuntur. Aliud exemplum crudelitatis in everſione omnium fortunarum conſiſtentis alias jam dedimus (*not.* §. 957. *part.* 1. *Jur. nat.*). Ex his vero intelligitur, cur dentur plurimi, qui crudelitatem in ſinu ſuo fovent, ſe tamen huic vitio obnoxium eſſe non agnoſcunt: unde porro elucet, quam ſit neceſſe ut notionem diſtinctam crudelitatis habeamus, nec contenti ſimus notione confuſa factis prædonum & latronum, atque tyrannorum imaginationi ingenita. Recolendum denique etiam eſt, quod alibi jam monuimus (*not.* §. *cit.*), varios dari crudelitatis gradus, ſicuti etiam ceterorum vitiorum, ne ex gradu de ea ſtatuatur, ſed ex definitione, quæ crudelitati cujusvis gradus convenit. Si animus ab omni labe purus eſſe debet, neceſſe eſt, ut careat vitio etiam in gradu minimo, ſi vel maxime is ſit naſcentis.

§. 338.

Si quis in puniendo modum nimis excedit, crudelis eſt. Qui enim alterum punit, non intendit malum, quod alteri inferendum, ſed averſionem periculi læſionis futuræ ſibi & aliis ex præterita metuendæ (§. 1074. *part.* 1. *Jur. nat.*), nec malum alterius vult, quatenus malum alterius eſt, ſed quatenus eſt medium unicum periculum iſtud avertendi, & mallet inimicum ab eo eſſe immunem (§. 1075. *part.* 1. *Jur. nat.*), ex malo inferendo voluptatem nullam percipiens (§. 1076. *part.* 1. *Jur. nat.*), animum ab omni vindictæ cupidine alienum habens (§. 1078. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quod ergo in punitione nimium eſt ſuadere nequit neceſſitas ſecuritati ſuæ & aliorum proſpiciendi. Quoniam itaque nihil appetimus, niſi ex quo voluptatem percipimus (§. 156. *part.* 2. *Eth.*); ex eo, quod nimium eſt in punitione, voluptas percipiatur neceſſe eſt, conſequenter punitor intendit malum inimico inferendum

De crudelitate in puniendo.

dum

dum tanquam malum ipſius, moleſtiam nimirum ei creaturus, propterea quod ſe offendit. Ex punitore itaque dum fit ultor, animum induit vindictæ cupidum (§ 947. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum crudelis ſit, qui cupidinem vindictæ non ante deponit, quam ei, qui ipſum offendiſſe videtur, quantumcunque malum inflixerit (§. 957. *part.* 1. *Jur. nat.*), malum nimirum inferens, quantum poteſt (§. 336.); ſi quis in puniendo modum nimis excedit, crudelis eſt.

Probe notandum eſt, non omnem in puniendo exceſſum ad crudelitatem eſſe adſcribendum, ſed ſaltem nimium. Et ne nimius videatur, qui non eſt; exceſſus non æſtimandus ex magnitudine ſeu gravitate pœnæ, ſed ex ſufficientia ad finem in puniendo intentum obtinendum. Determinatio hæc cum ſit difficilis, quia plerumque in rationibus probabilibus acquieſcendum, ut eadem facilitate in exceſſu, quam defectu peccetur; non ob quemlibet exceſſum, qui videtur in puniendo commiſſus, punitor pro crudeli habendus. Neceſſe eſt, ut idem ſit manifeſtus & ex aliis præſertim circumſtantiis animus vindictæ cupidus appareat, veluti ſi qui punire vult alterum malo lædentis delectetur, aut ſi ex tædio, quod offenſa ipſi creat, gravitatem pœnæ æſtimat, jure veluti talionis, quam eſſe illicitam conſtat (§. 640. *part.* 8. *Jur. nat.*). Quoniam vero nimietas manifeſta ſuos quoque habet gradus, ut vero ſis crudelis non a gradu dependet, ſed gradus ſaltem oſtendit, num magis, vel minus crudelis ſis; cautione opus eſt, ne in applicatione propoſitionis præſentis a vero aberres. Ne tamen propterea, quod jus puniendi quoad exercitium in civitate valde reſtrictum, propoſitio præſens inutilis exiſtimetur; notandum eſt dari caſus etiam in civitate, in quibus privatorum eſt punitio, veluti parentum liberos, dominorum ſervos, aut famulos punientium, ut jam alios taceamus.

§. 339.

Digitized by Google

§. 339.

Quibusnam prædones, latrones aliique facinoroſi offendantur.

Prædones & latones pro offenſa habent omne factum, quod facinori ipſorum quomodocunque adverſatur, ſive in faciendo, ſive in occultando. Idem intelligitur de hominibus ſceleratis & flagitioſis aliis. Etenim prædo aliis res ſuas vi eripere conatur (§. 505. *part. 2. Jur. nat.*), latro vero manus violentas infert aliis, a quibus læſus non eſt, quod tanquam per ſe notum ſumitur. Quoniam itaque qui quid appetit, omne illud averſatur, quod obſtat, quo minus conſequatur, quod cupit, ideoque id moleſtum ipſi accidit (§. 156. *part. 2. Eth.*), prædones vero & latrones non modo facinus facere volunt, verum etiam idem occultare ſtudent; omne factum, quod quomodocunque facinori adverſatur ſive in committendo, ſive in occultando moleſtum ipſis accidit. Quoniam itaque pro offenſa habetur factum alterius, ex quo moleſtia quædam percipitur (§. 936. *part. 1. Jur. nat.*); prædones & latrones pro offenſa habent omne factum, quod facinori ipſorum quomodocunque adverſatur ſive in faciendo, ſive in occultando.

Eodem modo idem intelligitur de hominibus ſceleratis & flagitioſis aliis, qui ſcelus & flagitium facere volunt, prodi tamen nolunt.

Nemo eſt qui neſciat homines offendi, ſi quis obſtiterit, quo minus conſequantur, quod cupiunt. Neque hic attenditur, utrum ſtudio id faciat, an vero vel prorſus inſcius ipſis obſtaculo ſit. Nec minus in propatulo eſt, quantum ſe offenſos putent, ſi quis ea proderit, quæ quomodocunque in ipſorum detrimentum cedere poſſunt, ideoque detegi nolunt. Conſtat etiam quod factum iri prævidetur, haberi pro facto. Cumque homines offenſam non æſtiment ex diſconvenientia facti cum lege naturæ, quemadmodum fieri debebat, ſed ex moleſtia, quam percipiunt; an alter ipſos revera offenderit,

an vero offenſa in ſe revera nulla ſit, minime conſiderant (§. 936. *part. 1. Jur. nat.*). Omnium vero minime hoc perpendunt illi, quibus nulla reverentia juris naturæ obſtat, immo qui eandem prorſus exuerunt. Velim hæc ad animum revocent, cum exempla ubivis obvia ſint; ac probè ponderent, ſi qui forſan ſint, quibus paradoxum videtur, quod prædones & latrones ſe offendi putent ab iis, qui ipſorum facinori quomodocunque obſtant, quo minus committatur, vel occultetur. Offenduntur utique, ſi nocturno tempore irruentes in ædes divitum deprehendunt vigiles, ſi dormientes in cubiculo, in quod ingrediuntur, effractis foribus evigilant, ſi hi indicare nolunt, ubi pecuniæ & res pretioſæ aliæ aſſerventur, ſi clamore excitant e ſomno domeſticos, ſi accurrunt opem adverſus vim injuſtam laturi. Homines nefarii, qui ſibi licere putant, quicquid lubet, injuriam interpretantur, ſi quis ipſorum facinori quomodocunque ſe adverſum præbet (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*). Error unus tacite ſerpit in notiones alias judiciumque corrumpit, ut male applicentur quæ vera ſunt. Quis eſt qui neſciat, falſa ratiocinia ingredi quoque præmiſſas veras, cum una præmiſſa falſa integram demonſtrationem corrumpat, ut falſa tandem inferatur concluſio.

§. 340.

De ſævitia latronum & prædonum.

Quoniam *latrones & prædones* pro offenſa habent omne factum, quod facinori ipſorum quomodocunque adverſatur ſive in faciendo, ſive in occultando (§. 339.); *Quodcunque malum iis inferunt, qui facinori ipſorum ſive in faciendo, ſive occultando obſtaculum objiciunt, non ſine animo vindictæ cupido inferunt* (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter cum crudelis in ultione tantum malum inferat, quantum poteſt (§. 336.), *non mirum eſt, ſi ſæviat in eorum corpora, etſi tanta non opus ſit ad facinus faciendum, vel occultandum, immo ſi damna det abſque ullo lucro ſuo, aut utilitate ſua, ſolo nocendi animo.*

Cru-

Digitized by Google

Crudelitatem adſcripſimus ad nimietatem cupidinis vindictæ (§. 957. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem videri poteramus crudelitatem arctioribus limitibus coërcere, quam quibus continetur, ita ut definitio noſtra ſit anguſtior ſuo definito. Ut igitur dubitatio tollatur, oſtendendum erat, quomodo latronum & prædonum, & per conſequens aliorum quoque hominum ſceleratorum & flagitioſorum crudelitas (§. 339.), ex cupidine vindictæ proficiſcatur. Quoniam crudelitas vitium (§. 957. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque habitus eſt (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*), crebro exercitio contractus (§. 430. *Pſych. empir.*); crudelis rationem, cur ita agat, diſtincte non expendit (§. 922. *Pſych. empir.*). Non igitur eſt quod miremur, ſi in corpora aliorum, vel alio modo in ipſos ſæviens, cupidinis vindictæ ſibi conſcius non ſit, nec ipſe norit, cur voluptatem ex ſævitia, vel damno aliorum percipiat, aut ſi malum, quod infert prædo vel latro alteri, tantum modo ſpectare ſibi videatur tanquam medium patrandi facinoris, aut occultandi. Qui vitia intimius perſpicere vult, in originem ipſorum inquirere tenetur, ut pateat, quomodo animo fuerint ingenita.

§. 341.

Unde naſcatur odium in peregrinos.

Qui ſibi perſuadent, homines omnes, qui non nobiſcum in eadem ſocietate vivunt, eſſe inimicos, inimicum vero habendum eſſe odio; in peregrinos crudeles ſunt. Qui ſibi perſuadent homines omnes, qui non in eadem nobiſcum ſocietate vivunt, ſeu peregrinos (§. 7. *part. 8. Jur. nat.*), eſſe inimicos; illi opinantur, quod peregrini ſe oderint (§. 626. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter cum odium tendat ad promovendam infelicitatem & depellendum felicitatem alterius (§. 308. *part. 2. Eth.*), ideoque ſtimulus ſit ad malum inferendum alteri (§. 569. 639. *Pſych. empir.*), quod habeant animum ſibi male faciendi. Quoniam igitur porro ſibi perſuadent, inimicos odio habendos

an vero offenſa in ſe revera nulla ſit, minime conſiderant (§. 936. *part. 1. Jur. nat.*). Omnium vero minime hoc perpendunt illi, quibus nulla reverentia juris naturæ obſtat, immo qui eandem prorſus exuerunt. Velim hæc ad animum revocent, cum exempla ubivis obvia ſint; ac probè ponderent, ſi qui forſan ſint, quibus paradoxum videtur, quod prædones & latrones ſe offendi putent ab iis, qui ipſorum facinori quomodocunque obſtant, quo minus committatur, vel occultetur. Offenduntur utique, ſi nocturno tempore irruentes in ædes divitum deprehendunt vigiles, ſi dormientes in cubiculo, in quod ingrediuntur, effractis foribus evigilant, ſi hi indicare nolunt, ubi pecuniæ & res pretioſæ aliæ aſſerventur, ſi clamore excitant e ſomno domeſticos, ſi accurrunt opem adverſus vim injuſtam laturi. Homines nefarii, qui ſibi licere putant, quicquid lubet, injuriam interpretantur, ſi quis ipſorum facinori quomodocunque ſe adverſum præbet (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*). Error unus tacite ſerpit in notiones alias judiciumque corrumpit, ut male applicentur quæ vera ſunt. Quis eſt qui neſciat, falſa ratiocinia ingredi quoque præmiſſas veras, cum una præmiſſa falſa integram demonſtrationem corrumpat, ut falſa tandem inferatur concluſio.

§. 340.

De ſævitia latronum & prædonum.

Quoniam *latrones & prædones* pro offenſa habent omne factum, quod facinori ipſorum quomodocunque adverſatur ſive in faciendo, ſive in occultando (§. 339.); *Quodcunque malum iis inferunt, qui facinori ipſorum ſive in faciendo, ſive occultando obſtaculum objiciunt, non ſine animo vindictæ cupido inferunt* (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter cum crudelis in ultione tantum malum inferat, quantum poteſt (§. 336.), *non mirum eſt, ſi ſæviat in eorum corpora, etſi tanta non opus ſit ad facinus faciendum, vel occultandum, immo ſi damna det abſque ullo lucro ſuo, aut utilitate ſua, ſolo nocendi animo.*

Cru-

Digitized by Google

Crudelitatem adſcripſimus ad nimietatem cupidinis vindictæ (§. 957. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem videri poteramus crudelitatem arctioribus limitibus coërcere, quam quibus continetur, ita ut definitio noſtra ſit anguſtior ſuo definito. Ut igitur dubitatio tollatur, oſtendendum erat, quomodo latronum & prædonum, & per conſequens aliorum quoque hominum ſceleratorum & flagitioſorum crudelitas (§. 339.), ex cupidine vindictæ proficiſcatur. Quoniam crudelitas vitium (§. 957. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque habitus eſt (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*), crebro exercitio contractus (§. 430. *Pſych. empir.*); crudelis rationem, cur ita agat, diſtincte non expendit (§. 922. *Pſych. empir.*). Non igitur eſt quod miremur, ſi in corpora aliorum, vel alio modo in ipſos ſæviens, cupidinis vindictæ ſibi conſcius non ſit, nec ipſe norit, cur voluptatem ex ſævitia, vel damno aliorum percipiat, aut ſi malum, quod infert prædo vel latro alteri, tantum modo ſpectare ſibi videatur tanquam medium patrandi facinoris, aut occultandi. Qui vitia intimius perſpicere vult, in originem ipſorum inquirere tenetur, ut pateat, quomodo animo fuerint ingenita.

§. 341.

Unde naſcatur odium in peregrinos.

Qui ſibi perſuadent, homines omnes, qui non nobiſcum in eadem ſocietate vivunt, eſſe inimicos, inimicum vero habendum eſſe odio; in peregrinos crudeles ſunt. Qui ſibi perſuadent homines omnes, qui non in eadem nobiſcum ſocietate vivunt, ſeu peregrinos (§. 7. *part. 8. Jur. nat.*), eſſe inimicos; illi opinantur, quod peregrini ſe oderint (§. 626. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter cum odium tendat ad promovendam infelicitatem & depellendum felicitatem alterius (§. 308. *part. 2. Eth.*), ideoque ſtimulus ſit ad malum inferendum alteri (§. 569. 639. *Pſych. empir.*), quod habeant animum ſibi male faciendi. Quoniam igitur porro ſibi perſuadent, inimicos odio habendos

eſſe; ea quoque ipſorum eſt opinio, quod animum habere debeant peregrinis viciſſim male faciendi, conſequenter malum malo referendi (§. 798. *part. 1. Jur. nat.*). Invadit ergo animum vindictæ cupiditas (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*), quam oblata occaſione exſatiare ſtudent. Quoniam itaque malum inferendum ex potentia æſtimant ſibi licitum arbitrari, quod lubet, cupiditatem vindictæ, qua incenſus eſt animus, quantocunque malo exſatiare ſtudent, quod occaſio ipſis ſuggerit. Quamobrem cum credelis ſit, qui cupidini vindictæ adeo indulget, ut non exſatietur niſi malo quantocunque ejus, qui offendiſſe videtur (§. 957. *part. 1. Jur. nat.*); qui ſibi perſuadent, homines omnes, qui non nobiſcum in eadem ſocietate vivunt, eſſe inimicos, inimicum vero habendum eſſe odio, in peregrinos crudeles ſunt.

Deduximus crudelitatem ex libidine exſatiandi cupidinem vindictæ (§. 957. *part. 1. Jur. nat.*). Removimus itaque dubium, quod moveri poterat crudelitas prædonum & latronum aliorumque hominum nefariorum in innocentes ſævientium (§. 340.). Reſtabat igitur, ut etiam removeremus alterum, quod ſuggerit crudelitas barbarorum erga peregrinos. Quamobrem demonſtrandum erat, hanc quoque non conſiſtere niſi in libidine exſatiandi vindictæ cupidinem. Atque hoc ſatis manifeſtum eſſe arbitror ex demonſtratione propoſitionis præſentis. Confirmant idem mores barbarorum, qui paſſim deſcribuntur in Itinerariis, modo eos examinare & intimius inſpicere didicerimus. Loquuntur illi aperte, nullam ipſos notionem habere æqualitatis hominum naturalis (§. 78. 81. *part. 1. Jur. nat.*), nec agnoſcere amorem univerſalem, quo omnes homines nobis ipſis æquiparantur (§. 619. *part. 1. Jur. nat.*). Ex adverſo tacita inhæret ipſorum menti opinio, quaſi homini naturale ſit odium erga omnes, nec huic niſi utilitatis & ſecuritatis ſuæ cauſa renunciari in gratiam illorum, qui nobiſcum in ſocietate vivunt. Evidentiſſime hoc patet ex iis,

quæ

Digitized by Google

quæ de anthropophagis in America ſine imperio civili gregatim viventibus narrantur. Etenim vicinos captos ſaginant, epulas lautiores inſtructuri. Quando captus ſolenni pompa ad occiſionem ductus fuit & ictum fatalem intentans ex eo quærit, an norit, quid ipſi ſit facturus, hic reſpondere ſolet, quod ego tibi facerem, ſi tu a me captus fuiſſes. Nonne igitur patet, beſtialem iſtum morem pro jure haberi a barbaris, quo homines erga ſe invicem utuntur, ita ut jus ſit potentioris? Equidem gentes barbaræ, apud quos ſervitus recepta eſt, peregrinos infortunio quodam in terras ipſorum delatos, aut captos a piratis trucidare non ſolent, ſed in diram ſervitutem addicere & apprehenſorum corpora ſtatim male tractare; non tamen propterea mitiores ſunt ipſorum mores, quam anthropophagorum: etenim propter ſervitia ſibi utilia eos ſervant, quos anthropophagi alterius utilitatis cauſa necant. Vivunt barbari iſti omnes ſuis moribus, quorum tamen non alia datur origo, niſi quam oſtendimus. Dicuntur ideo gentes barbaræ, quod ob neglectum virtutum intellectualium foveant opiniones rationi e diametro adverſas (§. 52. *Jur. Gent.*), quæ ſunt fons morum ferorum.

§. 342.

Qui alios amat tanquam ſeipſum, crudelis eſſe nequit, immo ne quidem habere poteſt animum vindictæ cupidum.

Quod crudelitas, immo omnis vindictæ cupido amori univerſali repugnet.

Qui enim alios amat tanquam ſeipſum, ea, quæ ipſis tædia creant averſatur, ac omne tædium ab iis avertere ſtudet (§. 651. 652. *Pſych. empir.*), perinde ac a ſeipſo. Quamobrem ſalvo amore fieri nequit, ut tantum malum aliis inferat, quantum poteſt, adhuc majus illaturus, modo poſſet (§. 569. *Pſych. empir.*), immo ſi ſui defendendi cauſa, vel etiam puniendi, malum quoddam inferendum, alterum ab eo immunem eſſe mallet (§. 993. 1075. *part. 1. Jur. nat.*). Crudelis ergo eſſe nequit, qui alios tanquam ſeipſum amat (§. 957. *part. 1. Jur. nat.*). *Quod erat primum.*

 Quo-

Quoniam qui alterum amat tanquam ſeipſum tædium alterius averſatur & ab eo avertere ſtudet (§. 651. 652. *Pſych. empir.*); ſalvo amore habere nequit animum alteri tædia creandi, propterea quod ſibi creavit, conſequenter quod ſe offendit (§. 936. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum vindictæ cupidus ſit, qui tædium, ſeu dolorem alterius appetit, propterea quod ſe offendit (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*); qui alios amat tanquam ſeipſum, ne quidem animum vindictæ cupidum habere poteſt. *Quod erat alterum.*

Quodſi omnes homines ſe mutuo amarent tanquam ſeipſos, crudelitas foret ignota in orbe terrarum. Crudelitas & amor univerſalis ſibi mutuo adeo repugnant, ut una alteri ne minimum quidem relinquat loci. Crudelitas itaque ſignum eſt carentiæ amoris univerſalis. Quamvis vero etiam omnis vindictæ cupido amori huic repugnet, non tamen propterea omni prorſus amore univerſali caret, qui vindictæ cupidus; ſed ſi quid adhuc reſiduum fuerit in animo, id ipſum vindictam moderatur, ne ſit nimia. Inde eſt, ut, quamvis iratus in crudelitatem feratur, ad ſe tamen rediens ab eo, quod crudele eſt, abhorreat.

§. 343.

De præſidio adverſus crudelitatem & vindictæ cupidinem.

Quoniam qui alterum amat tanquam ſeipſum, crudelis eſſe nequit, immo ne quidem habere animum vindictæ cupidum (§. 342.); *amor univerſalis firmiſſimum adverſus crudelitatem & omnem vindictæ cupidinem præſidium*, conſequenter *quamdiu is implantari nequit animis hominum, nec extirpabitur crudelitas, nec vindictæ cupido.*

Ignorant gentes barbaræ amorem univerſalem (*not.* §. 341.). Quamobrem non eſt quod miremur earum in peregrinos crudelitatem. Cum vindictæ cupiditatem, quam in nimium extendit homo crudelis, reprimere difficile ſit; omni animi con-

contentione in id enitendum eſſet, ut a primis ſtatim ungviculis amor univerſalis tenellis adhuc animis implantaretur. Amoris univerſalis eſt ut amemus hominem, quia homo eſt, quo ducit naturalis hominum æqualitas, ut alterum nobis æquiparantes eidem facere nolimus, quod ne nobis faciat volumus, amemusque propter Deum, ut ad finem univerſi conferamus, quantum debemus (§. 68.), ſicque tanquam cives univerſi perſonam noſtram recte geramus (§. 69.). Quodſi quis intimius perſpicere voluerit, quam firmum præſidium ſit adverſus cupidinem vindictæ ipſamque crudelitatem amor univerſalis, probe ponderare tenetur ea, quæ de hoc amore in ſuperioribus demonſtrata fuerunt, deducet autem analyſis demonſtrationum ad alia, quæ ſimul perpendenda ſunt, ne aliquid efficaciæ amoris univerſalis detrahatur. Sicuti enim veritates morales inter ſe connexæ ſunt, ut una ex aliis demonſtrari poſſit, ita quoque habitus morales a ſe invicem ita dependent, ut unus absque altero firmiter conſiſtere non poſſit & perfectio unius influat in perfectionem alterius. Ita amor univerſalis ad perfectionem ſui requirit, ut homines ceteros amemus propter Deum, amor vero propter Deum ſupponit ardorem promovendi gloriam Dei, quæ ex alibi demonſtratis uberius intelliguntur. Amor vero univerſalis ita perfectus perficit manſuetudinem, ut cupiditatem vindictæ fortius averſemur & horror crudelitatis augeatur, turpitudine nimirum ejus intimus perſpecta. Velim hæc attentius conſiderent, quotquot habent animum in virtute continuo proficiendi: neque enim voti ſui compotes reddentur, niſi virtuti omni operam navent, cum fieri minime poſſit, ne labe quadam inficiatur virtus una a ceteris ſejuncta. Atque hinc elucet neceſſitas ſyſtematis moralis, ex quo virtutum a ſe invicem dependentia agnoſcitur, non intellecta iis, qui, cum ignorent, quid ſibi velit ſyſtema veri nominis, vociferationibus inanibus ſyſtemata omnia damnant.

§. 344

§. 344.

Turpitudo naturalis crudelitatis.

Naturæ humanæ maxime repugnat crudelitas. Dilectio enim univerſalis naturæ humanæ convenit (§. 85. 86.) & ipſa natura humana eandem commendat (§. 90.), conſequenter quod dilectioni univerſali, idem quoque naturæ humanæ repugnat. Quamobrem cum crudelitas maxime repugnet amori univerſali (§. 342.), conſequenter dilectioni univerſali (§. 52.); eadem quoque naturæ humanæ maxime repugnat.

Sævit crudelis cupiditatem vindictæ exſatiaturus (§. 957. *part.* 1. *Jur. nat.*) in corpus aliorum, damna quantacunque dat aliis abſque ulla utilitate ſua, tantummodo ut alieno malo delectetur. Qui novit quid ſit homo, quem ratio a beſtiis diſtingvit, & quænam perſona a Deo ipſi impoſita ſit (*not.* §. 152. *part.* 4. *Eth.*), a crudelitate maxime abhorrebit, ut ideo horror crudelitatis homini videatur naturalis. Quamobrem qui crudelis eſt, naturam humanam exuiſſe & in bellualem transmutaſſe videtur, abolito omni ſenſu humanitatis. Atque inde eſt, ut crudelitas beſtialitas dicatur, & crudelibus tribuantur nomina beſtiarum. Atque hinc apparet turpitudo naturalis crudelitatis, quæ homines infra conditionem humanam deprimit & beſtiis furentibus æquiparat. Apparet autem tanto clarius, quanto magis intelligitur, quid ſit homo, & quanto intimius perſpicitur perſona a Deo ipſi impoſita, ut dignitas ejus agnoſcatur. Ita nimirum manifeſtiſſimum eſt, quam dedeceat hominem aſſimiliari beſtiis, & quam monſtroſam menten habeant, qui dignitatem ejus minime proſpiciunt. Perpendenda vero hæc etiam ſunt iis, qui crudelitatem in ſinu ſuo tacite fovent, quamvis alia obſtent, quo minus ſævitiæ, quæ in omnium oculos ſtatim incurrit, ſeſe dent. Quoniam itaque hominem maxime dedecet crudelitas; niſi quis omnem pudorem exuerit, fortiſſimum hoc erit motivum a crudelitate abſtinendi. Qui vero vitam hominis vivere volunt, ii quoque maxime averſabuntur, quod hominem beſtiis aſſimilat.

§. 345.

§. 345.

Quem crudelitatis pudeat.

Quoniam crudelitas naturæ humanæ maxime repugnat (§. 344.), conſequenter ne quidem nomine hominis dignus eſt, qui crudelis eſt, ita ut etiam belluarum nomen eidem tribuatur ab hominibus, qui non omnem ſenſum humanitatis deleverunt, qui vero ſanæ mentis eſt indignum nomine hominis ſe reddere & beſtiæ naturam induere non vult, quod tanquam ſine hæſitatione concedendum absque ulteriori demonſtratione ſumitur, & pudor concitatur ſiniſtro aliorum de nobis & factis noſtris judicio (§. 374. *part. 2. Eth.*); *qui ſanæ mentis eſt, eum crudelitatis maxime pudet.*

Oſtendimus in ſuperioribus, quod eum pudeat vindictæ, qui ſanæ mentis eſt (§. 330.). Quamobrem cum vindictæ cupiditas non altiores egerit radices quam in animo hominis crudelis (§. 957. *part. 1. Jur. nat.*); inde quoque inferri poterat, quod crudelitatis maxime pudeat eum, qui ſanæ mentis eſt. Mentis ſanitas conſiſtit in recto facultatum animæ uſu, quemadmodum ſanitas corporis eum ipſius ſtatum denotat, quo ſingulæ ipſius partes, ſeu organa ſingula munere ſuo rite funguntur (§. 345. *part. 1. Jur. nat.*). A ſanitate igitur corporis abſtrahitur notio generalis ſtatus alicujus entis, in quo ſingula, quæ eidem inſunt, aut ineſſe intelliguntur, & ad certos uſus deſtinantur, eum uſum præſtant, quem habere debent. Et vi hujus notionis deprehenditur ſimilitudo inter ſanitatem corporis & ſanitatem mentis ſive animæ humanæ, ſimulque patet, quomodo ſanitas de entibus quoque aliis prædicari poſſit. Conformia hæc ſunt iis, quæ de ſimilitudine ſine notione quadam generali communi rebus, quæ invicem aſſimilantur, non concipienda tradidimus, cum de ingenio ageremus (*not.* §. 250. *part. 1. Eth.*). Qui ſanæ mentis eſt, rectam facit facultatum cognoſcendi uſum, ideoque de rebus judicat recte, quemadmodum ſcilicet veritati conſenta-

neum. Quamobrem quoque de crudelitate, qua homo belluis aſſimilatur, ex vero ſtatuit, & judicium de ſimilitudine hominis crudelis & belluæ nititur notione generali a factis belluæ abſtracta & ad facta crudelis vi dicti de omni applicata (§. 349. *Log.*). Atque hinc evidenter patet, quod ſumſimus, hominem ſanæ mentis indignum ſe reddere nolle nomine hominis & beſtiæ naturam induere. Quodſi enim mens ſana fuerit, appetitus quoque & averſatio rectum intellectus judicium ſequitur. Monſtroſam habent mentem, quæ diverſam ab humana induit formam, quibus crudelitas ſe commendat. Ne vero naturæ tribuas, quod ei tribuendum non eſt; mente recolendum, homines non naſci, ſed educatione demum effici (*not.* §. 256. *art.* 7. *Jur. nat.*). Mentis monſtroſitas non naturæ, ſed educationi potiſſimum debetur ac conſuetudini cum pravis. Videmus hoc in barbaris erga peregrinos ſe crudeles præbentibus, quibus a prima ætate ingignitur odium erga peregrinos infinitum, & exemplis eorum, cum quibus & ad quorum ſimilitudinem vivunt, firmatur (*not.* §. 341.). Vitia omnia a mente minus ſana proficiſcuntur, ac ideo pro morbis animi recte habentur. Quemadmodum vero non omnes corporis infirmitates corpus ineptum reddunt ad omnes ſuas operationes; ita quoque non omnis animæ infirmitas penitus tollit omnem rectum facultatum uſum, ut mente ſana hominem privemus eunque inſanire dicamus. Aſt ne ab inſtituto noſtro nimis procul recedamus; gradum ſiſtimus.

§. 346.

Quando vitii neminem pudeat.

Si moribus eorum, cum quibus vivitur, vitium aliquod pro licito habetur; neminem quoque ejus pudet. Quodſi enim moribus eorum, cum quibus vivitur, vitium aliquod pro licito habetur, ſi facta eidem convenientia ad illorum opinionem referimus, verendum non eſt, ne ſiniſtrum de nobis atque factis noſtris judicium ferant (§. 774. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum pudor oriatur ex opinione ſiniſtri de nobis & factis noſtris judi-

judicii (§. *cit.*); ſi moribus eorum, cum quibus vivitur, vitium aliquod pro licito habetur, pudoris ratio ſufficiens ceſſat (§. 56. *Ontol.*), conſequenter nec fieri poteſt, ut quenquam pudeat hujus vitii (§. 70. *Ontol.*).

Abunde hoc loquuntur mores barbarorum, de quibus ante diximus (*not.* §. 341.); loquuntur vero etiam iidem idem de vitiis aliis. Immo videmus apud gentes etiam cultiores exempla, quæ propoſitionis præſentis veritatem confirmant. Et quis eſt, qui neſciat, non pudere eruditos etiam inter nos convitium dicere adverſario, immo calumniam ferre, quamvis convitia (§. 833. *part. 1. Jur. nat.*) & calumniæ legi naturæ adverſentur (§. 836. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque convitium dicere & calumniam ferre ad vitia ſit adſcribendum (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*), propterea quod perverſus hic mos, qui eruditos viros dedecet, cum nec in vetulis altercantibus approbetur, inter eruditos invaluit, ita ut ingenii oſtentatio in conviciando & calumniando laudi ducatur? Immo non pudent nocentiſſima vitia, nec fœda ſcelera, ſi in morem gentis, aut ſaltem turbæ abierint. Utinam nec inter nos iſtiusmodi proſtarent exempla!

§. 347.

Quoniam neminem pudet vitii, quod moribus eorum, cum quibus vivitur, pro licito habetur (§. 346.), homines autem plerique vivunt ad ſimilitudinem aliorum, ideoque plus valet apud eos mos, quam ratio; *vitia moribus approbata difficillime erudicantur, etiamſi quis gloriæ fuerit cupidus* (§. 765. *Pſych. empir.*). *Cur vitia moribus approbata difficillime eradicentur.*

Qui gloria ducitur, ei motivum non agendi eſt ſiniſtrum aliorum de actionibus ſuis judicium (§. 402. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo vitium moribus fuerit comprobatum, ſiniſtrum judicium non metuit. Ceſſat itaque pudoris ratio (§. 779. *Pſych. empir.*), conſequenter nec eum pudet

 vitii.

vitii. Quoniam vero vitio deditus non ex ratione æſtimat, quid agendum ſit, quid omittendum (§. 322. 259. *part. 1 Phil. pract. univ.*), ſed unice ex voluptate, quam ex actione percipit (§. 156. *part. 2. Eth.*); non facile eſt reperire motivum nolitionis, præſertim ſi vitium jam altas radices egerit in animo, quemadmodum agere ſolent vitia, quæ in morem abierunt. Iſtiusmodi vitia tyrannus ſunt, non rationis conſilio, ſed vi opprimenda, ut ceſſantibus actionibus externis mos tandem deleatur, ne malum ſerpat in poſteros, quamvis qui nunc vivunt ad ſaniorem mentem reduci nequeant, ſed depravata maneat voluntas. Exemplo ſunt gentes barbaræ, quæ piraticam faciunt; anthropophagi, qui innocentes trucidant, ut carne eorum veſcantur; gentes, quæ immane ſervitutis jugum aliis contra naturam imponunt utilitatis ſuæ cauſa. Et quis eſt qui neſciat nonniſi pœnis graviſſimis in civitate opprimi mores inveteratos? Philoſophus præter rationem non habet arma alia ad vitia oppugnanda. Qui rationem ex animo exſpuit, ei medelam afferre nequit. Valent mores inveterati adverſus rationem, ideoque accenſentur morbis animi, qui medicamenta vincunt. Quæ ad philoſophiam civilem pertinent, non ſunt hujus loci, ſed ſuo loco reſervantur.

§. 348.

De infanticidiis ſceleris occultandi cauſa commiſſis & occiſione liberorum ob offenſam parentum.

Infanticidium ſceleris occultandi cauſa commiſſum ad crudelitatem adſcribendam. Idem intelligitur de perſonis, quæ liberos parentum occidunt, a quibus ſe offenſas putant. Qui enim infantes recens natos occidunt, ſceleris occultandi cauſa, ſcelus a ſe commiſſum infantibus imputant, quatenus moleſtiam inde percipiunt, quod fuerint nati, & eos tanquam ſceleris ſui proditores ſpectant (§. 527. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum infantes tanquam ſibi noxios conſiderent, odium erga eos oritur (§. 673. *Pſych. empir.*), tanto quidem majus, quia prædominatur amori natura non minus brutis, quam homi-

hominibus erga fœtum ſuum inſito (§. 257. *part. 7. Jur. nat.*), ad hujus educationem tendenti (§. 260. *part. 7. Jur. nat.*). Quoniam itaque non ſine vindictæ cupidine manus violentas infantibus inferunt (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*), quam eorum morte exſatiare ſtudent, utut non ſemper primario vindicta intendatur, ſed ſaltem ſecundario (§. 619. *part. 1. Phil. pract. univ.*), crudelis vero eſt, qui nece alterius vindictæ cupiditatem exſatiare ſtudet (§. 957. *part. 1. Jur. nat.*); infanticidium ſceleris occultandi cauſa commiſſum ad crudelitatem adſcribendum. *Quod erat unum.*

Quodſi quis liberos parentum, a quibus ſe offenſum putat, occidit; is animum utique habet cupidinem vindictæ quantocunque malo exſatiandi (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum crudelis ſit, qui eo eſt animo (§. 957. *part. 1. Jur. nat.*); ſi quis liberos parentum, a quibus ſe offenſum putat, occidit, homicidium ad crudelitatem adſcribendum. *Quod erat alterum.*

Si cui paradoxum videtur, quod cupiditas vindictæ influere dicatur in infanticidia ſceleris occultandi cauſa commiſſa, is relegat ſuperius de prædonibus & latronibus annotata (*not.* §. 339.). Quamvis vero abſurdum in ſe ſit infanti innocentiſſimo imputare ſcelus ſuum, minime tamen experientiæ contrariatur, homines culpam ſuam a ſe removere in alios, ipſas etiam res inanimatas, & haud raro ad iram concitatos vindictæ fræna laxare. Nihil ſane tam abſurdum eſt, quod non committatur ab hominibus non ſanæ mentis. Dantur autem infanticidii caſus duo, quorum alter altero vindictæ cupiditatem apertius loquitur. Dantur enim fœminæ, quæ, ubi ſe concepiſſe ſentiunt, odium adverſus fœtum in utero concipiunt totoque graviditatis tempore adaugent, necem ipſi minantes, quamprimum in lucem fuerit editus: quo facto cupidinem explent. Atque hæ amorem naturalem,

Digitized by Google

qui ϛοργὴ dicitur (§. 259. *part.* 7. *Jur. nat.*), in odium convertunt, & infantem tanquam inimicum perſequuntur; ut ideo necem ejus primario intendant (§. 619. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). In his vindictæ cupiditas manifeſta eſt, modo perpendas, vindictam non ſupponere offenſam veram, ſed ſaltem offenſæ opinionem, quantumcunque abſurda ea ſit. Inde omnino contingit, ut ſubinde ſæviant in infantem innocentem, aut manus violentas inferant, etiamſi ſtuprum non lateat, vel ejus occultandi nulla ſpes ſit. Dantur vero etiam, qui infanticidium ſpectant tanquam medium occultandi ſtuprum, ita ut ab eo alias ſeſe abſtinerent. Hæ utique primario occultationem ſceleris intendunt; quatenus tamen funeſtum hoc medium eligunt, cupiditas vindictæ accedit, quæ vel tacite in occiſionem influit cum intentione ſecundaria (§. *cit. part.* 1. *Phil. pract. univ.*). A nece infantis revocare debebat amor naturalis in caſu utroque; aſt eundem ſupprimit odium, ſine quo manus violentæ inferri non poſſent, ſit ita quod non advertatur, quando attentio potiſſimum in celamine tota defigitur. Analyſis perceptionum confuſarum obſcuras efficit claras, & ſic demum in apricum producitur ratio ſufficiens, quæ latebat, quamvis penitus non intellecta, dum in receſſus imperſcrutabiles incidimus: quæ omnia ſatis clara ſunt in philoſophia noſtra verſato, quamvis innaceſſa iis, qui ultra ſenſus ſapere nolunt. Exempla infanticidii deliberato animo commiſſi ab ancillis, propterea quod ſe offenſas exiſtimabant ab heris ſuis, recentiſſima proſtant. Atque in his animus exſatiandi cupidinem vindictæ manifeſtus eſt, non demum analyſi perceptionum confuſarum eruendus.

§. 349.

De facilitate reprimendi vindictæ dupidinem.

Qui ira deflagrata cupiditatem vindictæ ſtatim reprimit, hominem qua hominem amat & contra. Etenim qui ira deflagrata cupiditatem vindictæ ſtatim reprimit, tædium alteri creare non vult, propterea quod ſe offendit (§. 947. *part.* 1. *Jur. nat.*),

Digitized by Google

nat.), conſequenter ex tædio alterius ipſemet tædium percipit (§. 156. *part. 2. Eth.*). Quamobrem cum alterum amet, qui ex tædio ejus ipſemet tædium percipit (§. 643. *Pſych. empir.*); qui ira deflagrata cupiditatem vindictæ ſtatim reprimit, eum, qui ſe offendit, adhuc amat, conſequenter cum amoris nulla ratio particularis ſupponatur, eum qua hominem amat. *Quod erat unum.*

Quodſi quis hominem qua hominem amat, tædium cujusvis hominis averſatur (§. 651. *Pſych. empir.*), conſequenter nemini tædium creare vult, ideoque nec ei, qui ſe offendit. Quamobrem cum vindictæ cupidine vacuus ſit animus, ſi quis ei, qui ſe offendit, tædium creare non vult propter offenſam (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*); qui ira deflagrata, quæ ad vindictam tendebat (§. 422. *part. 2. Eth.*), cupiditatem vindictæ ad ſe rediens ſtatim reprimit, hominem qua hominem amat. *Quod erat alterum.*

Amor remedium adverſus cupidinem vindictæ eſt, quo concitato hæc exſpirat. Enimvero ſi is particulares habuerit rationes, remedium quoque in caſu ſaltem particulari prodeſt. Quoniam vero in præſenti nobis ſermo eſt de eo, qui in omni caſu ſeu perpetuo ira deflagrata cupidinem vindictæ miſſam facit, etiamſi nulla particularis ratio, quam ſuggerunt circumſtantiæ præſentes, repreſſionem vindictæ ſuadeat, aut vindictam diſſuadeat; amor quoque univerſalis ex æquo ad omnes homines extenſus adverſus cupidinem vindictæ remedium univerſale eſt, ſeu ad vindictam miſſam faciendam requiritur. Amor vero univerſalis non aliud ſupponit, quam hominem eſſe hominem, ſepoſita omni conſideratione alia. Hoc ſi imbutus fuerit animus, haud quaquam fieri poteſt, ut malum malo referre velit, quoniam qui hominem omnem amat tanquam ſeipſum, a malo alieno perinde abhorret, quam a proprio, ideoque animum alteri quacunque de cauſa ægre faciendi habere nequit.

§. 350.

§. 350.

Quales ſint iracundi & quinam ad iracundiam proni.

Qui iracundus eſt, hominem qua hominem amare nondum didicit, & qui hominem qua hominem amare nondum didicerunt, ad iracundiam proni ſunt. Qui enim iracundus eſt cupiditatem vindictæ difficulter reprimit (§. 952. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum eundem ſtatim reprimat, ira deflagrata, qui hominem qua hominem amat (§. 349.), conſequenter hominem qua hominem amare nequeat, qui eandem ira deflagrata ad ſe rediens non reprimit, ſed retinet; iracundus hominem qua hominem amare nondum didicit. *Quod erat unum.*

Qui hominem qua hominem nondum amare didicit, ejus animus nondum diſpoſitus eſt ad tædium hominis cujusvis averſandum (§. 651. *Pſych. empir.*), conſequenter ſi qua ratio ipſum impellit ad tædium alteri creandum, nil obſtat, quo minus idem appetat. Quodſi ergo ad iram concitetur, quæ ad vindictam tendit (§. 422. *part. 2. Eth.*), conſequenter ipſum impellit ad tædium creandum ei, qui ipſum offendit (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*); tædium offenſoris appetit, ideoque cupiditatem vindictæ ira deflagrata adhuc retinet, nonniſi rationibus ſingularibus reprimandam aut diſſuadendam. Quamobrem cum iracundus ſit, qui cupiditatem vindictæ difficulter reprimit (§. 952. *part. 1. Jur. nat.*); qui hominem qua hominem nondum amare didicit, ad iracundiam pronus eſt. *Quod erat alterum.*

Qui hominem qua hominem ſincere amat, ipſos etiam inimicos, & in amore univerſali factum a perſona dividere didicit, ut, dum factum odio habet, perſonam tamen amet; is non facile offenditur, & ſi vel maxime ad iram concitetur, eidem tamen ita moderatur, ut vindictæ cupidini nullum relinquat locum, conſequenter manſuetus eſt (§. 950. *part. 1. Jur. nat.*). Quo magis itaque amor univerſalis deficit, eo magis

magis quoque deficit manſuetudo, & per conſequens vindictæ cupidini locus relinquitur. Quodſi ergo amor univerſalis prorſus deficit, nihil quoque vindictæ cupidini obſtat, ideoque ſi a vindicta quis abſtinere debet, neceſſe eſt ut particularia adſint motiva, deſumta vel a detrimento, cui ultio ulciſcentem obnoxium reddit, vel ab emolumento, quod ea omiſſa ſperandum, qualecunque tandem id fuerit pro diverſa hominum conditione, vel inclinationibus diverſis. Hoc vero modo non medela affertur vitio, ut animus ad odium vindictæ diſponatur; ſed ſaltem obtinetur, ut in præſenti caſu ultio omittatur. Atque ideo non eſt quod miremur, carentiam amoris univerſalis eſſe cauſam pronitatis ad iracundiam. Seponimus jam vitia alia, quæ in iracundiam influunt, cum hæc ad caſus particulares pertineant.

§. 351.

Qui amarus eſt, odium inimicorum licitum eſſe arbitratur, & contra. Qui enim amarus eſt, cupiditatem vindictæ deponere non vult, antequam eam exſatiaverit (§. 955. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter tædium, ſive moleſtiam creaverit ei, qui ſe offendit (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*), ſeu inimico ſuo (§. 936. 626. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam igitur moleſtiam offenſoris appetit, ex eo, quod ipſi moleſtum eſt, voluptatem percipit (§. 156. *part. 2. Eth.*), conſequenter eum odit (§. 665. *Pſych. empir.*), cumque conſtans ipſi ſit voluntas ægre faciendi offenſori (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*), ſibi omnino licitum eſſe putat odio habere inimicum. Quamobrem qui amarus eſt, odium inimicorum licitum eſſe arbitratur. *Quod erat primum.* *Qualis ſit amarus.*

Quodſi quis exiſtimet odium inimicorum licitum eſſe, conſequenter ſe recte facere, ſi offenſorem odio habeat; is quoque ſibi perſuadet, ſe recte facere, ſi offenſori moleſtiam creat, propterea quod ſibi creavit (§. 671. *Pſych. empir.*), conſequenter quod ſe offendit (§. 936. *part. 1. Jur. nat.*), ideo-

que vindictæ cupidus (§. 947. part. 1. Jur. nat.). Quamobrem cum firma iſta perſuaſio mentem obſeſſam teneat, cupiditatem quoque vindictæ deponere non vult, antequam eam exſatiaverit. Quoniam itaque amarus eſt, qui cupiditatem vindictæ non ante deponere vult, quam eandem exſatiaverit (§. 955. *part. 1. Jur. nat.*); qui exiſtimat, odium inimicorum licitum eſſe, amarus eſt. *Quod erat alterum.*

Quoniam qui alteri tædia creare ſtudet, eum odit (§. 671. *Pſych. empir.*), qui vero alterum offendit tædium eidem creat (§. 936. *part. 1. Jur. nat.*), & vulgo ex actionibus externis judicantur alii, non attento animo, quo fecerint; ideo qui quem offendit, ipſum odiſſe videtur, conſequenter cum inimicus ſit, qui nos odit (§. 626. *part. 1. Jur. nat.*), offenſor pro inimico habetur, quamvis demum is pro inimico habendus, qui offendendi animum habet. In vitiis non attenditur veritas, ſed regnant hominum opiniones, quorum unusquisque abundat ſenſu ſuo. Quamobrem in demonſtrandis iis, quæ ad vitia pertinent, ſupponendæ ſunt præconceptæ hominum opiniones, quibus veris notionibus admiſcentur errores varii nonniſi in caſibus ſingularibus diſcernendi. Ad eos autem detegendos ducit analyſis exemplorum moralis, cujus jam aliquoties mentionem fecimus. Voluntas determinatur per judicium intellectus (§. 891. *Pſych. empir.*), ac ideo opiniones quoque falſæ, modo ſint firmæ, voluntatem efficiunt conſtantem (§. 1062. *part. 1. Theol. nat.*). Nihil igitur in demonſtratione de amaritudine occurrit, quod non principiis pſychologicis ſit conforme, modo ſingula rite ponderentur: id quod etiam in aliis de vitiis demonſtrationibus tenendum. Ceterum vindicta omnis ex odio procedit, quod ejus cupidinem gignit. Odium proficiſcitur ex opinione offenſæ. Quamdiu hoc reſidet in animo, nec vindictæ cupiditas extingvitur. Atque ita amaritudo dependet ab opinione, quod offenſor, ſeu inimicus ſit odio habendus. Quamvis ergo in amaro non omnis ſenſus humanitatis fuerit extinctus, ne homi-

Digitized by Google

hominem quâ hominem amet; amarus tamen amorem univerſalem non extendit ad inimicos, ſed ad ſummum ad non inimicos reſtringit. Ad firmitatem perſuaſionis de odio licito inimicorum præſertim nos actu offendentium haud parum confert confuſa quædam notio juris ſecuritatis homini omni natura competentis (§. 918. *part. 1. Jur. nat.*), vi cujus non pati tenemur, ut quis nos lædat (§. 917. *part. 1. Jur. nat.*) & ex quo naſcitur jus puniendi (§. 1059. *part. 1. Jur. nat.*), quod perperam in vindictam convertitur (§. 1078. *part. 1. Jur. nat.*). Et ipſa hæc confuſio diſſuaſionem ultionis difficilem reddit.

§. 352.

Qui ſeipſum unice amat, nec quenquam alium niſi propter ſe & odium inimicorum in infinitum extendit, crudelis eſt: & contra. *Qualis ſit crudelis.* Qui enim ſeipſum unice amat, nec quenquam alium niſi propter ſe, id quod idem eſt ac ſeipſum amare (§. 138.); ei perinde eſt ſive alii voluptate fruantur, ſive moleſtia torqueantur. Quodſi ergo odium inimicorum licitum eſſe putat, animus ejus diſpoſitus eſt ad tædia inimicis creandum (§. 671. *Pſych. empir.*). Et quoniam odium hoc in infinitum extendit, ideoque nullis prorſus limitibus circumſcribit; tantundem ſibi in inimicum licere putat, quantum poteſt, aut lubet. Cupidinem itaque vindictæ, quæ tendit ad tædia, ſive moleſtiam creandum offenſori, exſatiare ſtudet quantocunque malo. Quamobrem cum crudelis ſit, qui cupidinem vindictæ non ante deponit, quam ei, qui offendiſſe videtur, quantumcunque malum inflixerit (§. 957. *part. 1. Jur. nat.*); qui ſeipſum unice amat, nec quenquam alium niſi propter ſe ipſum atque odium inimicorum in infinitum extendit, crudelis eſt. *Quod erat unum.*

Qui crudelis eſt, cupidinem vindictæ non ante deponit, quam ei, qui offendiſſe videtur, quantumcunque malum

Digitized by Google

inflixerit (§. 957. *part. 1. Jur. nat.*), quantum nimirum poteſt, aut lubet. Ex malo igitur offenſoris cum voluptatem capiat (§. 156. *part. 2. Eth.*), conſequenter ex eo, quod eidem moleſtiam creat (§. 569. *Pſych. empir.*); offenſorem odit & hoc odium in infinitum extendit, *per demonſtrata.* Quoniam vero fieri minime poſſet, ut odium in infinitum extenderet, ſi quid adhuc amoris ſupereſſet, quo hominem alium qua hominem amamus (§. 642. *Pſych. empir.*); amore univerſali prorſus deſtitutus eſt, ideoque ſi quem amat, tantummodo eum amat propter ſe, hoc eſt, quia ſeipſum amat (§. 138.), cumque amor ſui homini naturalis ſit (§. 45. *part. 4. Eth.*), ſeipſum unice amat. Patet itaque hominem crudelem ſeipſum ſaltem amare nec alium quenquam niſi propter ſe, odium vero inimicorum in infinitum extendere. *Quod erat alterum.*

Si amor fuerit univerſalis, ut homo quilibet qua homo ametur, manſuetudo gignitur: quo magis autem ab amore univerſali receditur, eo magis quoque a manſuetudine diſceditur. Atque inde oriuntur differentiæ inter iracundum, amarum & crudelem. Opponitur amori odium, & inter utrumque datur medium, quem non amorem in anterioribus diximus, & quæ in indifferentia ad amandum & odio habendum conſiſtit. A manſuetudine itaque receditur per non amorem ad odium. In ſcrutandis differentiis inter iracundum, amarum atque crudelem animus quoque attendendus ad non amorem atque odium. Quilibet homo amat ſeipſum & hic amor ipſi adeo naturalis eſt, ut, etiamſi reſpectu ſui faciat, quæ ſecundum rationis trutinam expenſa ad odium adſcribenda ſunt, hæc tamen facta ex amore ſui tanquam fonte promanent. Sane ſi quis manus violentas ſibimet ipſi infert, cum necem ſpectet tanquam medium liberationis a malo, quod metuit, quod ſibi bonum videtur appetit amore ſui ſuadente, ut malum minus opinione ſua præferatur majori, præſertim quia attentio unice defigitur in liberatione a malo, quod

quod averſatur propter moleſtias ſubeundas. Gignit amor ſui vindictæ cupiditatem, quatenus vindicta ſpectatur tanquam remedium doloris ex offenſa nati. Amor enim ſui tendit ad depellendum dolorem, cumque offenſa ſuſcitet odium erga offenſorem, quod tendit ad moleſtiam ipſi creandam, vindicta ſeſe commendat, ſicque ejus cupiditas animum invadit. Conſona hæc ſunt principiis in ſyſtemate noſtro paſſim ſtabilitis, quamvis brevitatis cauſa prolixiori demonſtrationi ſuperſedeamus. Si quis amore univerſali imbutum poſſideat animum, ad ſe rediens ubi rationi aurem præbet, vindictæ cupiditatem deponit & manſuetudini locum facit (§. 349.). Quodſi vero hominem qua hominem amare nondum didicit, non amor in cauſa eſt, ne vindictæ cupiditas facile reprimamatur, ceſſante nimirum ratione maxime naturali, ob quam ea arcetur, ideoque homo efficitur iracundus (§. 350.). Quodſi amor univerſalis reſtringatur, ut odium inimicorum licitum exiſtimetur, quaſi recte faciat, qui inimicum odio proſequitur; cupiditas vindictæ firmatur, ideoque homo efficitur amarus (§. 351.). Quodſi quis ſeipſum unice amet, conſequenter neminem alium niſi propter ſe; quo magis fervet amor ſui ipſius, eo majores quoque vires capit odium erga offenſorem, & malum vindictæ cauſa inferendum nullis limitibus coërcetur, ideoque homo efficitur crudelis, *vi præſentis.* Satis itaque patet, cur alii ira deflagrata omnem vindictæ cupiditatem ſtatim deponant, alii eandem adhuc retineant, alii eandem deponere nolint, antequam eam exſatiaverint, alii denique eandem exſatiare nequeant niſi quantocunque malo offenſori illato. In caſibus tamen particularibus attendendus quoque eſt aliorum vitiorum in cupiditatem vindictæ influxus, quo iracundia, amaritudo & crudelitas diverſimode modificatur, attendendi quoque ſunt errores particulares, quibus appetitus depravatur. Sed talia docet analyſis exemplorum moralis, quam aliquoties jam commendavimus, facile inſtituenda ab eo, qui in Philoſophia, Pſychologia inprimis atque Ethica, ſatis fuerit verſatus & methodi veræ compos. Ceterum

rum hic quoque perpendenda ſunt, quæ de amore univerſali firmiſſimo adverſus crudelitatem & omnem vindictæ cupiditatem paulo ante demonſtravimus (§. 343.). Obiter quaſi adhuc monemus, quemadmodum charitas omnia officia hominis erga alios complectitur (§. 654. *part. 1. Jur. nat.*), ita ex amore ſui inordinato, ſeu ad legem naturæ, aut rationem minime exacto, omnia tandem vitia propullulare: id quod de unoquoque vitio haud difficulter oſtenditur, & in genere inde colligitur, quod homo nil appetat niſi quatenus quid voluptatem ipſi creat, nec averſetur, niſi quatenus creat moleſtiam (§. 156. *part. 2. Eth.*), huc enim eum ducit amor ſui (§. 633. 638. & *ſeqq. Pſych. empir.*).

§. 353.

Remedium adverſus iram.

Iratus ſibi magis nocet, quam ei, cui iraſcitur. Iram eſſe affectum vehementiſſimum, præſertim ſi affectus moleſti alii accedant (§. 863. & *ſeqq. Pſych. empir.*), quo animus hominum mire perturbatur & ipſa ſangvinis circulatio omnisque fluidorum in corpore motus nimis concitatur, in vulgus notum eſt. Si mentem ſpectes, ira ideo furori comparatur, & quod corpori damnum inferat, aut ſaltem inferre poſſit, cum pro explorato habeatur, omne violentum naturæ inimicum eſſe, vulgo etiam agnoſcitur, ut hoc remedio iram lenire tentent adſtantes, quod ſanitati ſuæ noceat iraſcens. Per ſe autem patet, nullam inde moleſtiam percipere eum, cui iraſcitur, conſequenter iratus ſibi magis nocet, quam ei, cui iraſcitur.

Affictus vehementes, quos inter ira eminet, & phyſice, & moraliter nocere homini, alias jam inculcavimus (*not.* §. 227. *part.* 4. *Eth.*). Damnum non ſemper inſtantaneum eſt, &, ſi vel maxime effectus noxius ſtatim ſequatur, non tamen obſervabilis. Etenim corpus ad certos morbos recipiendos diſponitur, qui actu erumpunt, accedentibus cauſis aliis, quemadmodum dudum oſtenderunt Medici & principiis phy-

ſicis

Digitized by Google

ſicis ac coſmologicis conforme eſt. Atque ea ratio eſt, cur ſubito morbi corripiant homines, quando omnium minime eos metuebant. Dudum a Medicis inter cauſas podagræ ira relata eſt. Qui cruciatus hujus morbi non ignorat, damnum, quod ira dare poteſt, in dubium minime vocabit. Artificioſa corporis machina non adeo ſimplicem habet conſtructionem, quemadmodum machinæ artificiales, quæ arte humana parantur; ſed conſtructio majorum ex continuo minoribus in infinitum abit, ita ut nequidem exquiſitiſſima microſcopia ad adæquatam ſtructuræ corporis humani notionem nos perducere poſſint. Structura igitur corrumpi poteſt in iis, quæ inobſervabilia ſunt. Conſtat autem naturam inobſervabilium multiplicatione producere effectus obſervabiles. Teſtis eſt ipſum corpus noſtrum, quod inſenſibilibus incrementis adolevit. Accedit, quod corruptiones etiam obſervabiles conſpectui noſtro ſubducantur, quia in organis interioribus contingunt. Quod damnum moribus detur ira, magis in aperto eſt & ex anterioribus ſatis conſtat. Accedit iratos, cum quaſi furore agitentur, vultum & geſtus inſanientium præ ſe ferre verbaque inconſiderata effundere: id quod hominem ſanæ mentis maxime dedecet. Ecquis enim laudi ſibi ducet furentium imitari mores atque ſermonem? Iram non nocere ei, cui iraſcimur, niſi quatenus ad vindictam procedit, per ſe manifeſtum eſt. In præſenti autem ea ab ira dividimus, quæ ad vindictam pertinent, atque ad odium, quod illam comitatur. Ceterum præſens propoſitio adverſus iram remedium eſt, quo ut utamur, ſequentem addere lubet propoſitionem.

§. 354.

Quoniam iratus ſibi magis nocet, quam ei, cui iraſcitur (§. 353.); *Qui iram præcavere vult, probe conſiderare debet damna, quæ ira dare poteſt, ſimulque perpendere, quam ſit abſurdum ſe tantis periculis exponere ejus cauſa, a quo ſe offenſum putat,* *Remedium adverſus iram præcipitem.*

& qui

& qui nullam inde moleſtiam percipit. Quodſi nimirum abſurditatem iræ ſatis ponderaveris eo tempore, quo ab omnium affectuum impetu liber erat animus, nec quicquam obſtabat, quo minus verum cernere poſſes; ubi ad iram provocaris, abſurditas iſta memoriam ſubiens attentionem in ſe trahet, ut animus a perceptione confuſa affectus genetrice ad notiones diſtinctas revocetur, ſicque vel impediatur, quo minus ira concitetur, vel hæc in ipſo ortu ſuffocetur. Cumque ad iram præcavendam plurimum faciat *præparatio ad futuros caſus* (§. 510. *part. 2. Eth.*); hæc *cum remedio præſenti conjungenda.*

Cum ira ſubito oriatur, fieri non poſſe videtur, ut præcaveatur, iraſcendi cauſa oblata. Ira concitatur opinione injuriæ nobis factæ, ſeu mali ex facto alterius nobis emergentis (§. 868. *Pſych. empir.*). Quamprimum iſtiusmodi factum nobis innoteſcit, ira ſubito incenditur animus. Quamobrem ea aliter non præcaveri poſſe videtur, niſi facto celato. Atque hoc remedio vulgo etiam utuntur, qui præcavere volunt, ne quis ad iram concitetur. Neque idem caret utilitate ſua, ſi ſuo loco adhibeatur, præſertim ſi quis facile iraſcitur. Enimvero remedio præſenti intenditur, ut cauſæ iræ detrahatur efficacia, ne iram concitare poſſit, aut ſaltem ut in ipſo ortu ſupprimatur. Utrumque remedium, quod offert propoſitio præſens, jam commendavimus, cum de ſedandis affectibus ageremus (§. 509. 510. *part. 2. Eth.*); ipſa autem experientia efficaciam utriusque commendat. Nemo eſt, qui abſurda vult, modo abſurditatis fuerit convictus, ut de ea nulla ipſi ſuperſit dubitatio. Abſurditas autem omnium optime agnoſcitur, ſi nihil obſtet, quo minus verum cernere poſſimus. Pervulgatum eſt, iram impedire animum, ne poſſit cernere verum. Quemadmodum itaque ira deflagrata agnoſcitur, quod ea non noceatur ei, cui iraſcimur, nec factum per eam infectum reddatur; ita quoque nullum dubium ſupereſt, quin idem agnoſcatur, ſi de eo ſerio cogitemus, quando nulla

nulla iraſcendi ratio adeſt. Iſtiusmodi autem meditationibus animus ad non iraſcendum diſponitur, quatenus ira efficitur averſabilis & non appetibilis. Averſamur nimirum iram propter noxitudinem & iraſcendi abſurditatem; non appetimus propter inutilitatem. Inutilis eſt ira, quia factum, ob quod iraſcimur, infectum reddi nequit, veluti ſi damnum datum effici nequit ne ſit datum, nec ira idem reparatur: abſurda eſt ira, quia tibi noces, non vero eadem ægre facis alteri. Noces ſanitati, noces tranquillitati animi, noces famæ, &, niſi fuerit ſine viribus ira, alter cui iraſcitur nullam inde ſentit moleſtiam, quam a metu vindictæ oriundam, qui tamen etiam absque ira locum habere poteſt. Immo ſi vel maxime conſtet, te vindictæ non eſſe cupidum, cum tamen depoſita cupidine vindictæ nondum tollatur puniendi voluntas, hæc ipſa non minus, quam ira, immo multo magis metum incutere poteſt offenſori, propterea quod ira deflagrata vindictæ cupido non modo deponi poteſt, verum etiam non ad tantum malum extenditur, quantum minabatur iratus. Aliter vero ſeſe res habet, ſi animo ſedato exigas damni dati reparationem, aut punitionem decernas, cum tunc malum lædenti, aut offendenti ſubeundum multo certius videatur.

§. 355.

Si quis ad vindictam fuerit proclivis, fiducia potentiæ ſe ulciſcendi iram cohibet, vel naſcentem in ipſo ortu ſupprimit. Qui enim ad vindictam proclivis eſt, cum vindictam vehementer appetat (§. 947. *part.* 1. *Jur. nat.*), inſignem ex ea voluptatem percipit (§. 156. *part.* 2. *Eth.*). Quodſi potentiæ ſe ulciſcendi ſibi fuerit conſcius & ultionis certitudo fiduciam gignit (§. 802. *Pſych. empir.*), quæ in gaudio ex ea orto conſiſtit (§. 796. *Pſych. empir.*); voluptas moleſtiæ ex injuria, aut offenſa oriundæ prædominatur (§. 614. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum affectus contrarii in eodem ſubjecto ſimul exiſtere ne- *De fiducia potentiæ ſe ulciſcendi.*

queant, quod per ſe patet, fiducia autem & ira affectus contrarii ſint (§. 442. *parth. 2. Eth.*); fiducia potentiæ ſe ulciſcendi, dum ad vindictam proclivis de eadem ſtatim cogitat, iram cohibet, vel naſcentem in ipſo ortu ſupprimit.

Si proclivitas ad vindictam iram cohibere, aut ſaltem reprimere debet, ne vires capiat, ad eam accedat neceſſe eſt fiducia potentiæ ſe ulciſcendi. Etenim ſi quis ſibi fuerit conſcius potentiæ ſe ulciſcendi, de ultione cogitatio ſtatim mentem ſubit, quamprimum ſe ab altero læſum, vel offenſum putat, aut ipſi narratur factum lædentis, vel offendentis. Vindicta igitur attentionem in ſe trahit, ut de injuria ſibi facta parum cogitet, cujus opinione concitatur ira. Quodſi dulcedinem vindictæ jam fuerit expertus, ejus memoria cupidinem vindictæ augens opinioni injuriæ efficientiam detrahit, aut eam ſaltem imminuit, ne ira vires capere poſſit. Quo major autem fuerit fiducia potentiæ ſe ulciſcendi, eo magis iræ reſiſtitur, ut vix naſcentiæ relinquatur locus. Quemadmodum vero proclivitas ad vindictam non ſolum naturalis eſt, ſed a vitiis quoque dependet; pro horum diverſitate cohibitionis, vel ſuppreſſionis efficientia nunc major, nunc minor eſt. Aſt in præſenti ea ſeponimus, quæ a vitiorum influxu ex accidente veniunt, quemadmodum etiam in aliis fecimus, ne labor præſens in nimium excreſceret. Sufficit itaque talia ſubinde monere, quibus excitatur attentio lectoris, ut in obſervationibus moralibus ſatis acutum ſe præbeat, nec non in applicatione eorum, quæ a nobis demonſtrantur, ſicque aptior evadat ad inſtituendam analyſin moralem actionum humanarum ad profectum in virtute adeo utilem.

§. 356.

An proclivitas ad vindictam ſtipa-

Proclivitas ad vindictam ſtipata fiducia potentiæ ſe ulciſcendi non eſt remedium licitum adverſus iram. Nemo hominum vindictæ cupidus eſſe debet (§. 948. *part. 1. Jur. nat*), conſequenter

ter nec operam dare licet, ut fiamus ad vindictam proclives, & a vindicta abſtinendum, quamvis ea fuerit in poteſtate noſtra. Quamvis itaque nemini iraſci debemus, quia nos offendit (§. 949. *part. 1. Jur. nat.*), & ſi quis ad vindictam fuerit proclivis fiducia potentiæ ſe ulciſcendi iram cohibet, aut naſcentem in ipſo ortu ſupprimit (§. 358.), non tamen ideo licet hoc modo iram cohibere, aut naſcentem in ipſo ortu ſupprimere, ideoque proclivitas ad vindictam ſtipata fiducia potentiæ ſe ulciſcendi non eſt remedium licitum adverſus iram. *ta fiducia potentiæ ſe ulciſcendi ſit remedium adverſus iram lici-tum.*

Iraſci offendenti lege naturæ prohibetur, quia ira deflagrata relinquitur odium erga offenſorem (§. 862. *Pſych. empir.*), & per ſe ad vindictam tendit (§. 872. *Pſych. empir.*), quemadmodum ex demonſtratione prohibitionis iræ patet (§. 949. *part. 1. Jur. nat.*). Cum ipſa igitur ira extingvendum eſt odium erga offenſorem, extingvenda eſt vindictæ cupiditas. Lex igitur naturæ permittere nequit, ut ipſa vindicta utamur tanquam remedio adverſus iram, quatenus nimirum inimici dolor eſt remedium doloris læſi. Videmus equidem ſubinde hominibus familiare eſſe hoc remedium adverſus iram: aſt cum haud raro contingat, ut plus ſperent de potentia ſua, quam in ea eſt, cura ſaltem palliativa eſt. Videntes enim ultionem, qua dolorem ſuum lenire voluerant, ſpem ſuam fefelliſſe, neque aliud fuiſſe effectum, quam ut ab adverſariis duriora tela adverſus ſe extorquerent; ira tanto acerbior concitatur, eademque deflagrata animus tanto majoribus moleſtiis torquetur, quo major fuerat fiducia potentiæ ſe ulciſcendi. Neque eſt, quod hoc miremur, cum nonniſi nocuam voluptatem pariat, quod legi naturæ contrariatur. Propoſitionem igitur præcedentem non alio fine in medium protulimus, quam ut inde ratio reddi poſſit, quod homines nonnulli, ſi vel maxime ſint amari (§. 955. *part. 1. Jur. nat.*), aut prorſus crudeles (§. 957. *part. 1. Jur. nat.*), non tamen

ira adeo incendantur, quemadmodum alii, qui vindictæ cupidinem facillime deponunt, utut ad iram maxime proclives.

§. 357.

Remedium proclivitatis ad iram.

Si quis non ante ſe offenſum exiſtimat, quam ſufficienter examinaverit, num alter ſibi male fecerit, & quo animo fecerit; ejus animus non facile ira incendetur adverſus alterum. Quodſi enim quis ſufficienter examinet, num alter ſibi male fecerit, & quo animo fecerit, conſequenter num ſciens ac volens hoc fecerit, an vero ſaltem culpa quadam commiſſa, & quænam ſit culpæ ſpecies; is non modo offenſam veram ab apparente, quæ in ſe nulla eſt (§. 936. *part. 1. Jur. nat.*), verum etiam culpoſam a doloſa diſtingvet (§. 938. *part. 1. Jur. nat.*), atque culpam facile excuſandam agnoſcet (§. 730. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque iræ locus non eſt, ſi quis agnoſcat, ex facto alterius non emergere malum, quod videbatur (§. 506. *part. 2. Eth.*), aut offenſam eſſe nullam (§. 507. *part. 2. Eth.*), aut culpa facile excuſanda alterum feciſſe, quod factum non eſſe mallemus (§. 508. *part. 2. Eth.*), affectus vero ſedantur, ideoque etiam naſcentes reprimuntur, ſeu in ipſo ortu ſuffocantur, ſi animus a perceptione confuſa affectus genetrice ad notiones diſtinctas revocatur (§. 434. *part. 2. Eth.*), qualibus opus eſt, ſi factum alterius ſufficienter examines; animus adverſus alterum non facile ira incendetur, ſi te non ante offenſum exiſtimes, quam ſufficienter examinaveris, num alter tibi male fecerit, & quo animo fecerit.

Iræ præcipitis remedium eſt avertere cauſam iræ. Naſcitur ira opinione offenſæ, ſeu injuriæ ſibi factæ (§. 862. *Pſych. empir.*). Præcavendum itaque, ne opinio iſta concipiatur, aut, ſi hoc impediri nequeat, curandum, ut ea in ſe cohibeat efficientiam naturalem. Utrumque obtinetur, ſi obſerventur, quæ in propoſitione præſente præcipiuntur. Ceſſat opinio inju-

injuriæ, ſi agnoſcitur, alterum ſibi non male feciſſe, aut ſaltem non habuiſſe animum male faciendi: opinio in ſe cohibet efficientiam iræ, ſi a perceptionibus confuſis ad notiones diſtinctas revocatur animus, & huc etiam facit, ſi culpa agnoſcitur facile excuſanda. Haud difficulter vero perſpicitur, hic ſupponi ſufficientem cognitionem eorum, quæ ad offenſas & injurias rite æſtimandas & ad culpam dijudicandam, nec non de hujus imputatione exacte ſtatuendum requiruntur. Artis etiam eſt, quamprimum factum alterius nobis quocunque modo innoteſcit, ſtatim animum ad examen ejus attendere, ne ira antevertat examen. Conducit ad hoc præparatio ad futuros caſus (§. 354.), qua nimirum obtinetur, ut naſcente ira animus revocetur ad examen, donec adſuetudo idem ſtatim in memoriam revocet, quamprimum de facto alterius cogitatur. Hæc quidem probe obſervanda ſunt, ne quis experimentum præcipitet veritatem propoſitionis præſentis in ſe experturus. Neque enim exiſtimandum eſt, patere experimentum in moralibus iis, qui nec doctrina ſufficiente inſtructi ſunt, nec habitus requiſitos acquiſiverunt. Quænam vero ſupponantur, aliunde non cognoſcuntur, quam ex ſyſtemate, in quo veritates morales cum ad theoriam, tum ad praxin ſpectantes continuo nexu copulatæ exhibentur, ut appareat, a quibusnam dependeant aliæ.

§. 358.

An indignatio repugnet manſuetudini.

Manſuetudini non repugnat, ut ei indignemur, qui nobis vel aliis injuriam fecit. Qui enim alteri indignatur, ex injuria ſibi, vel aliis ab eodem facta tædium percipit, a vindictæ tamen cupidine alienum habet animum (§. 873. *Pſych. empir.*). Et quamvis cum indignatione odium oriatur, idem tamen vires non capit, ſed potius ſtatim extingvitur (§. 878. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum manſuetudo iræ ita moderetur, ut animus a vindictæ cupiditate immunis præſtetur (§. 950. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter ne quis malum malo referre velit

 (§. 263.),

Digitized by Google

ira adeo incendantur, quemadmodum alii, qui vindictæ cupidinem faciliime deponunt, utut ad iram maxime proclives.

§. 357.

Remedium proclivitatis ad iram.

Si quis non ante ſe offenſum exiſtimat, quam ſufficienter examinaverit, num alter ſibi male fecerit, & quo animo fecerit; ejus animus non facile ira incendetur adverſus alterum. Quodſi enim quis ſufficienter examinet, num alter ſibi male fecerit, & quo animo fecerit, conſequenter num ſciens ac volens hoc fecerit, an vero ſaltem culpa quadam commiſſa, & quænam ſit culpæ ſpecies; is non modo offenſam veram ab apparente, quæ in ſe nulla eſt (§. 936. *part. 1. Jur. nat.*), verum etiam culpoſam a doloſa diſtingvet (§. 938. *part. 1. Jur. nat.*), atque culpam facile excuſandam agnoſcet (§. 730. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque iræ locus non eſt, ſi quis agnoſcat, ex facto alterius non emergere malum, quod videbatur (§. 506. *part. 2. Eth.*), aut offenſam eſſe nullam (§. 507. *part. 2. Eth.*), aut culpa facile excuſanda alterum feciſſe, quod factum non eſſe mallemus (§. 508. *part. 2. Eth.*), affectus vero ſedantur, ideoque etiam naſcentes reprimuntur, ſeu in ipſo ortu ſuffocantur, ſi animus a perceptione confuſa affectus genetrice ad notiones diſtinctas revocatur (§. 434 *part. 2. Eth.*), qualibus opus eſt, ſi factum alterius ſufficienter examines; animus adverſus alterum non facile ira incendetur, ſi te non ante offenſum exiſtimes, quam ſufficienter examinaveris, num alter tibi male fecerit, & quo animo fecerit.

Iræ præcipitis remedium eſt avertere cauſam iræ. Naſcitur ira opinione offenſæ, ſeu injuriæ ſibi factæ (§. 862. *Pſych. empir.*). Præcavendum itaque, ne opinio iſta concipiatur, aut, ſi hoc impediri nequeat, curandum, ut ea in ſe cohibeat efficientiam naturalem. Utrumque obtinetur, ſi obſerventur, quæ in propoſitione præſente præcipiuntur. Ceſſat opinio inju-

Digitized by Google

injuriæ, ſi agnoſcitur, alterum ſibi non male feciſſe, aut ſaltem non habuiſſe animum male faciendi: opinio in ſe cohibet efficientiam iræ, ſi a perceptionibus confuſis ad notiones diſtinctas revocatur animus, & huc etiam facit, ſi culpa agnoſcitur facile excuſanda. Haud difficulter vero perſpicitur, hic ſupponi ſufficientem cognitionem eorum, quæ ad offenſas & injurias rite æſtimandas & ad culpam dijudicandam, nec non de hujus imputatione exacte ſtatuendum requiruntur. Artis etiam eſt, quamprimum factum alterius nobis quocunque modo innoteſcit, ſtatim animum ad examen ejus attendere, ne ira antevertat examen. Conducit ad hoc præparatio ad futuros caſus (§. 354.), qua nimirum obtinetur, ut naſcente ira animus revocetur ad examen, donec adſuetudo idem ſtatim in memoriam revocet, quamprimum de facto alterius cogitatur. Hæc quidem probe obſervanda ſunt, ne quis experimentum præcipitet veritatem propoſitionis præſentis in ſe experturus. Neque enim exiſtimandum eſt, patere experimentum in moralibus iis, qui nec doctrina ſufficiente inſtructi ſunt, nec habitus requiſitos acquiſiverunt. Quænam vero ſupponantur, aliunde non cognoſcuntur, quam ex ſyſtemate, in quo veritates morales cum ad theoriam, tum ad praxin ſpectantes continuo nexu copulatæ exhibentur, ut appareat, a quibusnam dependeant aliæ.

§. 358.

An indignatio repugnet manſuetudini.

Manſuetudini non repugnat, ut ei indignemur, qui nobis vel aliis injuriam fecit. Qui enim alteri indignatur, ex injuria ſibi, vel aliis ab eodem facta tædium percipit, a vindictæ tamen cupidine alienum habet animum (§. 873. *Pſych. empir.*). Et quamvis cum indignatione odium oriatur, idem tamen vires non capit, ſed potius ſtatim extingvitur (§. 878. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum manſuetudo iræ ita moderetur, ut animus a vindictæ cupiditate immunis præſtetur (§. 950. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter ne quis malum malo referre velit

(§. 263.), indignatio vero ſaltem tendat ad factum injuriam facientis improbandum, vel, niſi deſit occaſio, idem ipſi exprobandum, atque ad fugiendum commercium cum eo, qui injuriam fecit, ſi verendum, ne denuo injuriam faciat (§. 425. *part. 2. Eth.*); manſuetudini non repugnat, ut ei indignemur, qui nobis, vel aliis injuriam fecit.

Indignatio iræ affinis eſt, ac ideo cum hac confundi quoque ſolet. Differt autem non tantummodo gradu, quæ differentia patet etiam iis, qui in notionibus iræ atque indignationis confuſis acquieſcunt; verum etiam intrinſeca determinatione, quæ vindictæ cupido eſt, & ſine qua ira non concipitur, utpote ad vindictam tendens (§. 422. 589. *part. 2. Eth.*), & ira in indignationem abit, quando iratus ad ſe rediens animum attendit ad rationes, quæ ipſum a cupiditate vindictæ revocant. Quamvis itaque nemini iraſci debemus, quia nos offendit (§. 949. *part. 1. Jur. nat.*); indignari tamen licet eum, qui injuriam nobis, vel aliis facit. Quodſi indignatio in eo ſenſu accipiatur, quem eidem tribuimus, nihil in ea continetur, quod legi naturæ, conſequenter virtuti adverſetur (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Injuriæ cum ſint lege naturæ prohibitæ (§. 911. *part. 1. Jur. nat.*), odio recte habentur, improbantur & exprobrantur, earumque vitandarum cauſa recte fugimus commercium eorum, qui aliis injurias facere non verentur (§. 368. *part. 1. Phil. pract. univ.*)

§. 359.

An indignatio contineat odium perſonæ.

Qui perſonæ ob injuriam ſibi factam indignatur, non perſonam odit, ſed vitium ſeu factum injurioſum. Quoniam enim indignatio cupiditatem vindictæ excludit (§. 873. *Pſych. empir.*); qui vero habet animum vindictæ cupidum tædium, ſive dolorem ejus appetit, qui ipſum offendit (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*); qui perſonæ ob injuriam ſibi factam indignatur tædium, ſive dolorem ejus minime appetit. Enimvero alterum minime odit,

Digitized by Google

odit, qui tædium ejus non appetit (§. 669. *Pſych. empir.*). Quamobrem qui perſonæ ob injuriam ſibi factam indignatur, perſonam minime odit. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam indignatio tendit ad factum injuriam facientis improbandum, vel, niſi deſit occaſio, idem ipſi exprobrandum (§. 425. *part. 2. Eth.*), indignans alteri ob injuriam ſibi factam a ſperſona, quam non odit, *per demonſtratam.* 1. factum dividit. Et quoniam ex injuria ab altero ſibi facta tædium, ſeu moleſtiam percipit (§. 873. *Pſych. empir.*), illud vero odimus, ex quo tædium percipimus (§. 679. *Pſych. empir.*); factum injurioſum, ideoque & vitium, ex quo proficiſcitur, odit. *Quod erat alterum.*

Ira odium perſonæ continet, indignatio odium facti. Quodſi enim adhuc ſuperſit aliquod odium perſonæ, etſi omnis abſit vindictæ cupido, indignatio adhuc labem contrahit ab ira. Vindictæ cupido maxime iram aſperat, quæ cum ab indignatione exulet, hæc quoque non adeo impetuoſa eſt, ſicuti ira, conſequenter quæ de iræ noxitudine dicta ſunt (§. 353.), ad indignationem minime trahenda. Fert equidem indignatio quandam ſeveritatem, quam gignit magnitudo odii facti, & quam prodit facti exprobratio & deteſtatio; ſed ea ipſo ſenſu differt ab iræ impetu, qui a magnitudine cupiditatis vindictæ pendet. Conſpicitur hæc ſeveritas, ſi factum, aut vitium, quod odimus, in ſe ſpectatur, absque reſpectu ad certam perſonam, ut, quemadmodum rebus quoque inanimatis iraſcimur, ita quoque ipſi vitio indignemur. Quoniam factum a perſona dividere admodum difficile eſt (§.293.); ideo indignatio in iram facile convertitur, & difficillimum omnino eſt, indignationem ſervare ab omni labe immunem, ut nihil prorſus vitii vel a vindictæ cupiditate, vel ab odio contrahat. Quando vero ea manſuetudini repugnare nullatenus debet, ab omni labe immunis ſit neceſſe eſt. Ceterum ſi dicimus, nos odiſſe impios, vel vitio cuidam certo deditos; in ſenſu morali, qui legi

legi naturæ conformis eſſe debet, admittenda eſt fictio, qua individuum morale dividitur ab individuo phyſico, ita ut odium reſtringatur ad ſubjectum, cui ineſt vitium, non vero extendatur ad hominem qua hominem. Satis ea elucet ex ipſo effectu. Non male cupimus homini qua homini, cujus vitium odimus; ſed cum odium tendat ad delendum vitium, ſeu deſtruendum individuum morale, cui id inhæret (§. 311. *part.* 2. *Eth.*), male quaſi cupimus individuo morali. Eo ipſo autem dum huic male cupimus, individuo phyſico bene cupimus, quatenus intenditur ejus a vitio liberatio, quod dum odimus, revera tædium percipimus ex eo, quod ipſi tædia creare poteſt, habentes animum diſpoſitum ad voluptatem ex felicitate ejus percipiendum, in qua diſpoſitione amor conſiſtit (§. 633. *Pſych. empir.*). Itaque individuum phyſicum revera amamus, dum morale odimus. Si cui hæc paradoxa videntur, aut prorſus abſurda; is ea conſideret, quæ de homine morali diximus (§. 70. & *ſeqq. part.* 1. *Jur. nat.*), & perpendat, quam ſit neceſſe, ut tam in Jure naturæ, quam in Philoſophia morali & civili perſonæ morales ab individuis phyſicis diſtingvantur non minus in explicandis juribus, quam officiis certarum perſonarum. Immo ipſa ſcriptura perſonam moralem ab individuo phyſico diſtingvit, quando de vetere ac novo homine loquitur, & quæ de utroque dicuntur, vi eorum, quæ hic diximus, intimius perſpiciuntur. Neceſſe autem eſt, ut perſonam moralem ab individuo phyſico dividere adſueſcamus, ſi factum odiſſe, facientem vero amare debeamus, ut ſine hac fictione amor univerſalis ſubſiſtere nequeat, qui ad hominem quemcunque, ipſos etiam inimicos extenditur.

§. 360.

Undenam indignatio ab ira diſcernatur.

Quoniam qui perſonam ob injuriam ſibi factam indignatur, perſonam non odit (§. 359.), qui vero tædium alterius appetit, conſequenter cupit, ut mala quæcunque ipſi eve-

eveniant (§. 569. *Pſych. empir.*), eum odit (§. 669. *Pſych. empir.*); *Qui mala injuriam facienti imprecatur, aut ſaltem in votis habet, ut ipſi eveniant, vel etiam delectatur iisdem ſi evenerint, is injuriam facienti non indignatur, ſed iraſcitur, utut ira non multas vires capiat.*

Diximus jam ante, indignationem iræ eſſe adeo affinem, ut illa cum hac facile confundatur (*not.* §. 358.). Quamobrem cum omnis ira illicita ſit (§. 949. *part.* 7. *Jur. nat.*), indignatio autem manſuetudini minime repugnet (§. 356.); neceſſe eſt, ut indignationem ab ira diſcernere diſcamus. Ab ira removendum eſt, quicquid cupidinem vindictæ, vel odium ſapit, ut affectus ſit indignatio. Nihil hujus ſupereſſe agnoſcimus, ſi nullatenus alteri male cupimus, ſed potius bona apprecamur & ut mala avertantur optamus.

§. 361.

Qui manſuetus eſt, in defenſione famæ ſuæ modeſtus eſt. Qui enim manſuetus eſt, quantum fieri poteſt cavet, ne in defenſione famæ ſuæ alterius famæ adverſa propalet (§. 269.), a convitiis ſeſe abſtinet (§. 273.), modo quippe famam defendendi minus apto (§. 272.), immo quantum in poteſtate ſua eſt (§. 276. *part.* 1. *Jur. nat.*), non patitur, ut per alios fama ſua convitiis defendatur (§. 275.), &, ſi famæ ſuæ defendendæ cauſa quædam proferre tenetur, quæ famæ alterius quodammodo adverſa ſunt, omnem ſuſpicionem animi convitiandi a ſe amoturus dictis, quorum falſitatem, factis, quorum qualitatem oſtendit, ne nomina quidem ſua addit (§. 277.). Quamobrem cum hominis modeſti ſit aliis non invidere laudem ſive meritam, ſive immeritam (§. 487. *part.* 4. *Eth.*), ideoque multo magis non lædere, aut lacerare famam alterius quaſi ſuæ ſervandæ cauſa (§. 867. *part.* 1. *Jur. nat.*); qui manſuetus eſt, in defenſione famæ ſuæ modeſtus eſt. *De nexu manſuetudinis cum modeſtia.*

Digitized by Google

Patet itaque nexus manſuetudinis cum modeſtia, quæ ſi cum illa conjungatur, minime verendum, ne in defenſione verbali famæ ſuæ modus excedatur. Nec eſt, quod excipias alterum priorem famam tuam læſiſſe, aut laudi tuæ detraxiſſe: neque enim tibi hoc facere licet, etiam ſi alter prior hoc fecerit (§. 872. *part.* 1. *Jur. nat.*), talione manſuetudini repugnante (§. 264). Ideo & Petrus ad manſuetudinem refert non reddere maledictum pro maledicto 1. Petr. III. 8. & dum Chriſti exemplum nobis imitandum proponit, eundem non male dixiſſe dicit, cum male diceretur, *v.* 23. Multo magis autem manſuetudini repugnat & ab omni modeſtia alienum eſt, ſi quis conviciis laceſſit alterum, aut famam ejus lacerat, qui nullis conviciis ipſum laceſſit, nec ullo modo famam ipſius læſit: major enim hujus eſt malitia, quam alterius, quem dolor ex læſione famæ ſuæ perceptus quodammodo excuſat, aut præconcepta de jure talionis opinio. Nolumus hic dicere de iis, qui nulla urgente neceſſitate, ſe liti alienæ immiſcent, ut alios, a quibus offenſi non ſunt, ludibrio habere atque aliis deridendos propinare poſſint. De hiſce enim rectius dicetur, quando de comitate acturi ſumus.

§. 362.

De virtutibus theologicis in manſuetudinem influentibus.

In manſuetudinem influit obedientia erga Deum, & acquieſcentia in providentia ipſius una cum fiducia. Qui enim manſuetus eſt, omnem vindictæ cupidinem deponit (§. 950. *part.* 1. *Jur. nat.*), quemadmodum lege naturali præcipitur (§. 948. *part.* 1. *Jur. nat.*), nec in defenſione ſui ac famæ ſuæ plus juris ſibi arrogat, quam lege naturæ permittitur, & quod cum animo ab omni vindictæ cupidine alieno conſiſtere poteſt (§. 268. & *ſeqq.*). Quoniam itaque nil facit, quod voluntati divinæ contrarium (§. 278. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), qui vero actiones ſuas voluntati divinæ convenienter determinat, Deo obedientem ſe præbet (§. 1164. *part.* 1. *Jur. nat.*); in manſuetudinem obedientia erga Deum influit. *Quod erat primum.*

Quo-

Porro qui manſuetus eſt, in punitione non plus ſibi licitum ſumit, quam lege naturali permittitur, nec alium habet animum, quam quem lex naturæ urget (§. 284. & *ſeqq.*), pro certo habens, quicquid a Deo permittitur in hoc universo, id recte ab eo fieri, huicque judicio convenienter appetitum & averſationem moderans. Enimvero qui pro certo habet, quicquid a Deo permittitur in hoc universo, id recte ab eo fieri, huicque judicio convenienter appetitum & averſationem moderatur, in providentia divina acquieſcit (§. 1199. *part. 1. Jur. nat.*). In manſuetudinem igitur acquieſcentia in providentia divina influit. *Quod erat ſecundum.*

Quia denique qui manſuetus eſt, non minus in defenſione ſui ac famæ ſuæ, quam in punitione, non plus ſibi juris ſumit, quam lege naturali, conſequenter a Deo (§. 273. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ſibi permiſſum eſt, cetera vera omnia providentiæ divinæ committit, *per demonſtrata n. 1. & 2.* qui vero ea, quæ in poteſtate ſua non ſunt, providentiæ divinæ relinquit, Deo confidit (§. 1186. *part. 1. Jur. nat.*), certus nimirum, quomodocunque in poſterum cadant res ſuæ, ſemper eventurum, quod ex parte ſua melius (§. 411. *part. 3. Eth.*), nec judicium ſibi ſumens de eo, quod ſibi bonum eſt (§. 412. *part. 3. Eth.*); in manſuetudinem fiducia quoque in Deo influit. *Quod erat tertium.*

Supponimus nimirum, qui manſuetudini ſtudet, eundem quoque operam dare virtutibus, quibus praxis officiorum erga Deum continetur, & quas brevitatis cauſa communi nomine virtutes theologicas dicimus. Atque ideo dicimus in manſuetudinem influere obedientiam erga Deum, acquieſcentiam in providentia ipſius & fiduciam in eo, non vero haſce virtutes in eam influere ſaltem poſſe. Quodſi manſuetudo nulla ex parte deficere debet, neceſſe eſt ut hæ virtutes in eam influant, quemadmodum ex demonſtratione ſatis patet.

Quamobrem vix ac ne vix quidem concipitur animus ab omni vindictæ cupidine alienus, qualem manſuetudo exigit, niſi virtutes iſtæ ſupponantur. Et, ſi vel maxime de Deo non cogitet qui manſuetus eſt, quando huic virtuti locum facit caſus emergens, immo ſi prorſus ponamus manſuetum eſſe, qui Deum ignorat, nec quomodo ſit colendus agnoſcit; in manſuetudinem tamen tacite influit obedientia erga Deum quatenus obligationi naturali ſatisfacere vult, acquieſcentia in providentia divina, quatenus patienter fert omnes injurias, quas avertere in poteſtate ſua non eſt, & fiducia in Deo, quatenus non dubitat, quæ ſibi adverſa contingunt ea in ſalutem ſuam abitura. Habet nimirum animum diſpoſitum ad obediendum Deo, ad acquieſcendum in providentia ipſius & ad fiduciam in eo collocandam. Quantumcunque autem difficilis videatur manſuetudo, iſtis tamen virtutibus facilis efficitur.

CAPUT V.

De Liberalitate, Miſericordia & Animo grato.

§. 363.

Objectum liberalitatis. *Liberalitas verſatur circa dationes gratuitas.* Liberalitas enim virtus eſt, qua ad benefacia, quæ in dando conſiſtunt, aliis exhibenda parati ſumus (§. 249. *part. 4. Jur. nat.*). Exhibentur autem beneficia gratis (§. 19. *part. 4. Jur. nat.*). Liberalitas itaque verſatur circa dationes gratuitas.

Monuimus jam alias, *Ariſtotelem* vocabulum accipere in ſignificatu multo latiori, atque rationem reddidimus, cur ſtrictiorem eidem tribuere voluerimus (*not.* §. 249. *part. 4. Jur. nat.*). Hoc tamen non obſtante ad liberalitatem referendæ ſunt dationes complures, ob quas vulgo quis non dicitur libe-

liberalis ſicuti ex adverſo ad eandem etiam adſcribuntur, quæ eidem minime conveniunt. Aſt in Moralibus non attenditur vagus loquendi uſus, ſed ſtricte inhærendum eſſe fixo & determinato ſignificatui, ut actus virtutis accurate dividantur ab iis, qui vitii cujusdam labe infecti ſunt.

§. 364.

Quoniam liberalitas verſatur circa dationes gratuitas (§. 363.), dari autem poſſunt res tam corporales, quam incorporales, uſus rei tam nudus, quam cum fructu conjunctus, & pecunia (§. 10. *part. 4. Jur. nat.*); *Qui liberalis eſt, gratis dat vel pecuniam, vel quidpiam pecunia æſtimabile.* *Quænam dentur a liberali.*

Relegenda ſunt, quæ alias de datione uſus rei annotavimus (*not.* §. 10. *part. 4. Jur. nat.*). Res appetimus propter uſum, quem habere poſſunt, qualiscunque tandem is fuerit, & pecunia res quævis comparantur, ideoque perinde eſt, ſive detur res, ſive pecunia, qua eadem comparari poteſt: immo ſi ponamus rem, quæ tibi datur, nulli tuo uſui inſervire, cum pro ea pecuniam accipere queas, qua alia tibi utilis comparari poteſt, perinde omnino eſt, ac ſi pecunia, vel res tibi utilis data fuiſſet. Sunt omnino in his, quæ non iterato, aut ſæpius dari poſſunt, veluti ſi cuidam gratis concedas uſumfructum horti, vel agri tui. Quamvis itaque ex unico iſtiusmodi actu non colligatur liberalitas; hoc tamen non obſtat, quo minus ad actus liberalitatis referri poſſit, modo a lege naturæ nullatenus diſſentiat. Ponamus e. gr. ſtudioſo egeno concedi uſumfructum agri, ut ſumtus ſtudiorum ſuſtentare poſſit. Hic manifeſtum eſt, perinde eſſe ſive ſumtuum in ſtudia faciendorum cauſa detur pecunia, ſive uſusfructus agri gratis concedatur, qui tertio cuidam pro pecunia locari poteſt. Quemadmodum itaque liberalis eſt, ſi quis mercedem, quam accipit pro agro locato, dat ſtudioſo; ita non minus liberalis dicendus, qui eidem dat uſumfructum agri ſui. Similiter qui alteri gratis dat uſum pecuniæ ſuæ, pro quo uſuras ab alio

recipere poterat; cum tantundem ipſi gratis dediſſe cenſendus ſit, quantum valent uſuræ, nonne perinde eſt ac ſi tantum pecuniæ ipſi gratis dediſſet, aut rem quamcunque aliam, quæ tanti æſtimatur. Velim hæc paulo curatius perpendantur, ut actus ad liberalitatem referendi agnoſcantur.

§. 365.

De norma actuum liberalitatis.

Similiter quia liberalitas verſatur circa dationes gratuitas (§. 363.), datio autem gratuita donatio eſt, quodque gratis datur, donum, ſive munus (§. 48. *part. 4. Jur. nat.*); *liberalitas*, quæ eſt virtus (§. 249. *part. 4. Jur. nat.*), ideoque habitus legi naturæ convenienter determinandi actiones ſuas (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *verſatur circa dona, & regit donationes legi naturæ convenienter.*

Cum objectum liberalitatis proprie ſint dona, aut, ſi mavis, donationes; inde intelligitur, nec a communibus notionibus prorſus abhorrere, ut uſus pecuniæ absque uſuris, vel uſusfructus agri gratis datus, aliique illiusmodi actus ad liberalitatem referantur. Sane remiſſio uſurarum debitarum, vel mercedis pro agro locato debitæ, vel reſtitutionis rei commodatæ, vel reparationis damni dati aliorumque iſtiusmodi debitorum ſaltem vernaculo nobis ſermone donatio appellatur.

§. 366.

Quænam ad liberalitatem cognitu neceſſaria.

Quoniam liberalitas donationes, ſeu dationes gratuitas (§. 48. *part. 4. Jur. nat.*), regit legi naturæ convenienter (§. 365.); *Qui liberalis eſſe vult, ante omnia ſibi cognita atque perſpecta reddere debet, quæ lex naturæ tam de præſtationibus gratuitis in genere, quam de dationibus gratuitis in ſpecie præcipit* (§. 23. & ſeqq. part. 4. Jur. nat.), *ut ſciat, quibus dare debeat, quantum, quo fine & quo animo.*

Non

Non ſufficit gratis dare, ut ſis liberalis; verum etiam neceſſe eſt, ut recte detur, quod datur. Si vero in modo dandi nihil deſiderari debet, neceſſe eſt, ut conſtet, cuinam quid gratis dandum, determinanda quoque eſt juſta quantitas, ne vel exceſſus, vel defectus in dando committatur, dandum eſt propter finem honeſtum, dandum denique eo animo, qui liberalitati convenit. Horum omnium norma eſt lex naturæ, a qua ſi recedatur, actus a vitio quodam labem contrahit, conſequenter nec amplius ad liberalitatem referri poteſt. Hæc vero obſervanda ſunt non ſolum ei, qui dat; verum etiam ab iis, qui de liberalitate alterius judicium ſibi ſumunt, ne laudetur, quod vituperandum.

§. 367.

Liberalitatis eſt dona dare iis, qui iisdem indigent ad uſus honeſtos; iis, qui meliore fortuna digni ſunt, ad vitæ commoditatem, aut jucunditatem; iis, qui præclara quædam fecerunt inſtar præmii; iis denique, qui bene de nobis meriti ſunt. *Quibusnam munera danda.* Quoniam liberalitas regit donationes, ſeu dationes gratuitas (§. 48. *part. 4. Jur. nat.*), legi naturæ convenienter (§. 365.); ejus eſt dona dare iis, quos lex naturæ commendat. Quamobrem cum uſus honeſtus ſit, qui legi naturæ convenit (§. 171. *part. 1. Phil. pract. univ.*), beneficia vero, conſequenter munera (§. 56. *part. 4. Jur. nat.*), merentur, qui iisdem indigent (§. 30. *part. 4. Jur. nat.*) ad ſe vel ſtatum ſuum perficiendum (§. 234. *part. 1. Phil. pract. univ.*); liberalitatis omnino eſt, dona, ſive munera dare iis, qui iisdem indigent ad honeſtos uſus. *Quod erat primum.*

Legi naturæ convenit donatio, qua dantur iis, quibus equidem non deſunt, quæ ad vitæ neceſſitatem neceſſaria, deſunt tamen quæ ad vitæ commoditatem, aut jucunditatem faciunt, qui tamen fortuna meliore digni ſunt, ad vitæ com-

commoditatem, vel jucunditatem facientia (§. 112. *part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem etiam liberalitatis eſt dare munera iis, qui meliore fortuna digni ſunt, ad commoditatem, vel jucunditatem vitæ requiſita. *Quod erat ſecundum.*

Similiter lege naturali homines obligantur ad commune bonum conjunctis viribus promovendum (§. 221. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter cum præmia ſint motiva actionum committendarum (§. 296. *part. 1. Phil. pract. univ.*), legi naturæ conſentaneum eſt, ut ad commune bonum promovendum præmiis incitentur, qui præclara præſtare poſſunt. Liberalitatis igitur quoque eſt inſtar præmii munera dare iis, qui præclara quædam fecerunt. *Quod erat tertium.*

Denique qui bene de nobis meriti ſunt, bonum noſtrum pro virili promoverunt. Quamobrem cum bono bonum referre debeamus (§. 806. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter ei, qui nobis extitit cauſa boni, viciſſim exiſtere cauſa boni, quia ipſe extitit (§. 797. *part. 1. Jur. nat.*); liberalitatis utique eſt dona dare iis, qui bene de nobis meriti ſunt. *Quod erat quartum.*

Etſi liberalitatis ſit dare munera; non tamen liberalitatis eſt dare munera cuicunque volueris, ſed nonniſi merentibus. De merito autem ſtatuere pro lubitu permiſſum non eſt: ſtatuendum de eo ex principiis legis naturæ, quæ regit actus omnes ſicuti virtutis cujuslibet, ita etiam liberalitatis. In præſenti itaque propoſitione oſtendimus, quinam ſint illi, qui munera merentur. Conditiones meriti equidem admodum generales ſunt; attamen ſufficiunt, ut in caſibus emergentibus particulares ad eas reducantur, nec facile aberretur, quando de merito ſtatuendum, modo omnes circumſtantiæ caſus emergentis nobis fuerint perſpectæ. Conditiones meritorum, quas hic definimus, latiſſime omnino patent; ſi cui tamen viſum fuerit ad particulares deſcendere, nos minime refragamur,

mur, immo ſi putet, nos quædam prætermiſiſſe, defectum ſuppleat. Nobis ſufficit nihil aſſeruiſſe, quod ſit a veritate alienum. Uſus honeſtus cum æſtimandus ſit ex lege naturæ, latiſſime omnino patet. Qui enim munere utitur ad ſatisfaciendum obligationi cuidam naturali, aut ad actum quendam jure naturali permiſſum, munus impendit in uſum honeſtum. Ita datur ad uſum honeſtum, ſi quis ſtudioſo egeno ſuppeditat ſumtus ſtudiorum, qui ſublevat minus opulentum in faciendis ſumtibus in educationem liberorum, ſi ſolvit didactrum pro inſtitutione liberorum pauperum, qui ſtudioſis pauperioribus donat libros, quibus opus habent & quos non commode ſuo ſumtu ſibi comparare poſſunt, qui ipſis honorarium ſolvendum pro inſtitutione remittit, qui medicamenta gratis dat ægrotis egenis, qui ei, cui ſunt vires & animus in uſum generis humani præclare quid præſtandi, deſunt tamen ſumtus ad propoſitum exequendum, ad hos requiſitos ſumtus ſuppeditat, & quæ ſunt innumera alia iſtiusmodi. Fortuna cæca eſt, nec pro merito diſtribuit bona ſua. Alii ea merentur, alii habent. Merentur omnino, qui honeſte vivunt & perſonam ſibi impoſitam bene ac recte gerunt. Quamobrem cum ad vitam commode ac jucunde tranſigendam opus ſit pecunia, aut rebus pecunia æſtimabilibus; ecquis dubitet, laudandum eſſe eum, qui liberalitate ſua commoditati, vel jucunditati vitæ illorum proſpicit? Obſervandum hic ſaltem eſt, ne de commoditate ac jucunditate vitæ aliter ſtatuatur, quam juri naturæ convenit (§. 465. 470. *part. 1. Jur. nat.*). Et quis dubitet, ad liberalitatem quoque pertinere, ut dentur munera ad vitam commode ac jucunde tranſigendam merentibus, cum ipſa lex naturæ nos obliget, ut lubenter conferamus ad commoditatem ac jucunditatem aliorum, quod in poteſtate noſtra eſt (§. 645. *part. 1. Jur. nat.*)? Intereſt Reip. intereſt generis humani, ut præclara faciant, quibus natura ac fortuna conceſſit vires. Quamobrem illos, quibus conceſſit opes, muneribus ſuis eos juvare, aut, ſi absque hoc auxilio præſtiterint, quod poterant, eos remunerari & ad plu-

plura præſtanda eos incitare, tum etiam alios permovere, ut exemplo ipſorum ſe addant, liberalitati maxime convenit. Quemadmodum gloria homines ſtimulat ad præclara facienda, ita quoque munera, quæ gloriam demonſtrant. Bene de nobis mereri poſſunt alii modis longe plurimis, tum in bonis promovendis, tum in malis avertendis. Ita bene de nobis merentur educatores, præceptores, paſtores Eccleſiæ, qui munere ſuo rite funguntur; bene merentur, qui incendium fatale ab ædibus noſtris, aut periculum mortis, in quod incidimus, a nobis avertunt; bene meretur medicus, qui ſalutaribus conſiliis nos a morbo liberat. Qui cognoſcere voluerit, quinam de ſe bene meriti fuerint; animum ſaltem attendere debet ad bona, quæ aliorum ope conſecutus fuit, & ad mala, quæ a ſe averſa fuerunt. Atque hinc patebit, quam amplum ſit aliorum de ſe meritum. Quodſi quis pauca hæc, quæ ad propoſitionem præſentem annotavimus, perpenderit, abunde perſpiciet, quam amplus ſit liberalitatis exercendæ campus, quamvis arbitrium noſtrum reſtringatur ad eos caſus, quos in propoſitione enumeravimus.

§. 368.

Quinam dare munus liberalitati adverſetur.

Quoniam liberalis eſt, qui alteri dat munus, quo indiget ad bonum uſum, aut inſtar præmii ob præclarum factum (§. 367.); ex adverſo *ad liberalitatem adſcribendum non eſt ſi cuidam detur munus, ut id impendat in uſum malum, vel inſtar præmii ob factum malum, ſive inboneſtum.*

Poterat idem inde quoque oſtendi, quod donatio illicita ſit, quando donans quid facit, quod obligationi cuidam naturali repugnat (§. 128. *part. 4. Jur. nat.*). Nemo enim alterum quomodocunque ad vitia ſeducere (§. 711. *part. 1. Jur. nat.*), neque id agere debet, ut alter in vitio quodam perſeveret (§. 713. *part. 1. Jur. nat.*). Ita liberalis non eſt, qui pro aliis ſolvit mercedem meretriciam, aut qui ſplendida munera offert puellæ, quæ ad libidinem ſuam explendam ſe

faci-

Digitized by Google

facilem præbet. Idem eſto judicium de eo, qui largo munere remuneratur defenſorem cauſæ ſuæ ſive bonæ, ſive malæ, propterea quod adverſarium ſuum depexum reddidit, convitia in ipſum effudit, eundemque deridendum aliis propinavit.

§. 369.

Datio muneris ob cauſam inhoneſtam ad prodigalitatem referenda. Quoniam enim cauſa inhoneſta legi naturæ repugnat (§. 171. *part. 1. Phil. pract. univ.*), datio muneris ob cauſam inhoneſtam obligationi naturali contraria (§. 141. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter illicita eſt (§. 128. *part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem plures facit expenſas, quam quas officium aliquod erga ſeipſum, vel alios exigit. Quoniam itaque prodigus eſt, qui plures facit expenſas, quam quas officium aliquod erga ſeipſum, vel alios exigit (§. 385. *part. 4. Jur. nat.*); datio muneris ob cauſam inhoneſtam ad prodigalitatem adſcribenda. *Quo referenda datio muneris ob cauſam inhoneſtam.*

Cauſa, quam inhoneſtam vocamus, dici quoque ſuevit cauſa turpis. Demonſtrationis autem gratia inhoneſtam appellare maluimus. Non vero paradoxum videri debet dationem muneris ob cauſam turpem ad prodigalitatem referri. Etenim expenſæ omnes, quas omittere tenemur, ad prodigalitatem referendæ ſunt: non alio enim fine pecuniam erogare debemus, quam ut ſatisfaciamus obligationi cuidam naturali (§. 379. *part. 4. Jur. nat.*). Perinde autem eſt ſive detur pecunia, ſive res, quemadmodum ex antea dictis palam eſt. Neque alium licet facere juris donandi uſum, quam quem officia exigunt (§. 131. *part. 4. Jur. nat.*). Exercitium vero juris donandi liberalitatis eſt.

§. 370.

Ne actus liberalitatis ab actibus prodigalitatis accurate diſcernantur, præconcepta obſtat opinio, quaſi in diſpoſitione de rebus ſuis *Cur actus liberalitatis*

 unice

plura præſtanda eos incitare, tum etiam alios permovere, ut exemplo ipſorum ſe addant, liberalitati maxime convenit. Quemadmodum gloria homines ſtimulat ad præclara facienda, ita quoque munera, quæ gloriam demonſtrant. Bene de nobis mereri poſſunt alii modis longe plurimis, tum in bonis promovendis, tum in malis avertendis. Ita bene de nobis merentur educatores, præceptores, paſtores Eccleſiæ, qui munere ſuo rite funguntur; bene merentur, qui incendium fatale ab ædibus noſtris, aut periculum mortis, in quod incidimus, a nobis avertunt; bene meretur medicus, qui ſalutaribus conſiliis nos a morbo liberat. Qui cognoſcere voluerit, quinam de ſe bene meriti fuerint; animum ſaltem attendere debet ad bona, quæ aliorum ope conſecutus fuit, & ad mala, quæ a ſe averſa fuerunt. Atque hinc patebit, quam amplum ſit aliorum de ſe meritum. Quodſi quis pauca hæc, quæ ad propoſitionem præſentem annotavimus, perpenderit, abunde perſpiciet, quam amplus ſit liberalitatis exercendæ campus, quamvis arbitrium noſtrum reſtringatur ad eos caſus, quos in propoſitione enumeravimus.

§. 368.

Quinam dare munus liberalitati adverſetur.

Quoniam liberalis eſt, qui alteri dat munus, quo indiget ad bonum uſum, aut inſtar præmii ob præclarum factum (§. 367.); ex adverſo *ad liberalitatem adſcribendum non eſt ſi cuidam detur munus, ut id impendat in uſum malum, vel inſtar præmii ob factum malum, ſive inhoneſtum.*

Poterat idem inde quoque oſtendi, quod donatio illicita ſit, quando donans quid facit, quod obligationi cuidam naturali repugnat (§. 128. *part. 4. Jur. nat.*). Nemo enim alterum quomodocunque ad vitia ſeducere (§. 711. *part. 1. Jur. nat.*), neque id agere debet, ut alter in vitio quodam perſeveret (§. 713. *part. 1. Jur. nat.*). Ita liberalis non eſt, qui pro aliis ſolvit mercedem meretriciam, aut qui ſplendida munera offert puellæ, quæ ad libidinem ſuam explendam ſe faci-

facilem præbet. Idem eſto judicium de eo, qui largo munere remuneratur defenſorem cauſæ ſuæ ſive bonæ, ſive malæ, propterea quod adverſarium ſuum depexum reddidit, convitia in ipſum effudit, eundemque deridendum aliis propinavit.

§. 369.

Datio muneris ob cauſam inhoneſtam ad prodigalitatem referenda. Quoniam enim cauſa inhoneſta legi naturæ repugnat (§. 171. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), datio muneris ob cauſam inhoneſtam obligationi naturali contraria (§. 141. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter illicita eſt (§. 128. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quamobrem plures facit expenſas, quam quas officium aliquod erga ſeipſum, vel alios exigit. Quoniam itaque prodigus eſt, qui plures facit expenſas, quam quas officium aliquod erga ſeipſum, vel alios exigit (§. 385. *part.* 4. *Jur. nat.*); datio muneris ob cauſam inhoneſtam ad prodigalitatem adſcribenda.

Quo referenda datio muneris ob cauſam inhoneſtam.

Cauſa, quam inhoneſtam vocamus, dici quoque ſuevit cauſa turpis. Demonſtrationis autem gratia inhoneſtam appellare maluimus. Non vero paradoxum videri debet dationem muneris ob cauſam turpem ad prodigalitatem referri. Etenim expenſæ omnes, quas omittere tenemur, ad prodigalitatem referendæ ſunt: non alio enim fine pecuniam erogare debemus, quam ut ſatis faciamus obligationi cuidam naturali (§. 379. *part.* 4. *Jur. nat.*). Perinde autem eſt ſive detur pecunia, ſive res, quemadmodum ex antea dictis palam eſt. Neque alium licet facere juris donandi uſum, quam quem officia exigunt (§. 131. *part.* 4. *Jur. nat.*). Exercitium vero juris donandi liberalitatis eſt.

§. 370.

Ne actus liberalitatis ab actibus prodigalitatis accurate diſcernantur, præconcepta obſtat opinio, quaſi in diſpoſitione de rebus ſuis

Cur actus liberalitatis

ab actibus prodigalitatis non accurate diſcernantur.

unice regnet domini voluntas. Etenim qui putat, in diſpoſitione de rebus ſuis unice regnare voluntatem ſuam, is pro certo habet, ſibi competere jus rem ſuam dandi cuicunque voluerit & ob cauſam quamcunque, quæ ſibi viſa fuerit, conſequenter non attendendam eſſe rationem ullam, cur dare velit, ſed ſufficere quod velit, ita ut pro ratione ſtet voluntas. Quodſi ergo gratis aliquid alteri datur, non attenditur, num faciat expenſas, quas officium nullum erga ſeipſum, vel erga alios exigit. Quoniam itaque prodigalitatis eſt facere expenſas, quas officium nullum erga ſeipſum, vel erga alios exigit (§. 385. *part. 4. Jur. nat.*), liberalitas vero donationes, ſeu dationes gratuitas (§. 363.), legi naturæ conformat (§. 250. *part. 4. Jur. nat.*), nec licitæ ſunt donationes, niſi quæ faciunt ad ſatisfaciendum officio cuidam erga ſeipſum, vel alios, vel etiam erga Deum (§. 124. *part. 4. Jur. nat.*); ne actus liberalitatis ab actibus prodigalitatis accurate diſcernantur, præconcepta obſtat opinio, quaſi in diſpoſitione de rebus ſuis unice regnet domini voluntas.

Hanc opinionem, quaſi voluntas domini in diſpoſitione de rebus ſuis nullis legibus ſit adſtricta, eſſe præjudicium commune, quod plerorumque mentem occupavit, in vulgus notum eſt. Ideo audias dicentes: de meo diſponere poſſum, quemadmodum mihi viſum fuerit. Dare meum poſſum, cuicunque voluero. Arrogant ſibi homines jus prorſus abſolutum in diſpoſitione de rebus ſuis, conſequenter etiam in dationibus gratuitis. Has cum agnoſcant eſſe objectum liberalitatis, ſe liberales eſſe putant, ſi multa gratis dent, parum ſolliciti, cuinam dent, quo fine & quo animo. Ac idem ipſorum eſt judicium de liberalitate aliorum, quam etſi ob rationes certas non probent, actum tamen ipſum ad liberalitatem adſcribunt, quaſi vero virtus admittat quidpiam, quod recte improbatur. Prodigum vero illum demum vocant, qui bona

Digitized by Google

bona ſua dilapidat, ſeu patrimonium ſuum diminuit (§. 452. *part.* 2. *Jur. nat.*), faciendo expenſas ultra ejus vires, ita ut quis prodigus fieri poſſe cenſeatur, quia nimis liberalis eſt, quaſi ipſa virtus nos in vitium adducere poſſit, in quod tamen non incidimus, niſi quando a virtutis tramite receditur.

§. 371.

Quoniam *opinio præconcepta, quaſi in diſpoſitione de rebus ſuis unice regnet voluntas domini*, obſtat, quo minus actus liberalitatis ab actibus prodigalitatis accurate diſcernantur (§. 370.); *ut ea eradicetur, probe conſiderandum eſt, rerum, quas habemus, dominum eſſe Deum, nos non eſſe niſi uſuarios, & dominium*, quod ſcilicet conſiſtit in jure proprio diſponendi de re pro arbitrio ſuo, prout nimirum viſum fuerit (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*), *nobis ſaltem competere reſpectu hominum aliorum* (§. 351. *part.* 4. *Jur. nat.*), *nec homini per ipſam naturam ſuam atque rerum aliud jus in re ſua competere poſſe, niſi quod in uſu neceſſario conſiſtit* (§. 353. *part.* 4. *Jur. nat.*), *ipſamque naturam hominem non facere niſi uſuarium, non vero dominum rerum ſuarum, qualis eſt reſpectu hominum aliorum* (§. 354.), *nec Deum aliud jus nobis concedere potuiſſe* (§. *cit.*), *qualis ſit uſus rerum neceſſarius*, nimirum qui ad hoc requiritur, ut obligationi noſtræ naturali ſatisfaciamus (§. 12. *part.* 2. *Jur. nat.*), & *rectum rerum ſuarum uſum eſſe eum, quem officia exigunt, abuſum vero in repugnantia cum iisdem conſiſtere* (§. 350. *part.* 4. *Eth.*). *Quomodo opinio iſta eradicanda.*

Ex iis, quæ diximus & quæ porro demonſtrabuntur, ſatis intelligitur, quam facile a liberalitate recedatur, dum liberalis eſſe volueris, & quivis per ſe haud difficulter animadvertet, quinam occurrant circa exercitium hujus virtutis defectus, & quantum nomen ejus in abuſum trahatur. Ceterum præconcepta opinio, quæ mentem plerorumque obnubilat, & liberalitatem, quæ virtus eſt, in prodigalitatem, quæ vitium

eſt, convertit, ex hoc potiſſimum fonte fluit, quod quale revera ſit jus dominium ignoretur, & quod nobis vi libertatis naturalis permittendum quoad exercitium (§. 169. *part. 2. Jur. na.*), ipſi juri ineſſe putetur, neque ſatis intelligatur, quale jus ſit libertas naturalis, quæ obligationem naturalem, a lege naturæ venientem (§. 141. *part. 1. Jur. nat.*), minime tollit (§. 159. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque nec abuſus dominii ab uſu ejusdem diſtingvatur (§. 167. 168. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem ſi præconcepta illa opinio radicitus evellenda, neceſſe eſt ut ea, quæ de dominio in parte ſecunda, & de libertate naturali in parte prima demonſtrata ſunt, penitus perſpiciantur: ad quod ducit analyſis demonſtrationum illorum, quæ in propoſitione præſente inculcantur. Relegenda inprimis ſunt, quæ de differentia juris in re noſtra reſpectu Dei & reſpectu hominum nobis competentis annotavimus (*not.* §. 351. *part. 4. Jur. nat.*).

§. 372.

Quinam fortuna meliore digni ſint.

Qui perſonam ſibi impoſitam recte gerunt, vix tamen ac ne vix quidem acquirunt, quantum ad ſuſtentationem ſui atque familiæ ſuæ ſufficit; fortuna meliore digni ſunt. Cum certa nobis perſona impoſita ſit, quatenus ſumus homines, quatenus ſumus creatura Dei & quatenus certum vitæ genus ſequimur (*not.* §. 17. 152. *part. 4. Eth.*); perſonam ſibi impoſitam recte gerit, qui vitam homine ac creatura Dei dignam vivit, conſequenter legi naturæ, ſeu voluntati divinæ conformem (§. 57. *part. 2. Phil. pract. univ.*), ideoque officiis erga Deum, erga ſeipſum & erga alios pro virili ſati facere ſtudet (§. 225. 226. *part. 1. Phil. pract. univ.*), verbo qui honeſte vivit (§. 171. *part. 1. Phil. pract. univ.*), atque in munere ſuo, aut labore obeundo omnem diligentiam adhibet (§. 536. *part. 1. Jur. nat.*), omnemque dat operam, ut laborem ſuum recte perficiat, qualiscunque tandem is ſit pro eo, quod ſequitur, vitæ genere (§. 522.

part.

Digitized by Google

part. 1. Jur. nat.). Neminem puto fore, qui non ultro largiatur, eundem mereri, ut vitam quoque commode ac jucunde tranſigat, modo intelligat quid ſit vitam commode ac jucunde tranſigere (§. 465. 470. *part. 1. Jur. nat.*). Quodſi ergo contingat, eum vix tantundem acquirere, quantum ad ſuſtentationem ſui atque familiæ ſuæ ſufficit, cum fortuna ipſi deneget ad vitæ commoditatem, vel jucunditatem neceſſaria, meliore utique fortuna dignus eſt.

Fortuna bona ſua non diſtribuit pro merito, ut habeant qui merentur, neque utile videtur, ut ita diſtribuat: valde enim verendum, ne deeſſent plures, qui merentur. Quodſi unusquisque ſeipſum intimius noſcere ſtuduerit, atque ſeipſum examinaverit; haud difficulter intelliget, num fortunam meliorem mereri ſtuduiſſet, ſi eam ſibi faventem expertus fuiſſet. Quamobrem opus eſt, ut merentium inopiam ſublevent, qui bonis fortunæ abundant, liberalitatem exercituri, cui alias nullus foret locus. Ut vero liberalitas recte exerceatur, neceſſe eſt, ut agnoſcantur, quinam meliore fortuna digni ſint. Judicium autem minime fallet, ſi ea obſerventur; quæ in propoſitione præſente præcipiuntur, modo didiceris, quæ ad vitæ honeſtatem & diligentiam in munere ſuo obeundo & labore ſuo recte perficiendo requiruntur. Cum vero perfecta virtus in hominem non cadat; in æſtimando merito non nimis rigidi eſſe debemus: id quod nec metuendum, cum perpauci ſint tanto acumine præditi, ut de ſummo rigore ſtatuere poſſint.

§. 373.

Quorum ope & auxilio bona animi, corporis & fortunæ conſequimur, vel qui a malo nos liberant, aut periculum præſens a nobis avertunt; bene de nobis merentur. Bene mereri de altero dicitur, qui eidem cauſa boni exiſtit. Quamobrem cum bona ſint vel animi, vel corporis, vel fortunæ (§. 556. *Pſych. empir.*), *Quinam bene de nobis mereantur.*

& ab-

& abſentia mali etiam bonum ſit (§. 756. *part. 1. Jur. nat*), cauſa vero boni nobis exiſtit, in cujus facto quodam, vel factis pluribus continetur ratio, cur bono quodam fuerimus potiti, vel a malo quodam, aut periculo liberati (§. 886. *Ontol.*); bene de nobis merentur, quorum ope & auxilio bona animi, corporis & fortunæ conſequimur, vel qui a malo nos liberant, aut periculum præſens a nobis avertunt.

Quicquid nos ſtatumque noſtrum perfectiorem reddit, bonum eſt (§. 554. *Pſych. empir.*), ideoque de nobis bene meretur, quicunque ad perfectionem noſtram ſtatumque noſtrum facto ſuo quidpiam confert. Quoniam vero carentia mali quoque bonum eſt (§. 756. *part. 1. Jur. nat.*), malum autem eſt, quod nos ſtatumque noſtrum imperfectiorem reddit (§. 565. *Pſych. empir.*); de nobis quoque bene meretur, qui facto quodam ſuo nos ab aliquo liberat, quod nos vel ſtatum noſtrum imperfectiorem reddit, aut id a nobis avertit, quod reddere poterat. Cum innumera ſint iſtiusmodi facta, non uno quoque modo de nobis bene mereri poteſt alius. Quamobrem qui ex vero ſtatuere voluerit, num & quantum aliquis de ſe bene meritus fuerit; ei perſpectum eſſe debet, in quonam perfectiones animæ, corporis ac ſtatus noſtri conſiſtant, in quonam imperfectiones ejusdem, & quodnam is ad hoc contulerit, ut illis gaudeamus, his careamus. Docuimus quæ huc pertinent in Jure naturæ, ideoque ex eo haurienda eſt eorum cognitio. Conſtat plerosque homines ſenſuum judicio ſtare, aut opiniones receptas ſequi, ut ideo pro bonis habeantur, quæ non ſunt, nec quæ mala ſunt agnoſcantur. Quamobrem nec agnoſcunt, quod alii bene de ſe mereantur, aut prorſus in contrariam abeunt ſententiam, quaſi male mereantur. Hoſce vero errores evitare non datur, niſi juxta rationis normam bonum atque malum dijudicare diſcamus. Quoniam itaque apprime neceſſarium eſt, ut diſcamus, ſiquidem liberalitatis partes omnes adimplere velimus (§. 367.); ideo neceſſe eſt, ut verorum bonorum atque malorum notiones

nes conſequi ſtudeamus & bonorum magnitudinem rite ponderare diſcamus. Aeſtimanda vero etiam eſt diligentia aliorum in eo, quod noſtri cauſa fecerunt, & conſiderandus animus, quo idem fecerunt. Atque tum circumſtantiæ ſingulares, ſi rite diſcutiantur, plurimum conferunt ad æſtimandam magnitudinem meriti. Dedimus exempla paulo ante (*not.* §. 367.), quæ his, quæ in præſenti dicuntur, lucem quandam affundunt. Plura dicentur inferius, quando de æſtimandis beneficiis agemus.

§. 374.

Liberalitatis eſt dona dare pro modo facultatum ſuarum. Liberalitatis eſt quantitatem donorum determinare legi naturæ convenienter (§. 365.). Etenim nemo alteri donare debet rem, qua ipſemet indiget (§. 109. *part. 4. Jur. nat.*); præſertim ſi alter eadem minime indiget (§. 110. *part. 4. Jur. nat.*), cumque patrimonium noſtrum conſervare debeamus, quantum in poteſtate noſtra fuerit (§. 458. *part. 2. Jur. nat.*), ultra ejus vires expenſæ faciendæ non ſunt. Quamobrem qui amplum habet patrimonium, cum plura aliis gratis dare poſſit, quam qui habet tenue; liberalitatis eſt dona dare pro modo facultatum ſuarum.

De qualitate donorum viribus patrimonii proportionanda.

Liberalis non eſt, ſed prodigus, qui ultra vires patrimonii ſui dona in alios conferens in egeſtatem incidit, vel etiam liberos ſuos, quorum fortunæ proſpicere debet (§. 729. 734. 736. *part. 7. Jur. nat.*), ad egeſtatem redigit. Neque enim aliis prodeſſe debemus ita, ut nos ipſos negligamus (§. 670. *part. 1. Jur. nat.*), aut obligationi, qua aliis tenemur, ſatisfacere nequeamus (§. 674. *part. 3. Jur. nat.*). Servandus itaque modus in donationibus, ne excedatur. Enimvero quoniam aliis prodeſſe debemus, quantum poſſumus (§. 612. *part. 1. Jur. nat.*); liberalitati quoque parum convenit, ſi quis minus dat, quam dare poterat. Equidem vulgaris eſt

opinio, quaſi dona proportionanda ſint dignitati, qua quis in civitate eminet: oppido autem falluntur, qui ita ſentiunt. Neque enim dignitati reſpondent opes. Dantur, qui dignitate eminent ſupra alios, tenue tamen habent patrimonium, ita ut reditus vix ſufficiant ad ſuſtentationem ſui ac familiæ ſuæ, præſertim cum decori habenda quoque ſit ratio quædam. Dantur ex adverſo alii conditionis plebejæ, qui amplum habent patrimonium. Hi plura gratis dare poſſunt, quam illi, ne graventur. Iniqui adeo ſunt judices, qui modicum, quod illi dant, in vituperium vertunt, cum laudandi potius ſint, quam vituperandi, qui dant pro modo facultatum. Quodſi qui dignitate excellit opulentus quoque fuerit; ſi parcius dat, quam pro modo facultatum, majorem cenſuram incurrit, quatenus ipſa dignitas motivum eſſe debet, ut virtute præſtet plurimum, conſequenter etiam liberalitate. Atque hoc modo dignitas influit per modum decori in determinationem quantitatis doni. Turba hæc vix diſcernet, quæ non ſufficiente cognitione eorum inſtructa eſt, quæ ad judicium exactum de determinanda quantitate doni requiruntur. Aſt veritas, quam profiteri debet philoſophus, non dependet a captu vulgi.

§. 375.

De cauſa, ob quam donum datur, in determinanda quantitate ejus attendenda in judicio ferendo.

In determinanda quantitate doni habenda quoque ratio eſt cauſæ, ob quam datur. Dantur enim dona ad uſum quendam honeſtum, ob factum quoddam præclarum & ob factum, quo quis bene de nobis meritus eſt (§. 367.). Quamobrem cum non omnis uſus, in quem impendendum eſt quod datur, eosdem exigat ſumtus, nec facta omnia præclara ejusdem ſint utilitatis, nec æque rara atque inſolita, neque etiam facta, quibus aliquis de nobis bene meretur, eandem nobis afferant utilitatem; ideo in determinanda quantitate doni habenda quoque ratio eſt cauſæ, ob quam datur.

Con-

Digitized by Google

Convenientiam quantitatis doni cum cauſa, ob quam datur, ipſa ratio nobis dictitat, etiamſi in confuſis ſaltem notionibus acquieſcamus. Inde nimirum eſt, ut ipſum vulgus de quantitate ejus, quod datur, judicium ferens ad illam animum attendat. Si pecunia colligitur ad reparationem ædis ſacræ, plus vel minus datur pro ratione ſumtuum in eam faciendorum, & plus datur, ſi inter plures, quam ſi inter pauciores diſtribuendum quod datur. Quod ſi contrarium fiat, id reprehendi ſolet, non alia reddita ratione, quam quod uſui minime reſpondeat quod datur. Per ſe tamen patet, utrum donum ſaltem detur in ſubſidium, an vero ad integrum ſumtum faciendum. Quodſi donum detur ob factum quoddam præclarum, inſtar præmii, pro qualitate facti quantitas utique præmii differre debet. Facta autem æſtimantur ex utilitate, quæ inde in alios redundant, vel ex ſingularitate virtutum ſive intellectualium, ſive moralium, quæ ad idem patrandum requiruntur. Ita inventa utilia majus merentur præmium, quam mere curioſa. Si quis invenit machinam, qua temporis ac ſumtuum compendio perficitur, quod nonniſi multo labore alias perfici poterat, majus præmium meretur, quam ſi quadraturam alicujus curvæ, cujus nullus uſus eſt, invenerit. Quoniam tamen difficile eſt de utilitate judicium, niſi ea præſens ſit atque in oculum incurrat; multa circumſpectione opus eſt, ne judicium deproperetur. In liberalitate tamen ſpectanda potiſſimum eſt præſens utilitas, & qui de utilitate judicium ſibi ſumit, rei peritus eſſe debet. Meritum aliorum de nobis æſtimandum eſt ex magnitudine boni in nos collati & mali depulſi, aut periculi averſi. Sed de hiſce plura dicenda erunt, quando paulo inferius de animo grato ſumus acturi.

§. 376.

In determinanda quantitate doni habenda quoque ratio eſt conditionis accipientis. Donationes enim, dationes gratuitæ (§. 48. *part. 4. Jur. nat.*), beneficia ſunt (§. 17. *part. 4. Jur. nat.*), *De conditione accipientis in deter-*

minanda quantitate doni attendenda. Enimvero benefactor gaudium tribuere, aut voluptatem creare alteri intendit (§. 35. *part. 4 Jur. nat.*), & noto notius eſt, munuſculum, quo gaudium tribuitur homini infimæ conditionis, non eandem habere efficientiam, ſi idem detur alii longe diſparis & melioris conditionis. In determinanda igitur quantitate doni habenda eſt ratio conditionis accipientis.

Multa adhuc monenda forent, ſi ad particularia deſcendere vellemus: ſed ea facile ſuccurrent quaſi ſua ſponte, ſi animum advertamus in caſu dato ad omnes circumſtantias, quæ in æſtimanda conditione accipientis attendendæ veniunt. Cum circumſtantiæ plurimum varient, ideo accidit, ut non eandem voluptatem creet, quod hoc, vel alio tempore datur.

§. 277.

De pretio affectionis in quantitate doni ſpectando. *In quantitate doni ſpectandum etiam eſt pretium affectionis, quod rei, quæ datur, ſtatuit accipiens.* Qui enim pretium affectionis rei imponunt, pro voluptate ex ea percipienda eandem æſtimant (§. 907. *part. 4. Jur. nat*). Quoniam itaque donationes, gratuitæ dationes (§. 48. *part. 4. Jur. nat.*), beneficia ſunt (§. 17. *part. 4. Jur. nat.*), benefactor autem gaudium tribuere, vel voluptatem creare intendit alteri, cui quidpiam gratis dat (§. 35. *part. 4. Jur. nat.*); in quantitate doni ſpectandum etiam eſt pretium affectionis.

Pretium affectionis nullam certam menſuram habet, ſi res in ſe ſpectetur. Ut enim quis rem quandam pluris æſtimet, quam communiter æſtimari ſolet, a ſingulari quodam affectu dependet (§. 906. *part. 4. Jur. nat.*), qui non in omnibus eadem ratione concitatur. Accidit inde, ut quis rem eandem parvi, aut nihili æſtimet, quam maximi facit alius & qua mirifice delectatur. Quamobrem ſi cui dones rem exigui pretii, ſed qua maxime delectatur, majoris eandem faciet, quam ſi dediſſes

Digitized by Google

diffes rem majoris longe pretii. Hinc audias dicentes, rem ſibi donatam, quantumvis exigui pretii, cariorem eſſe, quam donum centum thalerorum. Ponamus hominem eruditum, qui, cum opulentus ſit libros pretio caro ſibi comparare poteſt, immo ſolet. Quodſi ei dones libellum vili pretio redemtum, ſed admodum rarum, quem diu habere voluit, ſed nullibi venalem reperire potuit; majorem ipſi voluptatem afferes, quam ſi ſplendidum munus aliud obtuliſſes, cum tamen abſurdum fuiſſet ipſi donare pecuniam, quam pro libello ſolviſti. Quoniam liberalitatis eſt donorum quoque determinare quantitatem (§. 366.); qui liberalitatem exercere vult, ad ea omnia animum attendere tenetur, quæ de quantitate doni demonſtrata ſunt (§. 374. & *ſeqq.*). Quodſi ſingula ſatis expendantur, haud obſcurum erit, quomodo liberalis quoque eſſe poſſit, qui tenuis fortunæ eſt, & quod liberalem ſe præbere quis poſſit etiam aliis, quorum conditio & fortuna ſua longe melior eſt. Abſit enim ut exiſtimes, liberalitatem eſſe virtutem, quam exercere nequeant niſi divites ac opulenti.

§. 378.

De exceſſu & defectu in determinanda quantitate doni.

Exceſſus in determinanda quantitate doni ad prodigalitatem; defectus ad tenacitatem adſcribendus. Quoniam Jus naturæ regit actus liberalitatis in determinanda quantitate doni (§. 366.); qui in determinanda quantitate doni modum excedit, majores facit expenſas pro facultate patrimonii ſui, quam quas officium aliquod erga ſeipſum, vel erga alios exigit (§. 225. 226. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero qui majores facit pro facultate patrimonii ſui expenſas, quam quas officium aliquod erga ſeipſum, vel erga alios exigit, prodigus eſt (§. 385. *part. 4. Jur. nat.*). Exceſſus igitur in determinanda quantitate doni ad prodigalitatem adſcribendus. *Quod erat unum.*

Similiter quia lex naturæ regit actus liberalitatis in de-

terminanda quantitate doni (§. 366.), qui in ea determinanda defectum committit, pauciores & minores facit expenſas, pro modo facultatum ſuarum, quam quas officium aliquod erga ſeipſum, vel erga alios exigit (§. 225. 226. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero qui pauciores & minores facit expenſas pro facultate patrimonii ſui, quam quas officium aliquod erga ſeipſum, vel erga alios exigit, tenax eſt (§. 391. *part. 4. Jur. nat.*). Defectus itaque in determinanda quantitate doni ad tenacitatem adſcribendus. *Quod erat alterum.*

Dominus obligatur ad eum faciendum juris donandi uſum, quem officia exigunt (§. 131. *part. 4. Jur. nat.*). Omnis igitur actus in datione gratuita vitioſus eſt, qui officio cuidam ſive erga ſeipſum, ſive erga alios, vel etiam erga Deum contrariatur. Quoniam id, quod gratis datur, ad expenſas pertinet; vitium vero, quod verſatur circa expenſas in exceſſu prodigalitas, in defectu tenacitas eſt (§. 358. 391. *part. 1. Jur. nat.*); exceſſus dationum gratuitarum ad prodigalitatem, defectus ad tenacitatem referendus. Ariſtotelici liberalitati in exceſſu prodigalitatem, in defectu avaritiam opponunt. Quemadmodum enim liberalitas ab iis non reſtringitur ad pecuniam erogandam, verum etiam extenditur ad pecuniam acquirendam; ideo quoque avaritia non diſtingvitur a tenacitate, quaſi non dare & in accipiendo non ſatiari unum idemque ſint. Aſt dedimus jam alias rationem, cur nos tenacitatem ab avaritia diſtingvere voluerimus (*not.* §. 398. *part. 4. Jur. nat.*), & liberalitatem ad dationes gratuitas ſaltem reſtringere (*not.* §. 249. *part. 4. Jur. nat.*), ita ut ne quidem omnes expenſas moderetur (§. 381. *part. 4. Jur. nat.*). Ratio, cur nos virtutes in acquirenda & eroganda pecunia ipſisque oppoſita vitia aliter diſtinxerimus, clarius adhuc eluceſcit, ſi expendantur ea omnia, quæ de cura rerum demonſtravimus & uberius declaravimus in parte quarta Ethicæ. Unum vero adhuc moneri conſultum exiſtimamus, quod non quivis per ſe facile

per

Digitized by Google

ſpicere videtur, nimirum cur actiones externæ ad vitia adſcribantur, quæ legi naturæ repugnant, non conſideratis ſimul internis iisdem reſpondentibus, cum tamen actiones externas non tribuamus virtuti, ſi in internis deprehendatur aliquis diſſenſus a lege naturæ. Etenim cum actio interna legi naturæ contraria a vitio proficiſcatur (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*), actionem externam, quæ illi non adverſatur, labe ſua inficit, ut pro vitioſa recte habeatur. Enimvero ſi vel maxime bono animo facias, quod in ſe illicitum eſt; conſcientia tamen erronea actionem in ſe illicitam facere nequit licitam. Ita fornicatio propterea non efficitur naturaliter licita, quia communi quodam gentis alicujus errore pro licita habetur, aut modica Venus ſanitati conducere putatur. Qui Apoſtolos perſequebantur, ipſo Chriſto judice putabant ſe facere, quod Deo maxime placeat; non tamen propterea ad pietatem adſcribi poterant vexationes illorum. Alia vero quæſtio eſt, de imputatione iſtiusmodi factorum, de quibus ex iis ſtatuendum, quæ in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis de imputatione demonſtrantur.

§. 379.

Si dona dentur eo fine, ut vel animum gratum, vel amorem, vel exiſtimationem alteri declaremus, aut aliorum favorem & amorem nobis conciliemus, vel etiam bonum per alios promoveamus; fines hi recte intenduntur ab eo, qui liberalis eſt. Etenim liberalitatis eſt intendere finem legi naturæ convenientem (§. 366.). Enimvero legi naturali conveniunt donationes animi grati (§. 115. *part. 4. Jur. nat.*), amoris (§. 117. *part. 4. Jur. nat.*) & exiſtimationis declarandæ cauſa factæ (§. 119. *part. 4. Jur. nat.*). Conveniunt quoque eidem, quæ fiunt amoris & favoris aliorum, quorum ope indigemus, conciliandi cauſa (§. 121. *part. 4. Jur. nat.*), vel etiam boni per alios promovendi (§. 113. *part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem qui liberalis eſt tan-

De finibus in donationibus intendendis.

quam

quam finem recte intendit, ut vel animum gratum, vel amorem, vel exiſtimationem alteri declaret, vel etiam ut aliorum amorem & favorem ſibi conciliet, aut bonum, quod ipſe perficere nequit, per alios promoveat.

Fines illos a donante intendi poſſe ac licite intendi demonſtravimus, cum de donatione ageremus (§. 113. & *ſeqq. part.* 4. *Jur. nat.*). Quamobrem cum liberalitatis ſit determinare finem legi naturæ convenienter (§. 366.); dubium non eſt, quin liberalis recte intendat fines iſtos. Notandum in genere eſt, omnem finem licitum ab eo, qui liberalis eſt, intendi poſſe. Quamobrem ſi de fine ferendum judicium, ad normam legis naturalis is ſaltem exigendus, ut ideo ejus notitia inſtructus ab eodem aberrare nequeat. Brevius itaque dici poterat, ad liberalitatem requiri, ut intendatur finis licitus. Quoniam tamen non omnibus principia Juris naturalis adeo familiaria ſunt, ut iisdem ſtatim ſuccurrant, quando de fine intendendo judicium ferendum; conſultius omnino viſum fuit, fines iſtos in ſpecie commemorare. Equidem beneficiis, quorum in numero ſunt donationes (§. 56. *part.* 4. *Jur. nat.*), gaudium tribuunt accipienti, & hoc intendere debet, qui liberalis eſt (§. 35. *part.* 1. *Jur. nat.*). Enimvero ut gaudium hoc recte intendatur, fines quoque ii attendendi ſunt, quos in propoſitione præſente commemoravimus, ne intentio gaudii creandi illicita efficiatur. Quodſi fines liciti intendantur directe, ad directam intentionem accedit intentio tribuendi gaudium indirecta (§. 621. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

§. 380.

Qualem animum habeat liberalis.

Liberalis animo hilari ac libenter dat. Etenim liberalitas virtus eſt (§. 249. *part.* 4. *Jur. nat.*). Sed virtuoſus actiones legi naturæ convenientes lubenter (§. 345. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), & cum gaudio committit (§. 348. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Liberalis ergo lubenter ac cum gaudio, ſeu animo hilari dat.

Animo

Animo hilari dare & cum gaudio dare unum idemque eſt. Vulgo autem agnoſcitur, ad liberalitatem requiri, ut animo hilari detur. Ideo enim dicitur: Hilarem datorem Deus amat. Non tamen hoc liberalitati ſingulare eſt, ſed hilaris animus requiritur ad quemlibet virtutis cujuslibet actum. Atque inde eſt, ut virtuoſus & ab omni vitio alienus ſemper hilari animo eſſe poſſit, & ad artem ſemper gaudendi præter fiduciam in Deo & acquieſcentiam in providentia divina (§. 442. *part. 3. Eth.*) cuſtodia conſcientiæ requiratur (§. 615. *part. 2. Phil. pract. univ.*), ne ſcilicet quid committatur, quod legi naturæ adverſum (§. 600. *part. 2. Phil. pract. univ.*).

§. 381.

Actus liberalitatis proficiſcitur ex amore erga accipientem. Benefactor enim, conſequenter qui liberalis eſt (§. 249. *part. 4. Jur. nat.*), accipientem amat (§. 38. *part. 4. Jur. nat.*), ac ideo, quia amat, dat (§. 36. *part. 4. Jur. nat.*). Actus itaque liberalitatis ex amore erga accipientem proficiſcuntur. *Fons actuum liberalitatis.*

Ex hoc amore naſcitur animus hilaris, de quo modo diximus (§. 380.). Quoniam enim liberalis amat accipientem, ex voluptate ejus voluptatem percipit & ideo gaudet, quod is gaudet (§. 640. *Pſych. empir.*), conſequenter dando gaudium ipſi tribuere intendit & gaudium ejus cupit. Quodſi animus dantis amore erga accipientem fuerit vacuus, actus ad liberalitatem adſcribi nequit. Atque hoc modo cavetur, ne de animo hilari perperam judicetur, qui ad liberalitatem requiritur. Quodſi enim gaudii tui alia fuerit ratio, quam gaudium accipientis, quod eidem tribuere intendis, veluti utilitas quædam tua, quam dono mercari vis, illud ad animum, quem habere debet liberalis, minime referendum. Facile autem patet ad liberalitatem ſufficere amorem univerſalem, nec ſemper opus eſſe ratione quadam particulari, cur accipientem ames, quamvis tum facilius pateat, actum liberalitatis ex amore proficiſci. Ceterum me vel tacente patet,

quamvis peculiaribus demonſtrationibus evicerimus, cuinam ſit dandum, quantum, quo fine & quo animo (§. 367. & ſeqq.), ea tamen omina ſimul attendenda eſſe in qualibet datione gratuita, ne quid obſtet, quo minus ea ad liberalitatem ſit adſcribenda. Valet hic illud ſcholaſticorum, bonum non eſſe niſi ex integra cauſa.

§. 382.

An donum propter finem illicitum datum ad liberalitatem referendum.

Qui dat donum propter finem illicitum, liberalis non eſt. Donationes enim mali finis conſequendi gratia factæ illicitæ ſunt (§. 123. *part. 4. Jur. nat.*), conſequenter lege naturali prohibitæ (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero liberalitas regit donationes legi naturæ convenienter (§. 365.). Quamobrem qui dat donum propter finem illicitum, liberalis non eſt.

Ita liberalis non eſt, qui donis corrumpit judicem injuſtum, ut faveat malæ cauſæ, propterea quod juxta iſtud pervulgatum plus valet favor in judice, quam lex in codice. Similiter liberalis non eſt, qui amorem puellæ donis ſibi conciliare ſtudet, ut ſe libidini ipſius facilem præbeat, vel etiam ſi hoc fecerit, muneribus magnificis remuneratur. Idem judicium eſto de eo, qui defenſorem cauſæ ſuæ ſive bonæ, ſive malæ remuneratur, propterea quod antagoniſtam fœdiſſimis conviciis proſciderit, aut audacter calumniatus fuerit.

§. 383.

An liberalis det donum propter famam.

Qui dat donum propter famam, ambitioſus & arrogans eſt, non liberalis. Cum enim fama ſit communis hominum aliorum ſermo de virtutibus alicujus (§. 553. *part. 1. Jur. nat.*); qui dat donum propter famam, is videri vult liberalis & laudem tanquam finem intendit, conſequenter laudem immeritam appetit. Aſt laudem ſive meritam, ſive immeritam appetere ambitioſi eſt (§. 507. *part. 4. Eth.*), & qui ſe honore dignum

dignum exiſtimat, quo non eſt, conſequenter videri vult, qui non eſt, arrogans eſt (§. 566. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem qui dat donum propter famam, ambitioſus & arrogans eſt. *Quod erat unum.*

Quoniam qui donum dat propter famam, laudem intendit tanquam finem, *per demonſtrata*, laudem autem tanquam finem intendere non debemus (§. 562. *part. 1. Jur. nat.*); qui dat donum propter famam, lege naturæ contradicente hoc facit, conſequenter donationem eidem minime conformat. Quamobrem cum liberalitas donationes regat legi naturæ convenienter (§. 365.); qui donum dat propter famam liberalis non eſt. *Quod erat alterum.*

Omnis actio legi naturæ conformis efficitur vitioſa, ſi propter famam committatur. Quamvis enim operam dare debeas, ut ſis exiſtimatione ac laude dignus (§. 545. 546. *part. 1. Jur. nat.*), utque fama tua ſit bona (§. 554. *part. 1. Jur. nat.*); exiſtimationem tamen atque laudem non intendere debes, tanquam finem (§. 562. *part. 1. Jur. nat.*). Quamprimum hæc ad ſtudium meriti accedit, actio labe inficitur, ut non amplius ad virtutem, ſed ad vitium ſit adſcribenda (§. 321. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem jam ſuperius monuimus, eruditos, aut qui alio modo de Rep. bene merentur, gloriam non ſpectare debere tanquam mercedem, quam exigere poſſunt, ſed tanquam præmium, quod ab æquis rerum arbitris ſponte offertur. Actiones noſtras legi naturæ conformare debemus, ut ſatis faciamus obligationi noſtræ (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & ut nos Deo obedientes præbeamus (§. 1167. *part. 1. Jur. nat.*). Atque hoc modeſtiæ eſt (§. 484. *part. 4. Eth.*), judicium vero de nobis relinquendum peritis ac bonis (§. 485. *part. 4. Eth.*). Quæ igitur in propoſitione præſente de liberalitate demonſtrantur & vulgo agnoſcuntur, de qualibet virtute valent.

§. 384.

Quando largiter donans vel bonum faciens ſit ſuperbus.

Qui large effuſeque donat, ut liberalior videatur aliis, ſuperbus eſt, omnium maxime, ſi ceteros, qui minus dant, vel parcius, contemnit. Idem valet de eo, qui ob bene a ſe facta ſe ſupra alios effert. Qui enim large effuſeque donat, ut liberalior videatur aliis, ſe ſupra alios effert, aut majoris fieri vult aliis, quod per ſe patet. Enimvero ſuperbus eſt, qui ſupra alios ſeſe offert, ſeu majoris fieri vult aliis (§. 888. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem qui large effuſeque donat, ut liberalior videatur aliis, ſuperbus eſt. *Quod erat primum.*

Qui ceteros ideo contemnit, quod minus, aut parcius dant, quam ipſe dare ſuevit, ut liberalior ceteris videatur, eos illiberalitatis redarguit (§. 788. *part. 1.* & §. 252. *part. 4. Jur. nat.*). Quoniam itaque ſuperbus eſt, qui large effuſeque donat, ut liberalior videatur aliis, *per demonſtrata*; multo magis ſuperbus eſt, qui ceteros contemnit, qui minus vel parcius dant. *Quod erat ſecundum.*

Idem eodem modo patet de eo, qui ob bene a ſe facta ſe ſupra alios effert, aut alios, quibus ſe ſuperiorem exiſtimat, præ ſe contemnit. *Quod erat tertium.*

Qui large effuſeque donat, ut aliis liberalior videatur, propter famam donat (§. 553. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum propter famam donans ambitioſus ſit (§. 383.); inde quoque inferri poterat, ſuperbum eſſe, qui large effuſeque donat, ut liberalior videatur aliis. Ceterum ex propoſitione præſente ac præcedente apparet, quomodo quod virtutis eſt ad vitium trahatur. Atque porro inde intelligitur, quam ſit neceſſe, ut virtuti omni ſtudeamus, vitio omni nuncium mittamus, ne iſta actionum determinatio metuenda ſit. Vitia inſidias ſtruunt virtuti, haud raro occultas, a quibus tutus eſſe nequit, qui non omne vitium extirpare ſtudet.

§. 385.

Digitized by Google

§. 385.

Si cujus animus propendet in dona merentibus & ob finem bonum danda, tam amplum vero patrimonium non habet, ut dare poſſit; hoc tamen non obſtante liberalis eſt. Etenim ſi cujus animus propendet in dona merentibus & ob finem bonum danda; is habet voluntatem, qualem liberalitas exigit (§. 367. 379.). Quoniam itaque virtutes morales, in quarum numero eſt liberalitas (§. 249. *part. 4. Eth.*), habitus voluntatis ſunt §. 547. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque ex voluntate, quam quis habet, potiſſimum æſtimandæ, nemo autem alteri donare debet, quo ipſemet indiget (§. 109. *part. 4. Jur. nat.*), nec quisquam obligatur ultra id, quod ipſi poſſibile eſt (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ſi quis tam amplum patrimonium non habet, ut dare poſſit, quod vellet, hoc tamen non obſtante liberalis eſt.

Quando ad liberalitatem ſufficiat dandi animus.

Omnia officia erga alios hanc habent reſtrictionem, ut præſtentur alteri, quatenus absque neglectu erga ſeipſum fieri poteſt (§. 609. *part. 1. Jur. nat.*), ſeu quantum in poteſtate noſtra eſt (§. 611. *part. 1. Jur. nat.*). Singulare igitur non eſt, quod gratuitæ quoque dationes, circa quas liberalitas verſatur (§. 363.), hanc reſtrictionem habeant. Quando igitur deſunt, quæ dare poteras, ſive non tantum habeas, quantum dari neceſſe erat, ſi finem, qui intenditur, conſequi volueris, ſive eo, quod habes, ipſemet indigeas; ad liberalitatem ſufficit voluntas. Recte igitur, ſi deſint vires, laudatur voluntas. Si quibus hæc paradoxa videntur, id quidem inde eſt, quod ex datione actuali, non ex voluntate dandi liberalitatem æſtiment, quaſi ſine datione actuali ea ſubſiſtere minime poſſit, conſequenter hæc virtus eorum propria ſit, qui ad dationes gratuitas ſufficiens patrimonium habent: quæ opinio facile ad illiberalitatem ducit, & ad eam excuſandam trahitur. Qui eadem imbutus eſt, omnem de liberalitate cogitationem abjicit, & nimis ſerum foret ejus ſtudium, ubi ad meliorem fortunam pervenit.

Digitized by Google

§. 386.

De gradu liberalitatis æſtimando.

Quantum unusquisque ſit liberalis, non æſtimandum eſt ex quantitate doni, ſed ex ratione hujus ad vires patrimonii & propenſione voluntatis ad dandum. Liberalitatis enim eſt dare dona pro modo facultatum ſuarum (§. 374.), & in ea potiſſimum ſpectanda eſt propenſio animi ad dandum, ita ut propterea non deſinat eſſe liberalis, qui non habet in patrimonio ſuo, quod dare poſſit (§. 385.), & ut detur animo hilari atque lubenter (§. 380.). Quantum ergo unusquisque liberalis ſit, non æſtimandum eſt ex quantitate doni, ſed ex ratione hujus ad vires patrimonii & propenſione animi ad dandum.

Cum unusquisque noverit vires patrimonii ſui, ſibique conſcius ſit animi ſui; de gradu liberalitatis propriæ non adeo difficile eſt judicium, modo noveris, cuinam (§. 367. & ſeqq.), ob quem finem (§. 379.) & quo animo ſit dandum (§. 380.). Sed cum vires patrimonii alieni non æque nobis ſint perſpectæ, multo minus autem pateat propenſio animi ad dandum in eo caſu, in quo lex naturæ dationes gratuitas exigit; de liberalitate alterius difficillimum plerumque judicium eſt. Multa igitur circumſpectione opus eſt, ne temerarium ſit judicium & iniquum. Vulgo liberalitatem tantummodo æſtimant ex quantitate & frequentia dationum gratuitarum; ſed quam fallax ſit hæc æſtimatio, abunde patet ex iis, quæ in præcedentibus demonſtrata ſunt. In genere autem notandum eſt de alienis actionibus mitius eſſe debere judicium, ut facile admittatur interpretatio in meliorem partem, ne forſan injurius ſis in alterum; de noſtris autem maxime ſeverum, ne profectus in bono impediatur. In caſu vel tantiſper dubio judicium ſuſpendendum & Deo, cui animi arcana intime perſpecta ſunt, in totum relinquendum, cum nemo te conſtituerit judicem actionum alienarum non alio fine noſcendarum, quam ut te noſcere ac perficere diſcas, aliis vero te utilem præbere poſſis. Cete-

rum

Digitized by Google

rum probe notandum eſt, nos non dicere, quod gradus liberalitatis æſtimandus ſit ex ratione doni ad patrimonium, ſed ex ejus ratione ad vires patrimonii. In his enim æſtimandis attendendæ ſunt expenſæ ceteræ, quas quis facere tenetur, conſiderandum quoque eſt, quantum quis proſpicere debeat futuræ neceſſitati (§. 369. *part.* 4. *Jur. nat.*) & familiæ ſuæ (§. 729. *& ſeqq.* §. 1075. *& ſeqq. part.* 4. *Jur. nat.*). Quemadmodum vero experientia ſatis ſuperque conſtat, quam fallax ſit de amplitudine patrimonii aliorum judicium; ita multo magis fallit, quod de viribus ejus fertur.

§. 387.

Quando non petentibus dandum.

Qui liberalis eſt, etiam non petentibus opis alienæ indigis ſubvenit. Liberalitatis eſt dare munera iis, qui iisdem indigent ad uſus honeſtos (§. 367.). Enimvero ſi quis alter ſibi non ſufficit ad perfectionem ſuam promovendam, & nos ad eandem quidpiam conferre valemus, altero non petente idem facere debemus (§. 664. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem ſi qui fuerint opis alienæ indigi, iis etiam non petentibus ſubvenit qui liberalis eſt.

Actus liberalitatis proficiſcuntur ex amore erga accipientem (§. 381.), & ad eos abunde ſufficit amor univerſalis, quo homo tanquam æque homo diligitur. Liberalis itaque bene cupit omni homini &, ſi in poteſtate ſua eſſet, omnibus alienæ opis indigis ſubveniret (§. 50.). Quodſi ergo novit alios quosdam, qui ope aliena indigent, & ipſorum indigentiam ſublevare in poteſtate ſua deprehendit, amor eum impellit ad ſubveniendum etiam non petentibus.

§. 388.

De occaſione liberalitatem exercendi quærenda

Quoniam *liberalis* opis alienæ indigis etiam non petentibus ſubvenit (§. 387.); *occaſionem liberalitatem exercendi quærit, non vero expectat,* cumque liberalitate vacuus non ſit ani-

& opis alienæ indigis aliorum liberalitati commendandis.

mus, etiamſi quis ipſe non habeat, quod indigenti dare poſſit (§. 385.), *ſi non habeat ipſe, quod dare poſſit, aliorum liberalitati commendat etiam non petentes.*

Liberalis dona dat pro modo facultatum ſuarum. Quamobrem ſi novit vires patrimonii ſui ſufficere ad benefaciendum aliis, cum animus ejus ad benefaciendum aliis propenſus ſit (§. 381.), ipſique volupe ſit benefacere aliis (§. 380.); occaſionem quoque aliis benefaciendi quærit, non modo ſua ſponte oblatam ambabus manibus amplectitur. Dantur etiam nonnulli, qui ad petendum timidi ſunt, dantur alii, quos petere pudet. Hiſce non petentibus ſubveniendum eſſe non dubitabit, qui amore impulſus ad benefaciendum aliis, aut bonum per alios promovendum impellitur. In hunc cenſum referendi ſunt, qui eccleſiæ miniſtris dant pecunias inter pauperes & egenos, vel etiam mendicos diſtribuendas (§. 238. *part. 1. Jur. nat.*). Cum quod quis per alios facit, per ſe feciſſe putandus ſit; ad liberalitatem recte refertur commendatio, qua efficitur, ut ab aliis accipiatur, quod quis ipſe daret, modo haberet. Atque hinc patet, quomodo liberalitatem actu exercere poſſit, qui non habet, quod alteri dare poterat, ut ideo tanto minus paradoxum videri debeat, quod modo oſtendimus, ſi quis habet animum in dona merentibus danda propenſum, non tamen tam amplum patrimonium, ut dona dare poſſit aliis, hoc tamen non obſtante liberalem eum eſſe poſſe. Notandum hic inprimis eſt fieri poſſe, ut ad dandum permoveatur, qui alias daturus non fuerat, aut ſaltem non accipienti. Plurimi dantur caſus particulares, qui ſub utraque propoſitionis præſentis parte continentur, quamvis ob circumſtantias plurimum variantes adeo diverſi appareant, ut nihil prorſus commune habere videantur. Quod autem huc pertineant haud difficulter deprehendet, qui animum ad ea ſaltem attendit, quæ in propoſitione præſente ſumuntur: id quod in aliis quoque notandum.

§. 389.

Digitized by Google

§. 389.

Liberalitatis potiſſima pars eſt opis alienæ indigis ſubvenire. Homines enim per ipſam naturam & eſſentiam ſuam obligantur conjunctis viribus mutuam perfectionem ſui ſtatusque ſui promovere (§. 221. *part. 1. Phil pract. univ.*), & unusquisque ad perfectionem alterius atque ſtatus ipſius conferre tenetur, quantum poteſt (§. 222. *part. 1. Phil. pract. univ.*), cumque natura uſus rerum neceſſarius promiſcue pateat omnibus (§. 19. *part. 2. Jur. nat.*), pro indigentia unius cujusque (§. 33. *part. 2. Jur. nat.*), dominia rerum introduci non potuerunt in ullius præjudicium, ita ut jus ad uſum neceſſarium eidem natura competens auferretur (§. 64. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem qui ipſe non habet, nec labore ſuo acquirere poteſt, quæ ad uſum neceſſarium ſufficiunt (§. 514. 515. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque ope aliena indiget; qui pecuniam aut res ſuperfluas habent, eidem ſubvenire debent (§. 239. 109. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque liberalitas regit dationes gratuitas legi naturæ convenienter (§. 365.); liberalitatis potiſſima pars eſt opis alienæ indigis ſubvenire.

Quænam potiſſima liberalitatis pars ſit.

Propoſitio hæc probe perpendenda, ſi liberales eſſe velimus, ut conſtet, quibusnam potiſſimum nos liberales præbere debeamus. Quodſi actus liberalitatis ex amore proficiſcantur, quemadmodum debent (§. 381.); ipſe amor nobis inſinuat, quod propoſitio præſens inculcat (§. 56. 57.). Vulgo tamen hoc non attenditur, ita ut, qui maxime liberales videri volunt, opis alienæ maxime indigos parum curent. Aſt hi ſunt, qui non ſatis intelligunt, quale jus ſit dominium & quo jure naturali ſalvo id introduci potuerit ac debuerit. Quamobrem ut agnoſcatur, quale jus ad id, quod nobis ſuperfluum eſt, competat iis, qui ipſimet non habent, quod vel quantum ad uſum neceſſarium ſufficit; idem altius repetendum, quemadmodum demonſtratio propoſitionis præſentis indi-

indicat. Quodſi ergo id penitus perſpicere volueris, neceſſe eſt, ut obligationem naturalem inſerviendi aliis & communionem primævam atque rationem, cur dominia introduci neceſſe fuerit, intime perſpicias. Qui in ſyſtemate Juris naturæ, in quo omnes hominum obligationes atque jura continuo nexu traduntur, ſatis fuerit verſatus, ut intelligat, quomodo obligationes aliæ juraque alia ex aliis naſcantur & ex quonam tandem fonte omnia emanent; is quoque de dominio ſuo & ejus recto uſu ſentiet, quemadmodum debet, & ideo quoque clariſſime perſpiciet, quamnam præcipuam partem ſibi vindicet liberalitas. Lex naturæ omnibus hominibus conſulit, nec uni magis favet, quam alteri, conſulit autem omnibus conjunctim, non vero ſingulis in ſingulari. Quodſi ergo omnes actiones ſuas eidem confirmarent, nemo culpa ſua careret, quo maxime indiget, nec ope aliena, ſi merum infortunium ipſum opis alienæ indigum efficeret. Sed hic ſtatus pro præſenti rerum conditione non ſperandus, inter pia ſaltem deſideria referendus. Propterea tamen non inutilis videri debet ejus cognitio, aut prorſus contemnenda: noſtrum enim eſt, ne culpa noſtra committatur, quod eidem adverſatur. Atque huc inprimis animum advertere jubet liberalitas, qua ad eundem conferendum, quod in poteſtate noſtra eſt. Abſit autem, ut tibi perſuadeas liberalitatem patrocinari ignaviæ aliorum. Lex enim naturæ, quæ opis alienæ indigo ſubvenire vult, neceſſitatem quoque laborandi urget, ne ope aliena indigeamus (§. 514. *part. 1. Jur. nat.*), nec ulli otiari permittit (§. 515. *part. 1. Jur. nat.*), ut culpa ſua ſe efficiat opis alienæ indigum. Cum liberalitati non perinde ſit, cuinam detur (§. 366. ; qui eam rite exercere voluerit, hoc quoque ponderare debet.

§. 390.

Liberalis quibusnam Quoniam liberalitatis potiſſima pars eſt opis alienæ indigis ſubvenire (§. 386.), pauper vero eſt, cujus patrimonium

um nonniſi res neceſſarias continet, egenus, in cujus patrimonio res etiam neceſſariæ deficiunt, mendicitas vero in defectu rerum omnium neceſſariarum conſiſtit, ita ut pauperi ſaltem ſuppetant, quæ ad vitæ neceſſitatem ſufficiunt, egeno autem etiam deſint, quæ vitæ neceſſitas exigit, mendicus denique careat iis, quæ ad extremam vitæ neceſſitatem requiruntur (§. 238. *part. 4. Jur. nat.*); *liberalitati maxime convenit, ut pauperibus, egenis & mendicis ſubveniatur.* *maxime ſubvenire debeat.*

Ut propoſitio præſens ſatis intelligatur, conſideranda eſt differentia, quæ inter res neceſſarias, utiles & voluptuarias intercedit (§. 499. *& ſeqq. part. 1. Jur. nat.*), & perpendendum quoque eſt, quænam aliis ſint præferendæ (§. 502. *part. 1. Jur. nat.*). Inprimis autem apparebit, rerum neceſſariarum indigis omnium maxime eſſe ſubveniendum, conſequenter liberalem omnium maxime rationem habere debere egenorum & mendicorum in exercenda liberalitate. Ne autem in æſtimandis rebus neceſſariis a vero aberres, ex definitione earum de iis ſtatuendum. Hæc ideo monemus, quia vulgo res neceſſariæ reſtringuntur ad ea, quæ ad vitæ ac ſanitatis conſervationem requiruntur, cum tamen in earum quoque numero ſint, quæ ad animam perficiendam faciunt (§. 499. *part. 1. Jur. nat.*). Studioſo egeno, qui ſine libro diſcere nequit, res non minus neceſſaria eſt liber, quam eſurienti fruſtum panis, quod ad explenda ſtomachi latrantis deſideria datur. Cur egeſtatem a paupertate diſtingvamus, & cur ita, non aliter diſtingvamus, quemadmodum in propoſitione præſente ſumitur, dedimus jam alias (*not.* §. 238. *part. 4. Jur. nat.*). In vernaculo ſermone communi uſu loquendi non refragante, ſi ab inconſtantia loquendi liberetur, pauperem einen Armen, egenum einen Dürſtigen, mendicum einen Bettler appellamus, quamvis vocabulum primum etiam de egeno & mendico dicatur, quatenus nimirum dives ac pauper ſibi mutuo opponuntur, neque in divitiis, neque in paupertate

Digitized by Google

attenduntur gradus, quos dari nemo ignorat. In praxi autem morali apprime neceſſarium eſt, ut gradus iſti conſiderentur, prouti præſens de liberalitate tractatio vel ſola ſatis docet.

§. 391.

Ad objectum liberalitatis referri eleemoſynas.

Quoniam liberalitati maxime convenit, ut mendicis & egenis ſub veniatur (§. 390.), dantur autem mendicis (§. 51. 52. *part. 4. Jur. nat.*), & egenis in his, quæ labore ſuo acquirere nequeunt, ad ſublevandam extremam neceſſitatem eleemoſynæ (§. 244. *part. 4. Jur. nat.*); *liberalitas maxime verſatur circa eleemoſynas*, conſequenter cum ea regat dationes gratuitas legi naturæ convenienter (§. 365.), *eleemoſynas* quoque *legi naturæ convenienter regit*, ideoque *qui liberalis eſſe vult, ſcire debet, quibusnam eleemoſynam dare jubeat lex naturæ, quantum dare, quo fine & quo animo dare debeat* (§. 366.).

Idem etiam oſtenditur hoc modo. Liberalitas verſatur circa donationes, beneficia quæ in dando conſiſtunt (§. 48. *part. 4. Jur. nat.*), easque regit legi naturæ convenienter (§. 365.). Sunt vero beneficia, quæ in dando conſiſtunt, etiam eleemoſynæ (§. 56. *part. 4. Jur. nat.*), ſeu munuſcula ſunt eleemoſynæ, quæ dantur ad ſublevandam extremam vitæ neceſſitatem (§. 51. *part. 4. Jur. nat.*). Liberalitas itaque etiam verſatur circa eleemoſynas, easdemque legi naturæ convenienter regit.

Monuimus jam alias eleemoſynam eſſe vocabulum eccleſiaſticum & rationem reddidimus, cur conſultum ſit eodem etiam uti in Philoſophia morali (*not.* §. 51. *part. 4. Jur. nat.*). Reſtringuntur vulgo eleemoſynæ ad mendicos, qui tanta rerum inopia laborant, ut deſint ea, quæ extrema vitæ neceſſitas exigit (§. 52. *part. 4. Jur. nat.*), veluti ſi deſint veſtes, quibus nuditas tegenda, aut deſint cibi, quibus fames depellenda, atque hoc convenire videtur definitioni eleemoſynæ, quæ

datur

datur ad ſublevandam vitæ neceſſitatem (§. 51. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quamobrem definitioni eleemoſynæ contrarium videri poterat, quod ea etiam danda ſit egenis. Tenendum itaque eſt, egeſtatem quoad ea, quæ ad vitæ neceſſitatem deſunt (§. 238. *part.* 4. *Jur. nat.*), mendicitati æquiparari, ſiquidem eadem labore ſuo acquirere nequit egenus (§. 243. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quamobrem cum hoc reſpectu egenis dentur eleemoſynæ (§. 244. *part.* 4. *Jur. nat.*).); non dantur ipſis, niſi quatenus conſiderandi ſunt inſtar mendicorum. Equidem vitio hominum mendici nomen contemtui patet, ita ut mendicus etiam per convicium dicatur, ideoque famæ ſuæ ſtudioſos pudeat petere ab aliis ea, quæ ad ſublevandam extremam vitæ neceſſitatem ipſis deſunt; in Philoſophia vero non attenduntur opiniones turbæ, ſed inhærendum eſt ſignificatui fixo vocabulorum rebus convenienter determinato. Ex ipſis enim rebus ſapere debemus, non ex opinionibus hominum: ſit ita quod in communi ſermone abſtinendum ſit a vocabulis, quorum ſignificatui opinio hominum aliquid ignominiæ afflavit, ne contemnere, aut conviciari prorſus videamur alios ac eorum famæ labem quandam adſpergere velle. Pertinet hæc cautio ad iſtud genus, ad quod retulimus cautionem de uſu vocabulorum in defendenda fama ſua (§. 277.). Etenim utraque intenditur remotio ſuſpicionis animi alios conviciandi. Non ſolum parum ſibi conſulunt, verum etiam minus recte faciunt, qui pudore adducti egeſtatem ſuam celare ſtudent, ne liberalitate aliorum ipſis ſubveniri poſſit. Eo igitur fine addere lubet propoſitionem ſequentem.

§. 392.

Paupertas, egeſtas & ipſa mendicitas, in quam quis mero infortunio ſuo, aut culpa facile excuſanda incidit, ignominiæ eidem non ſunt. Quodſi vero quis vitio quodam ſuo, aut culpa, quam facile evitare poterat ac debebat, ad paupertatem, egeſtatem, vel ipſam men-

Num paupertas, egeſtas & mendicitas ignominiæ ſint.

mendicitatem redigitur, tantam ignominiam arguunt, quantam parit vitium, vel culpa, cui debentur. Paupertas, egeſtas & mendicitas conſiſtunt in defectu bonorum fortunæ (§. 238. *part. 4. Jur. nat.* & §. 556. *Pſych. empir.*). Cum honor & laus conſiſtant in ſignificatione judicii noſtri de aliorum perfectione (§. 538. 541. *part. 1. Jur. nat.*), ignominia autem in judicio de imperfectione, quatenus ejus cauſa libera ſumus (§. 811. *part. 1. Jur. nat.*); ignominia honori ac laudi opponitur. Quemadmodum itaque bona fortunæ non pariunt exiſtimationem, honorem ac laudem, niſi quatenus concurſu virtutum intellectualium & moralium fuerunt acquiſita (§. 649. *part. 4. Jur. nat.*); ita ex adverſo bonorum fortunæ carentia, conſequenter paupertas, egeſtas & ipſa mendicitas ignominiam parere nequit, niſi quatenus in eam incidimus vel vitio quodam noſtro, veluti luxu, vel otio, aut culpa minime excuſanda. Quamobrem paupertas, egeſtas & ipſa mendicitas, in quam quis mero infortunio ſuo, aut culpa facile excuſanda incidit, ignominiæ eidem non ſunt: quodſi vero vitio quodam ſuo, aut culpa minime excuſanda ad paupertatem, egeſtatem, vel ipſam mendicitatem redigitur, tantam ignominiam arguunt, quantam parit vitium, vel culpa, cui debentur.

Carere bonis fortunæ utique malum eſt (§. 567. *Pſych. empir.*), ideoque nec paupertas, nec egeſtas, multoque minus mendicitas bona dici poteſt (§. 238. *part. 4. Jur. nat.*). Aſt quæ homini ignominiæ ſunt mala ſunt, quorum ipſe cauſa libera eſt (§. 827. *part. 1. Jur. nat.*). Quodſi ergo quis mero infortunio, aut culpa facile excuſanda, quæ infortunio æquiparatur, in paupertatem, egeſtatem, vel ipſam mendicitatem incidit; id ipſi ignominiæ verti nequit. Nihil *per hypotheſin* adeſt in paupertate, egeſtate, vel mendicitate, quod pauperi, egeno, vel mendico imputari poſſit. Iſtiusmodi ergo perſonæ

ſone miſeratione, non reprehenſione dignæ ſunt. Quoniam intellectus regere debet affectus (§. 528. *part. 2. Eth.*), nulla adeſt ratio, cur quem pudeat paupertatis, vel egeſtatis, aut ipſius mendicitatis. Quodſi vero vitio, vel culpa ſua ſe ad paupertatem, vel egeſtatem, aut prorſus ad mendicitatem redegit, ipſum pudeat, quod hoc fecerit, nec tempeſtive vitium emendaverit, aut culpam evitaverit, quam evitare poterat, atque debebat. Ceterum quoniam opinio turbæ tyrannus eſt, cui ſe ſubjicere haud raro conſultum eſt, mali cujusdam evitandi, vel boni non impediendi cauſa, quantum illæſa conſcientia fieri poteſt; ideo non ſemper vitio verti poteſt egeno, ſi egeſtatem celat. Atque hi maxime merentur, ut in ſilentio ipſis ſubveniatur, ne ſublevata eorum egeſtate opus habeant, ut hujus ipſos pudeat. Referendi hi ſunt in illorum claſſem, quibus non petentibus liberalis ſubvenit (§. 387.), occaſionem liberalitatem exercendi quærens, non demum expectans (§. 388.).

§. 393.

Cuinam eleemoſyna danda.

Liberalitas requirit, ut eleemoſynæ non dentur, niſi iis, qui laborare nequeunt viribus deficientibus, vel quibus deeſt occaſio laborandi. Etenim liberalitas dationem eleemoſynarum regit legi naturæ convenienter (§. 390.). Vult autem lex naturæ, ut eleemoſyna detur nonniſi iis, qui labore ſuo tantum acquirere nequeunt, quantum ad vitæ neceſſitatem ſufficit (§. 220. *part. 4. Jur. nat.*). Quoniam itaque fieri nequit, ut quis labore ſuo tantundem acquirat, quantum ad vitæ neceſſitatem ſufficit, ſi deficiunt vires, vel ſi deſit laborandi occaſio; quod per ſe patet, liberalitas requirit, ut eleemoſynæ non dentur niſi iis, qui laborare nequeunt deficientibus viribus, vel quibus deeſt laborandi occaſio.

Ex defectu virium, vel occaſionis laborandi metiendum eſt jus eleemoſynam petendi, ſeu meritum petentis (§. 221. *part.*

4. *Jur.*

4. *Jur. nat.*). Propoſitio igitur præſens inculcat, ut nonniſi merentibus eleemoſyna detur. Cum omni homini ſit laborandum (§. 514. *part.* 1. *Jur. nat.*), nemini otiandum (§. 515. *part.* 1. *Jur. nat.*), & quilibet in labore aſſiduus eſſe debeat, quantum permittit ſanitas corporis (§. 537. *part.* 1. *Jur. nat.*), nemo autem alterum inducere debeat, ut legem naturæ transgrediatur (§. 701. *part.* 1. *Jur. nat.*); ignaviam eorum, qui otio delectantur, & mendicare potius, quam laborare malunt, fovere minime debemus. Iſtiusmodi mendici objurgandi potius ſunt, quod eos mendicare non pudeat, & rectius iisdem conſulitur, ſi ab otio ad laborem revocentur. Quoniam vero hic plus valet publica autoritas, quam privata: de eo diſertius dicendum in Politica.

§. 394.

Cautio adhibenda.

Quoniam liberalitas requirit, ut eleemoſynæ non dentur niſi iis, qui laborare nequeunt, deficientibus viribus, vel quibus deeſt laborandi occaſio (§. 393.), & facile quidem apparet, num quis ſufficientibus viribus inſtructus ſit, ut laborare poſſit, non vero æque facile eſt judicium de occaſione laborandi, præſertim cum hic quoque conſiderandum ſit, utrum quis labore ſuo tantundem acquirere poſſit, quantum ad vitæ neceſſitatem ſufficit, & de mendicitate in caſu dubio judicium relinquendum eſt mendicanti (§. 228. *part.* 4. *Jur. nat.*); *in caſu dubio eleemoſyna potius danda, quam deneganda*, ut abſit metus, ne forte denegetur merenti.

In orphanis, ſenibus decrepitis & vitio corporis aut morbo quodam laborantibus laborandi impotentia manifeſta eſt: ſed laborandi opportunitas pendet a circumſtantiis, quæ danti non æque in oculos incurrunt, neque aliunde notæ ſunt. Communis autem regula eſt, ut in caſu dubio eligamus, quod eſt tutius. Pars vero tutior eſt, quæ non conjuncta eſt cum periculo non ſatisfaciendi obligationi ſuæ, & legi naturæ convenit,

Digitized by Google

venit, ut in caſu dubio judicium de mendicitate mendicanti relinquatur (§. 208. *part.4. Jur. nat.*), ideoque eodem ſtetur. In dijudicando igitur merito mendici tanto minus ſcrupuloſus eſt liberalis homo, quia dat lubenter, nec ſine gaudio (§. 380.). Erunt igitur nonnulli, qui exiſtimaturi ſunt, in Moralibus, cum proponenda ſint ea, quæ ad ſtudium virtutis promovendum faciunt, talia non eſſe proferenda, quibus homines illiberales abuti poſſunt ad palliendum illiberalitatem ſuam. Hoc enim modo magis noceri, quam conſuli miſeris, quorum gratia liberalitas urgenda. Aſt qui ita ſentiunt, quid ſit virtutis non penitus perſpiciunt. Virtutis eſt actiones ſuas legi naturæ conformare (§. 321. *part. 1. Jur. nat.*). Quo minus itaque actio ab hac regula aberrat, eo minus virtus aliqua parte deficit, quæ nulla deficere debet, ut ſit perfecta. Quoniam itaque ad majorem profectum continuo eniti debemus (§. 180. *part. 1. Jur. nat.*); quid lex naturæ præcipiat de quolibet actionum genere intime nobis perſpectum eſſe debet. Facit hoc ad noſcentiam ſui, quæ nos docet, quantum in bono profecerimus, quantum adhuc deficiamus (§. 22. *part. 4. Eth.*), ut ardor in bono proficiendi incendatur, & defectus ſuppleatur (*not.* §. *cit.*). Qui abutuntur iis, quæ lex naturæ de actionum rectitudine præſcribit, ad patrocinandum vitio, virtutem nondum amant, ſed animum procul adhuc ab ea remotum habent. Quamvis itaque ignorantia prodeſſe videtur, ut actio externa non omittatur, quæ legi naturæ convenit; nondum tamen efficitur, ut ea ſit virtutis. Obtinet in hiſce vulgaris regula, propter abuſum non tollendum eſſe uſum.

§. 398.

Unius liberalitate non proſpici poteſt omnibus opis alienæ indigis, immo nec ſemper uni. Liberalitatis potiſſima pars eſt ſubvenire opis alienæ indigis (§. 389.). Conſtat autem experientia, quam multi ſint, qui ope aliena indigent, & quot emergant caſus indigentiæ. Quantumcunque igitur fuerit

Quouſque liberalitas extendi nequeat.

alicujus patrimonium, unus tamen omnibus non ſufficit, præſertim cum lex naturæ minime velit, ut des alteri id, quo ipſemet indiges (§. 109. *part. 4. Jur. nat.*), neque liberalitati, quæ pro modo facultatum dari jubet (§. 374.), convenit, ut alienæ opis indigis ſubveniendo teipſum indigum facias. Quamobrem fieri haud quaquam poteſt, ut unius liberalitate omnibus opis alienæ indigis proſpiciatur, immo ne quidem ſemper uni.

Veritas hujus propoſitionis adeo manifeſta eſt, ut etiam ſine probatione admittatur & in numerum eorum referri poſſit, quæ ſumuntur. In ſyſtemate tamen eandem demonſtrari fas eſt, ut conſtet conſenſus impoſſibilitatis phyſicæ cum morali, nec ejus ignorantia liberalitas in prodigalitatem vertatur (§. 378.), neque etiam obtentu impoſſibilitatis phyſicæ tenacitati patrocinemur (§. *cit.*). Nimirum non ſufficit, aliquid neceſſario admittendum eſſe tanquam verum; ſed neceſſe etiam eſt, ut ſciamus, ob quasnam rationes admittendum ſit, præſertim ubi phyſicæ cum moralibus concurrunt & morales impotentiam agendi extendunt, quemadmodum in præſenti caſu obtinet. Multa circumſpectione opus eſt, ne judicium de nimietate demonſtrandi præcipitetur.

§. 396.

Obligatio dandi eleemoſynas quomodo teneat ſingulos.

Quoniam fieri non poteſt, ut unus omnibus alienæ opis indigis ſubveniat, immo nec ſemper uni ſolus dare poteſt, quantum ſufficit (§. 395.), qui vero aliis ſubvenire poſſunt conjunctim obligantur (§. 221. *part. 2. Phil. pract. univ.*) ope alienæ indigis univerſim (§. 222. 232. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *Qui egenis & mendicis ſubvenire poſſunt, ſinguli pro modo facultatum ſuarum contribuere tenentur*, ideoque *eleemoſynæ munuſcula ſunt* (§. 51. *part. 4. Jur. nat.*), *quæ a pluribus petenda.*

Lex naturæ obligationes generaliter determinat, nec ſingulos ſingulis, ſed univerſos univerſis commendat conſtituens

certa

certa genera eorum, qui obligantur, & illorum, quibus obligantur, nec obligationem extendit ultra id, quod in poteſtate eſt. Cum obligatio, quæ tenet univerſos, teneat ſingulos pro eo, quod in poteſtate eſt; Lazaro non modo tu obligaris, ſed obligantur ceteri omnes, qui habent, quæ dare poſſunt. Quamobrem a te petere nequit, quantum ſufficit; ſed petendum quoque a ceteris, ut contribuant. Quamvis vero hoc vulgo fieri ſoleat, ipſaque rerum humanarum conditio non aliud admittat; neceſſe tamen eſt, ut agnoſcatur, hoc recte fieri, cum omnia facere debeamus cum ſenſu officii, conſequenter ut certi ſimus, nos hac ratione ſatisfeciſſe obligationi noſtræ. Hoc modo lex naturæ abundanter conſulit omnibus opis alienæ indigis, & unum multis efficit utilem. Atque hoc amori univerſali, quem urget (§. 619. *part. 1. Jur. nat.*), maxime convenit, & ad eum promovendum facit. Quemadmodum dantur rationes, cur unus in præſtatione officii, quod pluribus præſtari nequit, præferatur; ita quoque dantur ſubinde rationes, cur uni ſolus proſpicias, quantum ſufficit ad ſubveniendum indigentiæ ipſius, veluti ſi des veſtem qua indiget, aut ſtudioſo egeno utaris quotidiano convictore. Atque tum eleemoſyna vertitur in beneficium, quod propius ad donationem accedit, ſicuti ex adverſo menſæ ambulatoriæ propius ad eleemoſynam accedunt. Quodſi tamen rem ipſam in ſe conſideres, non juxta turbæ opinionem de ea ſtatuas; eleemoſynæ ſpeciem non mutat, quod datur ad ſublevandam extremam vitæ neceſſitatem, ſive detur ab uno, ſive a pluribus conjunctim. Et ſi unus uni ſolus proſpicit, ceteri, quod conferre poterant ac debebant, eleemoſynis a ſe dandis imputare poſſunt ac debent, nec is reprehendendus eſt, ſi pluribus det parcius. Commendavimus jam aliquoties analyſin exemplorum moralem: utilis ea eſt etiam in datione eleemoſynarum, ut intimius perſpiciatur, cum nimia circumſtantiarum varietas ſicuti actionum humanarum omnium, ita quoque dationem eleemoſynarum infinitie variet. Ceterum quamvis nonnulla videantur non ſatis convenire privato liberalitatis

exercitio; uſum tamen magis manifeſtum habent in Politica, quemadmodum ſuo loco eluceſcet. Atque tum conſtabit de rectitudine eorum, quæ conſtituuntur in Rep. exactum non fieri poſſe judicium, niſi illa cognoſcuntur. Philoſophi autem eſt omnium rationem, quantum datur, penitus perſpicere. Latent profunda in obviis, quæ non animadvertuntur niſi ab iis, qui obvia altius perſpicere non dedignantur.

§. 397.

Quo fine danda eleemoſyna.

Eleemoſyna danda eo fine, ut egenos atque mendicos a miſeria liberemus, aut eam pro virili ſublevemus. Danda enim eſt eleemoſyna iis, qui labore ſuo acquirere nequeunt, quæ ad extremam vitæ neceſſitatem requiruntur (§. 51. 393.), ideoque egeſtate, vel mendicitate premuntur (§. 238. *part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem cum egeſtas atque mendicitas miſeria ſit (§. 255. *part. 4. Jur. nat.*); eleemoſyna danda eo fine, ut vel ab eadem liberentur, aut ea, cum pro modo facultatum detur, pro virili ſublevetur.

Ponamus hominem carere veſte, qua nuditatem tegere & adverſus tempeſtatum injurias corpus munire poſſit. Carentia hæc utique miſeria eſt, ſi labore ſuo tantum acquirere nequeat, ut veſtem ſibi comparare queat (§. 254. *part. 4. Jur. nat.*). Quodſi quis ipſi dat veſtem, a miſeria liberatur. Si vero ſaltem contribuit pro modo facultatum ſuarum, aliis ſimiliter facientibus, ut veſtem ſibi comparare poſſit, pro virili miſeriam ejus ſublevat. Ponamus opificem, cui deeſt pecunia ad hoc ſufficiens, ut opificio ſuo tantum acquirat, quantum ad ſuſtentationem ſui requiritur. Quodſi quidam opulentus ipſi mutuat pecuniam, absque ullis uſuris, ut penuriæ ejus ſubveniatur; a miſeria liberatur. Uſurarum enim remiſſio eleemoſynæ ſpeciem habet intuitu egeſtatis, quæ hoc modo tollitur. Similiter ſi quis morbo quodam affligitur, caret autem pecunia ad medicamenta redimenda, det vero aliquis ipſi tan-

tantum pecuniæ ut ea redimat; a miſeria liberatur. Ordinarie eleemoſynæ ſaltem dantur ad ſublevandam miſeriam, quatenus non ab uno, ſed a pluribus datur, quantum ad vitæ neceſſitatem ſufficit. Dantur vero etiam caſus, in quibus nec a pluribus datur, quantum ad liberationem a miſeria ſufficit. Ponamus fatali incendio aliquem ad mendicitatem eſſe redactum. Quodſi dentur eleemoſynæ ad reparandum damnum, quod paſſus eſt, non tamen hæ ſufficiant ad egeſtatem tollendam; a miſeria ſua non prorſus liberatur. Equidem eleemoſynarum hæc efficientia eſt, ut egeni atque mendici a miſeria liberentur, vel ea ſaltem ſublevetur, quod plerumque accidit, ſi vel maxime qui dant id non intendant; hoc tamen non obſtat, quo minus intendi debeat, quemadmodum ex ſequentibus clarius adhuc eluceſcet.

§. 398.

Datio eleemoſynarum ex miſericordia proficiſci debet. Eleemoſynæ enim dari debent eo fine, ut egeni atque mendici a miſeria liberentur, aut ea pro virili ſublevetur (§. 397.); conſequenter ad dandum eleemoſynam nos commovere debet miſeria accipientis, ideoque hæc ipſa miſeria motivum eſt dandi eleemoſynam (§. 887. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum miſericors ſit, cui alterius miſeria motivum eſt eum a malis, quibus affligitur, gratis liberandi, aut ſaltem ea tolerabilia efficiendi (§. 256. *part. 4. Jur. nat.*); datio eleemoſynarum ex miſericordia proficiſci debent. *Fons dationis eleemoſynarum.*

Sumitur hic miſericordia pro virtute, quæ requirit animum miſeros a miſeria liberandi, aut, ſi id in poteſtate noſtra non fuerit, eam ſaltem ſublevandi, quantum in poteſtate fuerit (§. 397.). Ex hac igitur virtute proficiſci debent eleemoſynæ, ut datio recta ſit, nec quicquam in ea deſideretur. Qui miſericors non eſt, aut prorſus non dat eleemoſynas, aut dat propter finem alium, quam quem exigit lex naturæ (§. 397.),

veluti propter famam, aut ut depellatur moleſtia ex inſtantia petentis oriunda. Eleemoſynæ ſunt opus miſericordiæ (§. 260. *part.* 4. *Jur. nat.*), ſi nimirum dentur eo fine, cujus gratia lex naturæ eas urget: neque enim in moralibus aliter conſiderantur actus, quam quales eſſe debent, ut ad virtutem adſcribi poſſint, nec attenduntur vitia, quæ labe quadam eos inficiunt. Et in Ethica inculcandum, quomodo ab omni labe purgentur, ut animus efficiatur purus. In hac igitur datio eleemoſynarum non concipitur ſine miſericordia.

§. 399.

Quo animo eleemoſynæ dandæ & quomodo is acquiratur.

Quoniam datio eleemoſynarum ex miſericordia proficiſci debet (§. 398.), miſericordia autem requirit, ut egeni, vel mendici miſeria commoveamur ad eos a malis, quibus premuntur, liberandum, vel ea ſaltem tolerabilia efficiendum, quantum in poteſtate eſt (§. 256. *part.* 4. *Jur. nat.*); *dans eleemoſynas habere debet animum egenos & mendicos a miſeria liberandi, vel ea ſaltem pro virili tolerabilia efficiendi, ſeu miſeriæ ipſorum ſubveniendi, quantum in poteſtate eſt*, conſequenter *officio erga egenos atque mendicos ſatisfacturus miſericordiæ ſtudere tenetur*, cumque liberalitas maxime verſetur circa eleemoſynas (§. 391.), *qui liberalitati ſtudet, ſedulam quoque operam navare tenetur miſericordiæ, ab ea minime ſejungendæ.*

Accedit miſericordia ad liberalitatem, ſi egenis atque mendicis ſubveniendum, & cum ea copulatur. Atque ideo accidit, ut non omnes dationem eleemoſynarum penitius inſpiciant. Datio eleemoſynarum actus liberalitatis eſt, quatenus eſt gratuitus; aſt miſericordiæ, quatenus dantem miſerat egenorum & mendicorum. Miſeret nos ejus, ob cujus miſeriam dolorem animo concipimus, qui in aliis actibus liberalitatis nullus eſt, cum liberalis det animo hilari (§. 380.), nec adſit aliquod malum, quo premitur accipiens, & quod affectum commiſerationis excitare poſſit. Miſericordia merito tan-

tanquam peculiaris virtus concipitur, quamvis ſororio vinculo cum liberalitate copulari debeat, ne hæc unquam a rectitudine ſua deficiat. Immo ſi liberalitas ex vero fonte fluit, ſua quaſi ſponte miſericordiam ſibi ſociabit.

§. 400.

Eleemoſyna danda eſt animo hilari ac lubenter. Datio enim eleemoſynarum ad liberalitatem pertinet (§. 391.). Aſt quæ dat qui liberalis eſt, ea animo hilari ac lubenter dat (§. 380.). Ergo etiam eleemoſyna danda eſt animo hilari ac lubenter. *Idem porro expenditur.*

In propoſitione præcedente oſtendimus, miſerandi animo eleemoſynas dari debere. Cum commiſeratio ſit triſtitia ex alterius infelicitate, ſeu miſeria ejus (§. 254. *part. 4. Jur. nat.*), percepta (§. 687. *Pſych. empir.*); contradictorium videri poterat, dare eleemoſynam animo hilari, hoc eſt, non ſine gaudio, & dare miſerandi animo, hoc eſt, non ſine dolore ex alterius miſeria percepto. Enimvero conſiderandum eſt, in datione eleemoſynæ diverſo reſpectu concitari gaudium & triſtitiam, ut oriatur affectus quidam mixtus, in quo gaudium triſtitiæ detrahit quod moleſtum eſt, cum naſcenti uni alter ſubito accedat, ita ut non tam ſenſu, ſeu actu apperceptionis, ſed perceptionum confuſarum evolutione unus ab altero diſtingvatur, quemadmodum quoque experiri datur, ſi uterque reſpectus ſigillatim expendatur & in uno attentio per ſpatium temporis perceptibile defigatur. Quando malum, quo miſer premitur, in oculum noſtrum incurrit, vel alio modo nobis innoteſcit; commiſeratio ſtatim oritur: quæ cum tendat ad liberandum miſerum a miſeria, aut, ſi id fieri non poſſit, ad eam ſublevandam, vel leniendam, immo etiam avertendam (§. 333. *part. 2. Eth.*), liberalitas dationem eleemoſynæ, quæ ſpectatur tanquam actus virtutis & in ſpecie quoque tanquam medium ſubveniendi miſero, gaudium parit. Miſericordia & Liberalitas cum virtutes ſint (§. 249. 256. *part. 4. Jur. nat.*), ideoque habitus voluntatis (§. 547. *part.* *1. Jur.*

1. Jur. nat.), & affectus formaliter inſint appetitui & averſationi ſenſitivæ, quemadmodum per eminentiam rationali (§. 594. *part. 2. Eth.*); iſtæ modificationes animæ tanta celeritate ſe invicem conſequuntur, ut ſingulæ ſigillatim non appercipiantur (§. 428. *Pſych. empir.*), ſed confuſione facta pro una habeantur. Quodſi hæc ſubtiliora videantur nonnullis, quam ut ea capere poſſint; illi ſaltem conſiderent, minime repugnare, ut ex miſeria alterius dolorem concipias, ex actu autem tuo, quo eidem ſubvenis, voluptatem, conſequenter ut detur animo hilari ei, cujus miſeria non ſpectabatur niſi animo triſti & te ad dandum commovebat. Si vero in hiſce nihil difficultatis ſupereſt, modo quid habitui conveniat, ſufficienter expendas; facile quoque intelliges, quæ de miſericordia & liberalitate modo diximus, tibique non amplius paradoxa videbuntur. Non inutile erit ea relegere, quæ de modo detegendi latebras in actibus ex habitu profluentibus docuimus (§. 77. *part. 1. Eth.*).

§. 401.

De nexu miſericordiæ cum amore.

Qui miſericors eſt, miſeros amat. Qui enim miſericors eſt, miſeros a malis, quibus affliguntur (§. 254. *part. 4. Jur. nat.*), liberare ſtudet, aut illa ſaltem tolerabiliora efficere, quantum in poteſtate ſua eſt (§. 256. *part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem cum id, quod alteri moleſtiam parit, averſetur; ex tædio, ſive moleſtia alterius ipſe tædium, ſive moleſtiam percipit (§. 156. *part. 2. Eth.*). Enimvero ſi quis ex tædio alterius ipſe tædium percipit, vel ideo contriſtatur, quia alter triſtis eſt, eundem amat (§. 643. *Pſych. empir.*). Ergo qui miſericors eſt, miſeros amat.

Oſtenditur etiam hoc modo. Qui miſericors eſt, alterum a malo, quo affligitur liberare, aut ſaltem id tolerabilius efficere conatur, quantum in poteſtate ſua eſt (§. 256. *part. 4. Jur. nat.*). Quoniam alterius commiſeratur, qui a malo,

Digitized by Google

malo, quod ipſi tædia creat, aut triſtitiam, vel dolorem cauſatur, ſi poteſt, liberare ſtudet (§. 698. *Pſych. empir.*), conſequenter ad malum tolerabilius efficiendum confert, quantum poteſt; miſericors miſerorum commiſeratur. Enimvero qui alterius commiſeratur, eum amat (§. 692. *Pſych. empir.*). Miſericors ergo miſeros amat.

Poterat etiam oſtendi hoc modo. Miſericordia liberalitatis ſpecies eſt (§. 261. *part. 4. Jur. nat.*), conſequenter ab ea abeſſe nequit, quod ad liberalitatem requiritur. Enimvero actus liberalitatis proficiſcuntur ex amore erga accipientem (§. 381.). Quamobrem actus quoque miſericordiæ ex amore erga accipientem proficiſcuntur, conſequenter qui miſericors eſt, miſeros amat.

Miſericordia ſine amore concipi nequit, ſi quidem ſumatur pro virtute, quæ requirit animum legi naturæ conformem, non autem nudam actus externi cum eadem convenientiam. Ideo ſi commiſerationem concitare volueris, neceſſe eſt, ut non modo malum, quod te cruciat, ipſi patefacias, verum etiam ut amorem ejus in te concites (§. 325. *part. 2. Eth.*) & amor ante concitandus, quam malum repræſentandum (§. 326. *part. 2. Eth.*). Hinc etiam videas, deficiente amore non ſubveniri miſeris, quamvis ipſorum miſeria manifeſta ſit; ex adverſo autem eos ad opera miſericordiæ propenſum habere animum, qui alios homines amant. Immo ſi ratio amoris fuerit particularis, miſericordem ſe præbebit ei, quem amat, qui erga alios miſeros miſericors non eſt. Videmus etiam alios, qui miſericordes laudantur, miſericordiam inſuper habere, ſi qua particularis cauſa odii fuerit. Ceſſat tum commiſeratio, ideoque multo magis ſtudium miſeriam ſublevandi.

§. 402.

De medio liberalitatis & misericordiæ.

Amor univerſalis ad ipſos inimicos extenſus medium liberalitatis & miſericordiæ eſt. Actus liberalitatis ex amore erga accipientem proficiſcuntur (§. 381.), conſequenter qui liberalis eſſe vult, accipientem amare tenetur. Amare vero etiam tenetur miſerum, qui miſericors eſſe vult (§. 401.). Medium igitur liberalitatis atque miſericordiæ amor univerſalis ad ipſos inimicos extenſus eſt.

Quodſi homines omnes ſe mutuo amarent, omnes quoque forent liberales atque miſericordes. Tendit enim amor ad promovendam felicitatem & depellendam infelicitatem amati (§. 292. *part. 2. Eth.*). Amor ſtimulus eſt liberalitatis, quatenus continet cupiditatem felicitatem alterius promovendi, cum dationibus gratuitis tribuatur gaudium, idem vero ſtimulus miſericordiæ eſt, quatenus continet cupiditatem depellendi infelicitatem, cum ſubveniendo miſeris ſi non extinguatur triſtitia, ea tamen imminuatur, ſeu leniatur. Satis manifeſta hæc ſunt, modo noveris, in quonam felicitas & infelicitas conſiſtat (§. 636. & *ſeqq. Pſych. empir.*). Patet itaque, ex amore univerſali liberalitatem & miſericordiam ſua quaſi ſponte fluere. Amor ad utramque virtutem animum diſponit. Quam primum itaque liberalitas & miſericordia agnoſcitur, vel occaſio has virtutes exercendi offertur, actus utriusque virtutis ſtatim ponitur. In miſericordia hoc facilius experiri datur, quam in liberalitate, quia non dantur rationes adeo multæ, quæ actus externa ſpecie miſericordiam mentientes ſuadent, quam quæ homines commovent ad danda dona absque animo vere liberali.

§. 403.

Quando ad miſericordiam ſufficiat

Si cujus animus propendet ad ſubveniendum miſeris, in poteſtate tamen ipſius non eſt actus ſubvenire; hoc tamen non obſtante miſericos eſt & miſeros ſaltem non deficiente opportunitate conſolatur.

Etenim

Etenim ſi cujus animus propendet ad ſubveniendum miſeris, eum habet animum, quem miſericordia exigit (§. 256. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quamobrem cum miſericordia virtus ſit (§. *cit.*), virtutes autem habitus voluntatis ſint (§. 547. *part.* 1. *Jur. nat.*), ideoque ex animo æſtimandæ, quem quis habet, & nemo obligetur ultra id quod ipſi poſſibile eſt (§. 209. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); ſi cujus animus propendet ad ſubveniendum miſeris, in poteſtate tamen ipſius non eſt actu ſubvenire, hoc tamen non obſtante miſericors eſt. *Quod erat unum.* *animus ſubveniendi miſeris.*

Porro quoniam miſericors malum, quo affligitur miſer, ipſi tolerabilius efficere ſtudet, quantum in poteſtate ſua eſt (§. 256. *part.* 4. *Jur. nat.*), per ſe autem patet, ſolamine leniri dolorem miſerorum; ſi ad liberationem a malo, quo affligitur miſer, nihil conferre poteſt, eum ſaltem opportunitate non deficiente conſolatur. *Quod erat alterum.*

Ad opera miſericordiæ quoque pertinet conſolatio miſerorum, & dantur caſus plures, in quibus miſeris aliter ſubvenire non datur, niſi conſolatione. Dantur mala, quibus homines affliguntur, ut ſint miſeri (§. 329. *part.* 2. *Eth.*), quamvis ſint divites ac opulenti. Horum dolor aliter leniri nequit, quam conſolatione. Immo conſolatio utiliter accedit haud raro ad dationes gratuitas, quibus malum efficitur tolerabilius. Cum impatientiæ ſit triſtitiæ nimium indulgere & affectibus aliis moleſtis torquere animum (§. 594. *part.* 1. *Jur. nat.*), homo autem miſer efficiatur, quatenus ob malum, cui obnoxius factus eſt, triſtitia aliisque affectibus moleſtis animum torquet (§. 329. *part.* 2. *Eth.*); remedia impatientiæ argumenta conſolationis ſuggerunt (§. 542. *part.* 4. *Eth.*). Patientia malum tolerabile efficit: quod cum intendat miſericors (§. 256. *part.* 4. *Jur. nat.*), miſero patientiam perſuadere utique miſericordiæ eſt, & qui hoc facit, miſeriæ alterius ſubvenit. Addimus autem in propoſitione, miſericordem

 con-

conſolari miſeros, opportunitate non deficiente: etenim per ſe patet, non ſemper eas eſſe circumſtantias, ut miſerum conſolari poſſimus, ſi vel maxime vellemus, ita ut conſolationem non eſſe in miſericordis poteſtate frequentius occurrat, quam ut liberalitate ſua miſeris ſubvenire nequeat.

§. 404.

De afflictione afflicto non addenda.

Quoniam miſericordiæ eſt conſolari miſeros (§. 403.), ſolamine autem lenitur dolor miſeri; *miſericors nihil committit, quo moleſtiam creare poterat miſero*, conſequenter *dolorem ejus augere*.

Lenire ſeu imminuere dolorem & augere dolorem contraria ſunt. Illud cum ſit miſericordiæ, hoc utique miſericordiæ repugnat. Qui miſeris moleſtias creat, ut miſeria augeatur, immiſericors eſt (§. 262. *part.* 4. *Jur. nat.*). Cum immiſericordes eſſe non debeamus (§. 263. *part.* 4. *Jur. nat.*); nec ea committere debemus, quæ dolorem miſeri augent. Vulgo hoc inculcatur, quando dicitur, afflicto non eſſe addendam afflictionem. Miſer malo affligitur: quamobrem ipſi non facienda, nec dicenda, quæ animum ejus affligere poſſunt. Cum amore maxime pugnat afflicto addere afflictionem, cui conveniens eſt, ut ab eo, quem amamus, omne tædium avertere ſtudeamus (§. 652. *Pſych. empir.*). Quoniam qui miſericors eſt miſerum amat (§. 401.); facile patet amorem non ferre, ut afflicto afflictionem addat.

§. 405.

Quando miſericordia ad officioſitatem accedat.

Miſericordia accedit ad officioſitatem, quando faciendo ſubvenitur miſero. Officioſus enim eſt, qui ad officia humanitatis præſtanda aliis ſemper paratus eſt (§. 898. *part.* 1. *Jur. nat.*), cumque officia, quæ in dationibus gratuitis conſiſtunt, ad liberalitatem referantur, officioſitati potiſſimum relinquuntur præſtationes gratuitæ, quæ in faciendo conſiſtunt. Quemadmo-

admodum itaque ad liberalitatem accedit miſericordia, ſi quæ gratis dantur opis alienæ indigis dantur, qui egeſtate, vel ipſa mendicitate premuntur; ita eadem ad officioſitatem accedit, quando faciendo ſubvenitur miſero.

Miſericordia verſatur circa omnes præſtationes gratuitas, quæ reſpiciunt miſeros opis alienæ indigos, ſive in faciendo, ſive in dando conſiſtant. Participat igitur tam liberalitatem, quam officioſitatem. Quoniam introductis dominiis facta gratuita donationibus & quæ fiunt ad ſublevandam extremam vitæ neceſſitatem eleemoſynis æquiparantur (§. 67. *part.* 4. *Jur. nat.*); in Philoſophia nihil obſtat, quo minus officioſitatem ſub liberalitate comprehendamus, hancque etiam ad facta gratuita extendamus, quemadmodum fecimus, cum miſericordiam liberalitatis ſpeciem eſſe demonſtraremus (§. 261. *part.* 4. *Jur. nat.*). Miſericordia communi loquendi uſu non minus ad facta gratuita, quam dationes gratuitas extenditur, quibus ſubvenitur miſeris. Quodſi ergo malis miſericordiam tanquam genus diſtingvere in duas ſpecies, quarum una circa facta gratuita, altera circa dationes gratuitas verſatur, & illam per modum ſpeciei ſubordinare officioſitati, hanc vero liberalitati; per nos quidem hoc facere licet, deſunt tamen vocabula commoda, quibus a ſe invicem diſtingvi poſſunt. In philoſophia autem morali propter uſum, quem habere debet, non facile fingendi ſunt termini technici, ſed adhibenda, quantum fieri poteſt, vocabula in communi ſermone recepta, nec ab eorum ſignificatu recepto diſcedendum, niſi in quantum a ſignificatu vago liberanda & ad fixum reducenda. Convenientius itaque videtur, ut miſericordia participare dicatur officioſitatem, quatenus circa facta gratuita verſatur, liberalitatem vero, quatenus verſatur circa dationes gratuitas. Abſque præjudicio tamen veritatis liberalitas ab officioſitate diſtingvitur, cum hoc non obſtante ipſi etiam vulgo explicari poſſit, quomodo dominiis introductis facere & dare æquipolleant, ita ut liberalis & officioſus habeant

eundem animum, & facta gratuita & dationes gratuitæ eodem jure cenſeantur. Quæ hic monentur, tenenda quoque ſunt in aliis caſibus ſimilibus.

§. 406.

De univerſalitate miſericordiæ.

Qui miſericors eſt, omnium hominum, qui malo quodam affliguntur, commiſeratur, quicunque tandem fuerint, & , ſi per ipſum ſtaret, omnes a malo, quo affliguntur, liberari vellet. Qui enim miſericors eſt, miſeros omnes amat (§. 401.), quicunque tandem fuerint, ſive amici, ſive inimici, aut qui indifferenti erga ſe ſunt animo (§. 619. 632. *part. 1. Jur. nat.*). Sed qui alterum amat, ejus quoque commiſeratur (§. 688. *Pſych. empir.*). Miſericors itaque commiſeratur omnium hominum, qui malo quodam affliguntur, ſeu miſerorum (§. 254. *part. 4. Jur. nat.*), quicunque tandem fuerint. *Quod erat unum.*

Quoniam miſericors commiſeratur omnium miſerorum, quicunque tandem fuerint, *per demonſtrata n. 1.* commiſeratio vero tendit ad liberandum miſerum a miſeria, aut, ſi id fieri non poſſit, ad eam ſublevandam, vel leniendam, immo etiam avertendam (§. 333. *part. 3. Eth.*), & miſer a miſeria liberatur, ſi a malo liberatur, quo affligitur (§. 254. *part. 4. Jur. nat.*); qui miſericors eſt omnes a malo, quo affliguntur, ſi per ipſum ſtaret, liberare vellet. *Quod erat alterum.*

Quamvis impoſſibile ſit, ut homo unus omnibus miſeris ſubveniat, denturque caſus, in quibus fieri nequit, ut quis a malo liberetur, quo affligitur; omnibus tamen bene cupit miſericors, eorumque miſertus mallet, ut a malo eſſent immunes. Sane qui miſericors eſt, eum miſeretur ipſius latronis, quando ad ſupplicium crudele trahitur, quamvis maxime improbet latrocinia, quibus id meruit, nec ſine animo indignabundo dolet dari homines tam veſanos, ut malitia ſua in tantum malum

malum ſeſe præcipites dent. Similiter miſericors miſeretur parentum, quorum liberi degeneres ignominiæ maculam ſcelere infami familiæ inurunt. Ac amoris, ex quo ortum trahit miſericordia (§. 402.), hæc efficientia eſt, amoris utique univerſalis, ſi defuerit ratio amoris particularis. Pertinet huc etiam, ſi quis dolet vicem hominum prorſus ignotorum, in terris procul diſſitis degentium, quando narrantur caſus funeſti, quos fuerunt experti, immo produnt qui dolent dira fata eorum, quos infortunio mactatos fuiſſe legunt in hiſtoria, etiam antiquiſſima. Atque iſtiusmodi exempla omnium manifeſtiſſime probant, ex amore univerſali ortum ſuum trahere miſericordiam, certe trahere debere, cum is ſit lege naturæ præceptus (§. 619. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 407.

Facta a perſonis dividere cur ad miſericordiam requiratur.

Qui miſericors eſſe vult, operam dare debet, ut facta a perſonis dividere diſcat. Miſericordes enim eſſe debemus absque ulla reſtrictione erga eos, qui a modo, quo affliguntur, ſe ipſos liberare nequeunt, (§. 259. *part. 4. Jur. nat.*), quicunque tandem fuerint, quemadmodum homines promiſcue omnes, ipſos etiam inimicos, amare debemus tanquam nos ipſos (§. 619. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem miſericors eum, cujus commiſeratur, tantummodo ſpectat tanquam hominem, conſequenter non attendit ulla facta, nec habitus animæ, ex quibus proficiſcuntur, quemadmodum requirit amor univerſalis miſericordiæ fons (§. 402.). Operam igitur dare debet, ut facta a perſonis dividere diſcat.

Quomodo facta a perſonis dividere diſcamus, ſupra jam docuimus (§. 293.). Hoc ubi didicerimus, verendum non eſt, ne ratione aliqua a miſericordia avocemur indignum cenſentes miſerum, cujus miſeria nos tangat. In praxi morali difficile eſt facta a perſonis dividere, propterea quod factorum

rum conſideratione concitantur affectus, quos a perſona ad factum reſtringere ſine longa exercitatione minime datur. Titius, qui te læſit, opem tuam implorat, quam ipſi ferre tibi facile eſt. Memoria injuriæ cupiditatem vindictæ reſuſcitat, quæ mentem pervertit, ut ope tua, qua maxime indiget, indignum judices eandemque ipſi deneges injuriam tibi factam ulturus. Quamvis itaque miſeratione maxime dignus videbatur ob graviſſimum malum, quo affligitur; ejus tamen miſeria tibi non eſt motivum eidem ſubveniendi, ideoque miſericordiæ nullum facit locum (§. 256. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quodſi factum a perſona dividere didiciſſes, injuriam facientem & hominem grandi malo afflictum tanquam duo diverſa ſubjecta conſideraſſes, cumque ſubjectum grandi malo afflictum ſit objectum miſericordiæ, in hoc ſolo attentionem tuam defixiſſes, conſequenter de injuria tibi facta in præſenti ne quidem cogitaſſes, aut ſi ea ex improviſo incidiſſet, ad eandem tamen animum non advertiſſes. Nullus dubito fore, ut qui ea, quæ jam dicuntur, rite ponderat, difficultatem ſeparandi factum a perſona agnoſcat, etiamſi non adſit occaſio experimentum in ſeipſo capiendi.

§. 408.

De influxu manſuetudinis in miſericordiam.

Miſericordiam erga inimicos manſuetudo promovet. Qui enim manſuetus eſt, malum malo minime refert, ſed potius bono (§. 263.), conſequenter alteri non male facit, quia ipſi male fecit, nec male cupit, quia ipſi male cupiebat (§. 798. *part.* 1. *Jur. nat.*), ſed potius bene facit, quamvis ipſe ſibi male fecerit, & bene cupit, quamvis ipſe ſibi male cupiebat (§. 799. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem nec opis ſuæ indigo, quam ferre poteſt, opem denegat, ſed eidem pro virili ſubvenire nullus dubitat. Quoniam itaque ſubvenire miſero miſericordiæ eſt (§. 256. *part.* 4. *Jur. nat.*), inimicus vero, qui te odit (§. 626. *part.* 1. *Jur. nat.*), ſi non male fecit, male tamen

cupit

Digitized by Google

cupit (§. 664. 671. *Pſych. empir.*); manſuetudo miſericordiam erga inimicos promovet.

Ipſa manſuetudinis definitio hoc inſinuat. Qui enim manſuetus eſt, animum a cupiditate vindictæ immunem præſtat (§. 950. *part. 1. Jur. nat.*). Hæc cum miſericordiæ obſtet; manſuetudo removet impedimentum miſericordiæ (*not.* §. 407.). Manſueto igitur difficile non eſt, ut miſereatur inimici eidemque ſubveniat, quantum in poteſtate ſua eſt. Cum id, quod divinum cenſetur in miſericordia, redeat ad miſerationem inimicorum & opem ipſis latam; quam neceſſe ſit, ut, qui miſericors eſſe vult, & in miſericordia proficere, manſuetus etiam ſit, ſatis clare hinc perſpicitur. Non obſtat, quod officium humanitatis denegari poſſit in pœnam (§. 292.), præterquam enim quod juri puniendi non ſemper locus ſit, idem quoque non extenditur ad quodvis malum, ut propterea opem ferre non tenearis miſero, & manſuetudini, quæ regit punitionem (§. 283.), legi naturæ convenienter (§. 284.), maxime convenit, ut, ſi alterum, qui nos læſit, officiorum præſtatione, conſequenter etiam opem ferendo miſero, obligare poſſimus, ne in poſterum nos lædat, loco punitionis hoc medio utamur & multo magis ut utamur, ſi punitioni locus non eſt (§. 291.).

§. 409.

Quoniam manſuetudo miſericordiam erga inimicos promovet (§. 408.); *vitia manſuetudini oppoſita, iracundia* ſcilicet, *amaritudo & crudelitas* (§. 952. 955. 957. *part. 1. Jur. nat.*); *miſericordiam erga inimicos impediunt.* ***Quænam vitia miſericordiam erga inimicos impediant.***

Patet hoc clariſſime ex ipſis definitionibus iracundiæ, amaritudinis & crudelitatis. Iracundus enim vindictam difficulter reprimit (§. 952. *part. 1. Jur. nat.*), amarus cupiditatem ejus deponere non vult, antequam eam ſatiaverit (§. 955. *part. 1. Jur. nat.*), crudelis eidem adeo indulget, ut non exſatietur

niſi malo quantocunque lædentis (§. 957. *part. 1. Jur. nat.*). Male cupientes ei, a quo ſe offenſos putant, malo, quo affligitur, delectantur, undecunque ipſi obvenerit, & cui ipſimet malum inferre volebant, eum a malo ut liberare, vel idem ſaltem tolerabilius efficere ut velint fieri haud quaquam poteſt. Miſericordiæ igitur locus non eſt (§. 256. *part. 4. Jur. nat.*). Per ſe autem patet, vitia hæc eſſe eradicanda, ſi miſericordiæ erga inimicos obſtare minime debent.

§. 410.

Invidia commiſerationis impedimentum.

Invidia obſtat, quo minus alterius commiſeremur. Invidus enim eum odit, cui invidet (§. 711. *Pſych. empir.*). Enimvero qui alterum odit, ex ejus tædio voluptatem percipit, & ideo gaudet, quod alter contriſtetur, vel tædio afficiatur (§. 664. *Pſych. empir.*). Fieri itaque nequit, ut ex infelicitate alterius, conſequenter ex eo, quod ipſi tædium, ſive moleſtiam creat (§. 637. *Pſych. empir.*), triſtitiam percipiat, conſequenter ut ejus commiſereatur (§. 687. *Pſych. empir.*). Quamobrem invidia obſtat, quo minus alterius commiſeremur.

Invidia & commiſeratio ſunt affectus oppoſiti (§. 687. 705. *Pſych. empir.*), quorum unus alterum tollit. Repugnat enim, ut & felicitate & infelicitate alterius contriſteris, hoc eſt, tam bono, quo alter gaudet, quam malo, quo affligitur. Nec quicquam in eo mutatur, etiamſi affectus iſti per eminentiam inexiſtentes in appetitu & averſatione rationali conſiderentur (§. 594. *part. 2. Eth.*).

§. 411.

An invidus miſericors eſſe poſſit.

Quoniam invidia obſtat, quo minus alterius commiſeremur (§. 410.), miſericors autem omnium hominum, qui malo quodam affliguntur, commiſeratur (§. 406.); *invidus miſericors eſſe nequit, ſcilicet erga eum, cui invidet.*

Oſten-

Digitized by Google

Oſtenditur etiam hoc modo. Invidia tendit ad alterum bono, quod ipſi invidemus, privandum (§. 346. *part.* 2. *Eth.*), conſequenter ſi in poteſtate invidi non fuerit, ut ipſum bono privet, in votis tamen habet, ut is privetur, vel in aliud incidat malum, quo acerbiſſime affligetur. Fieri itaque nequit, ut ſtante invidia, velit eum a malo liberari, in quod actu incidit. Quoniam tamen miſericors non eſt, niſi hunc habeat animum (§. 256. *part.* 4. *Jur. nat.*); invidus erga eum, cui invidet, miſericors eſſe nequit.

Fieri quidem poteſt, ut invidus mutet animum, & ei, cui invidebat, opem ferat; hoc autem propoſitionis præſentis veritati minime derogat. Aut enim invidia ceſſat, conſequenter ea non amplius obſtat, quo minus miſericors eſſe poſſit, aut alia quadam ratione ad opem ferendam commovetur, tumque factum ipſius ad miſericordiam adſcribi nequit.

§. 412.

Quomodo efficiatur, ne invidia obſtet commiſerationi & miſericordiæ.

Quia invidia obſtat, quo minus ſimus miſericordes erga eos, quibus invidemus (§. 411.), aut eorum commiſeremur (§. 410.); *ſi invidia commiſerationi & miſericordiæ obſtare minime debet, ea extinguenda* §. 460. 461. *part.* 2. *Eth.*), *aut ſaltem imminuenda* (§. 463. *part.* 2. *Eth.*). Cumque aliis non invideat bona ſua, qui in providentia divina acquieſcit (§. 438. *part.* 3. *Eth.*); *opera danda eſt, ut in providentia divina acquieſcere diſcamus* (§. 433. 434. *part.* 4. *Eth.*). Similiter quia continentia efficit, ne alteri invideamus divitias fortunamque noſtra meliorem (§. 386. *part.* 4. *Eth.*); *ea* quoque *removenda ſunt obſtacula, quæ impediunt, ne ſorte noſtra contenti ſimus, quando ſortem aliorum noſtra meliorem contuemur* (§. 388. 394. *part.* 4. *Eth.*).

Invidia plus officit miſericordiæ, quam putatur. Quoniam enim invidus eum odit, cui invidet (§. 711. *Pſych. empir.*);

 amori

amori univerſali officit invidia, cum animus diſponatur ad concipiendum odium adverſus eos, qui nullo modo nos offenderunt. Amor autem univerſalis verus fons eſt, ex quo miſericordia derivatur (§. 402.). Quicquid igitur illi adverſatur, id etiam ſaltem indirecte miſericordiæ adverſatur, & impedit profectum in hac virtute. Quemadmodum autem virtutes, quibus praxis officiorum erga Deum continetur, ſtudium omnium virtutum omnium maxime facilitant & adverſus omne vitium firmiſſimum præſidium ſunt; ita etiam adverſus invidiam remedium optimum eſt acquieſcentia in providentia divina, conſequenter ad miſericordiam promovendam plurimum confert. Si quis miſericordes propius noſcere ſtuduerit, veritatis hujus etiam a poſteriori facile convincetur: præſtat tamen eandem experiri in ſeipſo. Ceterum cum animus ſorte ſua contentus etiam arceat invidiam, immo acquieſcentia in providentia divina invidiam pellat, quatenus reddit animum ſorte ſua contentum, fieri autem poſſit, ut aliis adhuc modis animus ſorte ſua contentus reddatur; ſi miſericordes propius noſcere ſtudemus, eosdemque ſorte ſua contentos deprehendimus, in quirendum eſt in rationes, cur ſint. Sane fieri poteſt, ut quis aliis non invideat; qui tamen indifferenti erga alios animo manet, ut eum aliena miſeria parum tangat. Remedium itaque impedimenti habendum non eſt pro medio miſericordiæ.

§. 413.

Tenacitas impedimentum liberalitatis & miſericordiæ.

Tenaces illiberales ſunt. Quodſi valde tenaces, vel prorſus ſordidi fuerint, miſericordes non ſunt, non tamen propterea immiſericordes. Qui enim tenax eſt, pauciores & minores pro facultate patrimonii ſui facit expenſas, quam quas officium erga alios exigit (§. 391. *part. 4. Jur. nat.*). A dationibus igitur gratuitis alienum habet animum, quamvis legi naturæ conveniant, ut vel nihil det, vel parcius, quam debebat. Quoniam itaque illiberalis eſt, qui iſtiusmodi habet animum

(§. 252.

(§. 252. *part. 4. Jur. nat.*); tenax illiberalis eſt. *Quod erat primum.*

Quodſi valde tenax fuerit, nullam prorſus attendit rationem, ob quam alteri aliquid gratis dandum, conſequenter nec ad dandum commovetur miſeria alterius. Quoniam itaque miſericors non eſt, cui alterius miſeria non eſt motivum pro modo facultatum contribuendi ad ſublevandam miſeriam alterius (§. 254. 256.); qui valde tenax eſt, miſericors non eſt. *Quod erat ſecundum.*

Quoniam vero ſordidus adeo tenax eſt, ut in eroganda pecunia nullam prorſus rationem habeat decori (§. 400. *part. 4. Jur. nat.*), conſequenter tanta ſit tenacitas, quæ in omnium oculos ſtatim incurrit; ſordidus omnium minime miſericors eſt. *Quod erat tertium.*

Enimvero quamvis tenax vel prorſus ſordidus aut nihil, aut nimis parce pro modo facultatum ſuarum contribuat ad ſublevandam miſeriam alterius, *per demonſtrata n. 1. & 2.* non tamen propterea tædia creare ſtudet miſeris, afflicto additurus afflictionem, quod per ſe patet. Enimvero qui non habet animum afflicto afflictionem addendi, conſequenter malum inferendi ei, qui, jam malo aliquo affligitur, immiſericors non eſt (§. 262. *part. 4. Jur. nat.*). Etſi ergo quis fuerit valde tenax, vel prorſus ſordidus, ideoque miſericordia careat, *per demonſtrata n. 1. & 2.* nondum tamen propterea immiſericors eſt. *Quod erat quartum.*

Illiberalitatem ex tenacitate colligunt omnes, omnium autem maxime ex ſordibus, ita ut illiberalitatis ratio vulgo allegetur tenacitas, & ſordidus omnium maxime illiberalis dicatur. Solet equidem illiberalitas etiam tribui avaritiæ; id tamen accidit, quia tenacitas ab avaritia non diſtingvitur, vel quia illa ab hac dependet, ut ratio remota reddatur pro pro-

Digitized by Google

xima. Miſericordia liberalitatis quædam ſpecies eſt (§. 261. *part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem cum tenax illiberalis ſit, quid mirum, ſi valde tenax, aut prorſus ſordidus, qui ſupra modum tenax eſt, miſericordia careat? Amat tenax pecuniam &, ſi fieri poſſet, nullam erogare mallet. Quo major eſt pecuniæ amor, eo quoque majora incrementa tenacitas acquirit. Quid ergo mirum, ſi ne quidem obulum, aut fruſtum panis dare velit mendico? Attentionem omnem defigit in pecunia, aut eo, quod dandum eſt, ideoque nec animum advertit ad indigentiam miſeri, multo minus malum, quo is affligitur, ponderat, ut ejus conſideratione commiſeratio concitari poſſit. Deficit itaque miſericordia, ideoque miſerum ope, quam ferre poterat ac debebat ad ſublevandam miſeriam ipſius, deſtituit. Ab uſu autem loquendi non abhorret, ut propter neglectum miſericordiæ non dicamus immiſericordem, modo a ſignificatu vago diſcedamus. Latronem immiſericordem dicimus, qui ſævit crudeliter in corpus hominis innocentis, quem interfeciſſe ſufficiebat, rapinæ celandæ ſtudio. Graviſſimum omnino malum eſt non ſolum rebus ſuis, ſed ipſa vita ſpoliari: quod motivum eſſe debebat abſtinendi a crudelitate, conſequenter aliquem adhuc quaſi miſericordiæ locum relinquendi, nec omnem humanitatem exeundi. Aſt ſi quis videt hominem a latronibus vulneratum & in via jacentem, ejus tamen miſeria minime commotus præterit, nec de ope ferenda cogitat, non miſericors eſſe dicitur. Non nego, carentiam miſericordiæ ab immiſericordia difficile diſtingvi. Et hæc ſane ratio eſt, cur vagus obtineat ſignificatus, quemadmodum & in aliis accidit, ut immiſericors dicatur, qui non miſericors dici debebat. Error tamen a turba in ſermone commiſſus veritati nullum præjudicium facit. Quemadmodum omnes confiteri coguntur inter amorem & odium dari intermedium, utriusque nempe carentiam, quem animum indifferentem diximus (§. 629. *part. 1. Jur. nat.*), in ſuperioribus quoque non amorem appellavimus; ita non minus manifeſtum eſt, modo animum ad notiones diſtinctas adver-

advertas, dari intermedium inter miſericordiam & immiſericordiam, carentiam nimirum utriusque, quam non miſericordiam diximus. Atque hoc legi continuitatis, qua lux affunditur non ſatis claræ continui definitioni ſcholaſticorum, maxime conſentaneum. Neque caret utilitate ſua in Moralibus non miſericordiam ab immiſericordia diſtingvi, cum ea, quæ de immiſericordi prædicantur, neganda ſint de eo, qui non eſt miſericors, ſeu miſericordia ſaltem caret. Major omnino malitia eſt eſſe immiſericordem, ut afflicto afflictionem addere non verearis, quam non eſſe miſericordem, ut miſerum ope, quam ferre poteras ac debebas, deſtituas. Aequum cum eſſe debeat noſtrum de aliis judicium, æquitati convenit, ne majorem malitiæ gradum alicui tribuamus, quam qui eidem convenit, &, ſi vitiis medelam afferre velimus, non eadem ſatisfaciunt, ſi quis immiſericors fuerit, quam ſi ſaltem non fuerit miſericors miſericordiam in ſe deſiderari paſſus. Relinquamus turbæ loquendi inconſtantiam, facile ipſi condonandam: aſt minime decet Philoſophum propter vulgi inconſtantiam loquendi confundere, quæ diverſa ſunt.

§. 414.

Quoniam tenacitas illiberales facit, immo ſi incrementa capit, ipſam miſericordiam tollit (§. 413.); *ſi quis illiberalitatem fugere, nec miſericordiam exuere vult, uti debet remediis, quæ contra tenacitatem & ſordes proſunt, ubi animus vitii hujus labe fuerit infectus, vel ſaltem in id propendet* (§. 443. & *ſeqq. part. 4. Eth.*). **Remedium.**

Non una datur tenacitatis, quæ illiberalitatem gignit & tandem miſericordiam ipſam extingvit, cauſa (§. 438. *& ſeqq. part. 4. Eth.*): ſed in præſcribendis remediis diverſas cauſas ſatis jam diſtinximus (§. 443. *& ſeqq. part. 4. Eth.*), ut plura addere non habeamus opus.

§. 415.

§. 415.

Quantum indifferens erga alios animus liberalitati & miſericordiæ obſtet.

Qui indifferenti erga homines alios animo ſunt, a liberalitate equidem non abhorrent, virtutem tamen ipſam non conſequuntur, & miſericordiam in ſe deſiderari patiuntur. Qui enim indifferenti erga alios homines animo ſunt, eos non odio habent (§. 629. *part.* 1. *Jur. nat.*), conſequenter nec eorum voluptatem averſantur (§. 670. *Pſych. empir.*), &, ubi ratio quædam particularis fuerit, cur quosdam ament, voluptatem eorum appetunt (§. 650. *Pſych. empir.*), quam cum dationibus gratuitis, circa quas liberalitas verſatur (§. 363.), concitari conſtet (§. 35.48. *part.* 4. *Jur. nat.*), qui indifferenti erga homines alios animo eſt a liberalitate non abhorret. *Quod erat primum.*

Qui indifferenti erga alios animo eſt, homines alios non amat (§. 629. *part.* 1. *Jur nat.*), ſcilicet qua homines, niſi particularis quædam cauſa fuerit, cur hunc, vel iſtum amet. Quamobrem cum actus liberalitatis ex amore erga accipientem proficiſcantur (§. 381.), & liberalitas maxime verſetur circa eleemoſynas (§. 391.), eique maxime conveniat, ut pauperibus, egenis atque mendicis ſubveniatur (§. 390.); qui indifferenti erga alios homines animo eſt, quamdiu amore univerſali caret, virtutem ipſam non conſequitur. *Quod erat ſecundum.*

Denique cum qui indifferenti erga alios animo eſt, alios neque amet, neque oderit (§. 629. *part.* 1. *Jur. nat.*), aliena tanquam ad ſe minime ſpectantia conſiderat, conſequenter nec animum advertit ad malum, quo affliguntur alii. Quoniam itaque minime curat aliorum miſeriam (§. 254. *part.* 4. *Jur. nat.*), nec ea motivum eſſe poteſt miſerum a malo, quo affligitur, liberandi, aut ſaltem tolerabilius efficiendi, quantum in poteſtate ſua eſt. Quamobrem cum miſericordiæ ſit miſeria aliorum commoveri ad id præſtandum (§. 256. *part.* 4.

Jur.

Digitized by Google

Jur. nat.); qui indifferenti erga alios animo eſt, miſericordiam in ſe deſiderari patitur. *Quod erat tertium.*

Notandum eſt, nos hic non demonſtare, niſi quæ ex animo erga alios indifferenti per ſe ſequuntur, ideoque cetera omnia, quæ in actus humanos influere poſſunt, ſeponere: id quod probe obſervandum, ſi quod demonſtratur experientia confirmare velimus. In genere nimirum notandum eſt, in applicandis propoſitionibus ea, quæ affirmantur, vel negantur non extendenda eſſe ultra hypotheſin, hoc eſt, ultra ea, quæ ſumuntur. Subjectum propoſitionis præſentis homo eſt, in quo non concipitur niſi animus erga homines alios indifferens, hoc eſt, carens amore univerſali, quo ſine ullo reſpectu alio hominem quemvis, propterea quod homo eſt, complecti debemus (§. 619. *part.* 1. *Jur. nat.*). Ex antecedentibus vero patet, amorem hunc eſſe fontem liberalitatis atque miſericordiæ. Qui ſaltem amicos amat, hoc eſt eos, qui ſe amant (§. 625. *part.* 1. *Jur. nat.*), & ad hos liberalitatem atque miſericordiam reſtringit, neutrius virtutis adhuc vere compos eſt, cum iſta reſtrictio legi naturæ minime conveniat, quæ utramque extendit ad homines omnes, ipſos etiam inimicos, nec in exercitio ullam reſtrictionem admittit, niſi quam ob rationes alias ipſamet facit ab officiis, quas præſcribit, petitas, veluti cum dari jubet pro modo facultatum, & ab eleemoſynis arcet eos, qui labore ſuo acquirere poſſunt, quantum ad vitam ſuſtentandam ſufficit. Indifferens erga alios animus vitium eſt (§. 120.): non igitur eſt quod miremur, a vitio proficiſci neglectum virtutis, &, ſi vel maxime, ab ea non abhorreamus, eandem tamen labe quadam infici, aut aliqua ſui parte deficere.

§. 416.

Quoniam qui indifferenti erga homines alios animo ſunt, quamvis a liberalitate non abhorreant, virtutem tamen ipſam non conſequuntur & miſericordiam in ſe deſiderari patiuntur (§. 415.), qui vero exiſtimant, quod ſibi ſoli vivere lice- *Quomodo obſtaculum iſtud removeatur.*

liceat, indifferenti erga alios animo ſunt (§. 121.); *opinio hæc, quaſi ſibi ſoli vivere liceat, impedimentum liberalitatis & miſericordiæ eſt*, conſequenter *ne hiſce virtutibus noceat*, eo, *quem ſupra oſtendimus, modo* (§. 122. & *ſeqq.*) *eradicanda.*

Solent homines neglectum liberalitatis & miſericordiæ excuſare, quod cura ſui ſibi ſatis negotium faceſſat, nec aliorum ſors ad ſe ſpectet. Ideomate patrio multo ſignificantius dicitur: **Ich habe gnung mit mir zu thun, was gehn mich andere an,** quaſi unus quisque ſaltem proſpicere debeat ſibi, non vero etiam aliis. Abſurditatis vero ſeipſos redarguunt, dum opis alienæ indigi aliorum opem implorant, & quando occaſione ſic ferente aliorum illiberalitatem erga ſe, aut miſericordiæ carentiam accuſant. Homines de eo, quod æquum & juſtum eſt, ſatis bene ac recte judicant, quando alii æquos & juſtos erga ſe præbere ſeſe debent; aſt non ſimiliter, quando ipſimet æqui & juſti eſſe debent erga alios. Id vero indifferenti erga alios animo tribuendum, quem damnat lex naturæ (§. 630. *part. 1. Jur. nat.*), oppoſitum amori univerſali, quem urget (§. 632. *part. 1. Jur. nat.*). Indifferens erga alios homines animus plus nocet, quam putatur, modo penitus inſpiciatur actionum humanarum nexus. Aſt hic cum oriatur ex opinione, quaſi nobis ſolis vivamus (§. 121.); quanta ſit neceſſitas, ut hæc opinio extirpetur, palam eſt.

§. 417.

De influxu cupidinis gloriæ in liberalitatem & miſericordiam.

Veræ gloriæ cupidus liberalem ſe lubenter præbet iis, qui meliore fortuna digni ſunt, & iis, qui alieno ſumtu indigent ad præclare quidpiam in uſum generis humani præſtandum, vel bene de ſe meritis, & miſeris liberali manu ſubvenit ad ſublevandam, vel, ſi in poteſtate ſua fuerit, prorſus tollendam eorum miſeriam. Qui enim veræ gloriæ cupidus eſt, ei benignum aliorum de actionibus ſuis judicium motivum eſt eas committendi (§. 351. *part. 2. Phil. pract. univ.*), bonorum ſcilicet & peritorum judicium, qui recte

recte judicant (§. 47. *Jur. Gent.*). Quamobrem cum virtutes veram laudem pariant (§. 550. *part. 1. Jur. nat.*), quas facta inde profecta probant (§. 551. *part. 1. Jur. nat.*), actus vero liberalitatis & miſericordiæ, qui in dationibus gratuitis conſiſtunt (§. 363. 398.), ab omnibus agnoſcuntur, ut non difficile ſit de iis judicium; qui gloriæ cupidus eſt, ei liberalitas & miſericordia ſe maxime commendat: quoniam tamen nonniſi veræ gloriæ cupidus, *per hypotheſin*; operam quoque dat, ut liberalitatem & miſericordiam exerceat legi naturæ convenienter (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ne ſcilicet in actione ſua deprehendatur, quod recte reprehendi poſſit a perito (§. 542. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero dona recte dantur ad promovendum bonum per alios & incitandum alios ad præclare quid præſtandum, ad gaudium tribuendum iis, qui meliore fortuna digni ſunt (§. 367.), & liberalitatis potiſſima pars eſt pauperibus, egenis atque mendicis ſubvenire (§. 390.). Quodſi ergo quis veræ gloriæ cupidus ſit, liberalem ſe lubenter præbet iis, qui meliore fortuna digni ſunt, atque iis, qui alieno ſumtu indiget ad præclare quidpiam in uſum generis humani præſtandum, vel bene de ſe meriti ſunt, miſerisque liberali manu ſubvenit ad ſublevandam, vel, ſi in poteſtate ſua fuerit, prorſus tollendam eorum miſeriam.

Ex propoſitione præſente patet, gloriam motivum liberalitatis & miſericordiæ eſſe, non tamen propterea gloriam intendi tanquam finem. Quamvis enim homini naturale ſit, ut laude delectetur, nec in eo quicquam ſit, quod reprehendi poſſit, ſi laude merita delectetur; non tamen propterea laudem appetit, nec eam ſpectat tanquam mercedem ejus, quod bene ac recte a ſe factum eſt. Delectatur laude, quatenus eſt ſermo de perfectione ſua, quam acquiſivit: hujus enim dum ſibi conſcius eſt, animus voluptate perfunditur (§. 511. *Pſych. empir.*).

empir.). Gaudet itaque, quod obligationi ſuæ ſatisfecerit, quicquid bene ac recte a ſe factum tanquam debitum agnoſcens, & quod ex laude merito ſibi ab aliis tributa intelligat, ſe famæ, quemadmodum debet (§. 554. 555. *part.* 1. *Jur. nat.*), ſervandæ ſtuduiſſe, malamque evitaſſe. Hoc vero modeſtiæ convenit (§. 484. 489. *part.* 4. *Eth.*), ideoque nihil vitii habet. Etſi gloria motivum ſit dationum gratuitarum juxta legem naturæ determinatarum; non tamen propter famam datur, quod gratis datur: qui enim propter famam donum, ſeu gratis quid dat, ambitioſus & arrogans eſt, non liberalis (§. 383.); & qui large effuſeque donat, ſeu gratis dat, ut liberalior videatur aliis, ſuperbus eſt (§. 384.). Actus igitur liberalitati atque miſericordiæ convenientes ambitio, arrogantia & ſuperbia ad ſe trahunt, ut non virtutis ſint, cujus eſſe debebant. Tendit gloria ad bene ac recte faciendum, quod faciendum eſt, &, ubi oritur ex benigno aliorum de facto patrato judicio, ſtudium bene ac recte faciendi acre efficit (§. 371. *part.* 2. *Eth.*). Quamobrem ſi gloria motivum eſt liberalitatis atque miſericordiæ, ſummam parit ſollicitudinem & circumſpectionem, ut dationes gratuitæ ad amuſſim reſpondeant legi naturæ, minime autem aliorum contemtum, aut cupidinem ſuperioritatis cujusdam ſupra alios. Atque hoc modo modeſtia influit in liberalitatem & miſericordiam, quæ appetitum circa famam legi naturæ convenienter moderatur (§. 563. *part.* 1. *Jur. nat.*), immo quoque humilitas, quæ appetitum moderatur circa exiſtimationem ſui (§. 581. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamvis itaque cupido gloriæ, niſi affectus ab intellectu regatur, quemadmodum fieri debet (§. 528. *part.* 2. *Eth.*), ad ambitionem, arrogantiam & ſuperbiam facile homines ſeducit; hoc tamen metuendum non eſt, ſi ea nobis ſatis perſpecta ſunt, quæ de modeſtia & humilitate oſtendimus (§. 484. & *ſeqq. part.* 4. *Eth.*). Quæ neglectui harum virtutum tribuenda, perperam cupidini gloriæ tribuuntur.

§. 418.

Prudentis eſt donis ſibi conciliare amorem & favorem eorum, quorum ope indigemus. Prudentiæ eſt adjumenta fortuito oblata in uſum ſuum vertere (§. 465. *part. 1. Eth.*). Quodſi ergo contingat nos ope alterius indigere, cum donis aliorum favorem & amorem nobis conciliare poſſimus (§. 120. *part. 4. Jur. nat.*), & legi naturæ conveniat, ut donis eorum favorem & amorem nobis conciliemus, quorum ope indigemus (§. 121. *part. 4. Jur. nat.*); prudentis utique eſt donis ſibi conciliare amorem & favorem eorum, quorum ope indigemus. *Quando donationes prudentiæ conveniant.*

Vulgo hoc agnoſcitur, quando dicitur, pecuniam negligere in loco prudentiam ſummam eſſe. Prudentia vero ſupponit, ut quod faciendum ſapienter decretum ſit (§. 256. *part. 1. Jur. nat.*). Dationes ergo gratuitæ faciant neceſſe eſt ad exequendum id, quod ſapienter decrevimus, ideoque influunt per modum medii ad conſequendum finem nobis propoſitum. Quodſi ſapienter decretum fuit, quod faciendum, finis, propter quem agitur, licitus eſt & medium quoque licitum, quo uti vult agens (§. 441. 443. *part. 1. Eth.*); adjumentum, quod vi prudentiæ accedit in caſu præſenti, cum etiam licitum ſit, medium electum minime vitiat. Uſus omnium virtutum intellectualium exigit, ut ſollicita circumſpectione utamur, ne ad fines inhoneſtos iisdem abutamur. Ceterum ex præſente propoſitione patet, ſi quis prudens eſt & prudentiam amat, prudentiam quoque motivi vicem ſubire liberalitatis erga eos, quorum ope indigemus, exercendæ.

§. 419.

Pudere debet homines divites & opulentos, præſertim ſi luxui fuerint dediti, parce atque reſtricte dare eleemoſynas, nec miſeris ſubvenire. Lege naturæ divites dare eleemoſynam obligantur & opulenti pluribus & largius dare debent (§. 241. *part. 4. Jur.* *Quosnam pudere debeat tenacitas in dandis*

eleemoſynis & ſubveniendo miſeris.

Jur. nat.). Et quoniam divites ac opulenti hoc facile facere poſſunt absque ullo incommodo ſuo (§. 240. 51. *part. 4. Jur. nat.*); tanto turpius eſt officio iſti non ſatisfacere. Quamobrem cum id recte ab aliis improbetur, pudor autem concitari debeat ſiniſtro aliorum de factis noſtris judicio, ſi verum fuerit (§. 374. *part. 2. Eth.*); homines divites & opulentos pudere debet minores, quam pro modo facultatum, & paucioribus, ideoque parce atque reſtricte dare eleemoſynas. *Quod erat primum.*

Quodſi præterea luxui fuerint dediti, pecuniam profundentes ſolius oſtentationis cauſa expenſas multas minus neceſſarias & inutiles faciunt (§. 387. *part. 4. Jur. nat.*), eleemoſynas vero parcius & reſtrictius dantes, quam pro modo facultatum dare poterant, expenſas neceſſarias, quas facere debent (§. 380. 241. *part. 4. Jur. nat.*), inſuper habent. Quoniam itaque luxui dediti pecuniam profundere, quam eleemoſynas largius & pluribus dare malunt, opulentos autem & divites pudere debet parce atque reſtricte dare eleemoſynas, *per demonſtrata n. 1.* omnium maxime pudere debet parce atque reſtricte dare, ſi fuerint luxui dediti. *Quod erat ſecundum.*

Denique cum homo miſer magno aliquo malo affligatur, vel multis prematur (§. 254. *part. 4. Jur. nat.*), ſi ejus miſeria non commoveatur ad ſubveniendum ei, qui maxime poterat atque debebat, ipſum ne minimum quidem amat (§. 643. *Pſych. empir.*), ac omnis miſericordiæ expers eſt (§. 256. *part. 4. Jur. nat.*). Quoniam itaque dives & opulentus omnium maxime miſeris ſubvenire poterat (§. 240. *part. 4. Jur. nat.*) atque debebat (§. 259. *part. 4. Jur. nat.*); patet, ut ante *per demonſtrata n. 1.* homines divites & opulentos pudere debere, quod miſeris non ſubveniant. *Quod erat tertium.*

Divi-

Digitized by Google

Divites & opulenti in dandis eleemoſynis duplici modo peccant, neque enim dant, quantum dare debebant, & paucioribus dant, cum pluribus dare deberent. Utrumque repugnat legi naturæ (§. 241. *part.* 4. *Jur. nat.*). Cum vero hominem pudere debeat omne factum, vel non factum legi naturæ contrarium; omnium maxime ipſum pudere debet factum, quod facile omitti, & non factum, quod facile committi poterat. Si ad illiberalitatem erga egenos & mendicos accedit luxus; duplex vitium pudorem auget, præſertim cum id in oſtentationem impendatur, quo egenis & mendicis ſubveniri debebat. Si denique miſericordia deficit, quod carentiam omnis amoris univerſalis arguit, cum homini nihil magis naturale exiſtimari debeat, quam miſeria aliorum commoveri ad miſeriam ipſorum ſublevandam; an non merito omnem pudorem exuiſſe cenſendus, qui, cum dives & opulentus ſit, ut miſeriæ aliorum facile ſubvenire poſſit, eorum tamen minime miſeretur, quamvis nulla odii cauſa adſit. Analyſis exemplorum in caſibus obviis docebit, multa concurrere vitia, quamvis non ſemper eadem, quæ in non miſericordiam tacite influunt & pudorem malum intendunt. Niſi quis omnem curam famæ, quam habere debet, ut ſit bona, abjecerit; pudor motivum erit liberalitatis erga egenos & mendicos ac miſericordiæ divitibus & opulentis. Etenim ſi quis famæ ſuæ amans eſt, pudor tendit ad emendationem eorum, quorum pudet (§ 376. *part.* 2. *Eth.*), conſequenter in caſu præſenti, divitem & opulentum commovet ad dandum eleemoſynas pro modo facultatum ſuarum & ad opem ferendam miſeris.

§. 420.

Quando dives & opulentus miſeros deſtitu-

Si dives & opulentus luxui deditus eleemoſynas dare non vult egenis atque mendicis, nec ſubvenire miſeriæ aliorum; immiſericors recte cenſetur. Quoniam enim dives & opulentus absque incommodo ſuo eleemoſynas dare & liberalitate ſua miſeriam

miſe-

ens pro immiſericorde habendus.

miſerorum ſublevare poteſt (§. 240. *part. 4. Jur. nat.*); ab eo quoque eleemoſynæ & ſubſidia miſeriæ leniendæ expectanda. Quodſi dives & opulentus fuerit luxui deditus, pecunias ſolius oſtentationis cauſa profundit, luxu ſuo non aliud intendens, quam ut divitias oſtentet, ad expenſas multas minus neceſſarias & utiles ſufficientes (§. 387. *part. 4. Jur. nat.*). Cum itaque eleemoſynam, aut opem, miſeriæ levandæ cauſa petentes videant, quod pecunias profundere nullus debitet, erga ſe tamen tam tenax ſit ſuique miſereri nolit; fieri non poteſt, quin opis alienæ maxime indigi contriſtentur (§. 621. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum ſic afflicto addatur afflictio, immiſericors autem eſt, qui hoc facit (§. 262. *part. 4. Jur. nat.*); ſi dives & opulentus luxui deditus eleemoſynas dare non vult egenis atque mendicis, nec ſubvenire miſeriæ aliorum, immiſericors recte habetur.

Diſtinximus inter immiſericordem & non miſericordem (*not.* §. 413.) & tenacem non immiſericordem eſſe, qui propter tenacitatem opis ſuæ indigis & miſeris ſubvenire non vult. Etenim de aliena indigentia & miſeria minime cogitat, attentionem omnem defigens in pecunia, quam ſervare ſtudet. Quamobrem nec dici poteſt, quod denegando eleemoſynam, vel opem ſuam afflicto afflictionem addere velit. Enimvero ſi qui pecunias oſtentationis cauſa profundit, ut videatur opulentus, egenis & mendicis eleemoſynas dare recuſat, nec miſeris ſubvenire vult; cum aliena miſeria ipſum parum tangat, ideoque nec curæ habeat, quod illi contriſtentur, propterea quod adeo tenacem ſe ipſis præbeat, cum tamen nudæ oſtentationis cauſa tantas pecunias profundat; triſtitiam eorum ſaltem indirecte intendit (§. 625. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Ideo etiam ſi iſtiusmodi homines admoneantur de contriſtatione juſta miſerorum, quod ſe videant ope deſtitui ab eo, qui omnium maxime eam ferre poterat, regerere ſolent: per me contriſtentur, quantum voluerint, quid hoc ad me? Exemplo

eſt

eſt dives epulo, qui purpura & byſſo induebatur & quotidie ſplendide epulabatur, ad cujus januam jacebat Lazarus, mendicus ulceribus plenus, cupiens ſatiari de micis, quæ cadebant de menſa divitis, canibus venientibus & ulcera ejus lingentibus, Luc. XVI. 19. *& ſeqq.*). Ecce tibi hominem opulentum, qui nullis parcebat ſumtibus in res ſumtuoſas faciendis. Haud grave ipſi fuiſſet mendicum nudum veſtire & famem ejus fruſto panis ſedare: ad ejus tamen miſeriam animum non advertebat, quamvis canes ulcera ejus lingentes & miſeriæ ejus quaſi ſubvenientes attentionem ejus in eandem attrahere poterant. Minime igitur tantam miſeriam ſe commoveri patiebatur, ut eandem ſublevaret, quamvis ignorare non poſſet, eundem contriſtari debere, quod ſe deſtitutum videret omni ope, quam ipſe eidem ferre poterat. Nemo eſt, qui perpenſis iſtis circumſtantiis divitem epulonem immiſericordem vocare dubitabit, etiamſi immiſericordiam a non miſericordia alias diſtingvat. Arcti admodum ſunt limites inter non miſericordiam & immiſericordiam, ita ut ob cauſas emergentes non miſericos ex improviſo fiat immiſericors. Dantur autem immiſericordiæ gradus, ita ut immiſericordia naſcens propior ſit non miſericordiæ, ac ideo acumine opus ſit ad illam ab hac diſtingvendam. Obtinet hoc in vitiis quoque aliis. Aſt ne quis fiat immiſericors, fugienda eſt non miſericordia. Etenim non miſericors facilius efficitur miſericors, quam ubi ab immiſericordia ad miſericordiam quis avocandus.

§. 421.

Si animus ad miſericordiam diſponendus, ſtatus miſerorum expendendus & cum noſtro comparandus, & fingentes ſtatum noſtrum cum ſtatu miſeri permutari, perpendere debemus, quid nobis ab altero fieri velimus. Etenim ſi ſtatus miſerorum cum ſtatu noſtro comparatur, tanto clarior erit differentia, quæ inter utrumque intercedit, quo intimius uterque perſpicitur, conſequen-

Medium animum ad miſericordiam diſponendi.

ter patet, quanam ope indigeat miſer, ut miſeria ejus ſi non tollatur, ſaltem mitigetur & tolerabilior efficiatur, & quid nos ad hoc conferre poſſimus, ut vel miſer a miſeria liberetur, vel malum, quo affligitur, ſaltem tolerabilius efficiatur. Quodſi jam ponamus, nos eſſe miſeri loco, cum homo per naturam ſuam averſetur infelicitatem (§. 325. *part. 2. Phil. pract. univ.*), ideoque omne id, quod moleſtiam creare ipſi poteſt (§. 639. *Pſych. empir.)*, averſatio vero tendat ad hoc depellendum (§. 250. *part. 2. Eth.)*, extemplo nobis conſtabit, fore ut velimus nos a malo iſto liberari, & dolorem ſolamine leniri, ſi quis ſaltem effecerit, ut idem quomodocunque tolerabilius efficiatur. Quodſi porro ponamus, alterum loco noſtro eſſe, ut nos a malo vel liberare poſſit, vel ſaltem ferre opem, qua idem tolerabilius efficitur; ecquis dubitabit fore, ut quam maxime opem ejus anhelemus, & alterum miſericordem erga nos eſſe velimus (§. 256. *part. 4. Jur. nat.*)? Quoniam itaque maxime naturale eſt, ut id facias alteri quod tibi ab alio fieri vis, cum eadem ſit mutua obligatio (§. 99. *part. 1. Jur. nat*); animus ad miſericordiam diſponitur, ſi ſtatum miſerorum expendamus & cum noſtro comparemus, & fingentes ſtatum noſtrum cum ſtatu miſeri permutari perpendamus, quid nobis ab altero fieri velimus.

Media virtutis, quæ in Moralibus præſcribuntur, talia non ſunt niſi reſpectu eorum, qui habent animum virtutem colendi, conſequenter cum virtus conſiſtat in habitu actiones ſuas legi naturæ conformandi (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), qui bonam habent voluntatem (§. 121. *part. 2. Eth.*). Quorum enim voluntas bona non eſt, aut prorſus mala; illi mediis iſtis uti nolunt. Ita in præſenti caſu non modo ipſis moleſta accidit ea ſtatus ſui cum ſtatu miſeri comparatio, ſed ſi vel maxime ab alio inculcentur, quæ huc faciunt, aut ipſimet ad eorum conſiderationem animum appellant, non tamen ſuffici-

tem

tem ad ea afferunt attentionem, & tacite ſerpentia vitia eandem ad alia trahunt, quibus appetitus in contrarium rapitur. Aurem igitur benignam rationi minime præbent. Valet idem de remediis, quæ contra vitia præſcribit Philoſophia moralis. Horum efficientia tanto magis impeditur, quo altiores radices vitium in animo egerit. Quodſi ergo media iſta & remedia ad alios applicanda, multa circumſpectione opus eſt, ne in caſſum cadat omnis labor. Hoc qui viderunt facile ſibi perſuaſerunt, quaſi in Philoſophia morali non ſit locus demonſtrationi, quemadmodum in Matheſi, quaſi mores hominum non ſint objectum demonſtrationis, ſicuti magnitudines & numeri, conſequenter quod in Matheſi obtineant demonſtrationes, objecto ejus eſſe tribuendum. Enimvero qui ita ſentiunt, theoriam moralem cum ejus applicatione confundunt. Illa quidem demonſtrationes admittit, quæ certitudinem parit; aſt demonſtratio efficere nequit, ut, quod in ſe certum eſt, cum effectu quoque applicetur. Mens humana abyſſus eſt latebrarum & receſſuum, quibus mediorum & remediorum uſus redditur inutilis, ut in tentaminibus nobis ſit ſubſiſtendum, in quibus ne deſiderari quid patiamur, opera danda eſt, ut eos intimius noſcere diſcamus, quos ad virtutem quandam adducere, a vitio avocare volumus. Ad hanc noſcentiam plurimum conducit analyſis exemplorum moralis nunquam ſatis commendanda. Ceterum ut aliis lubenter faciamus, quod ab ipſis fieri nobis volumus; neceſſe eſt ut agnoſcamus æqualitatem naturalem hominum, vi cujus nobis non majus jus arrogare poſſumus, quam alteri concedimus, nec alteri minus obligatos nos exiſtimare, quam alterum nobis obligatum eſſe volumus (§. 78. *part. 1. Jur. nat.*). Ne vero ulli exceptioni locus relinquatur in caſu præſenti, ſupra oſtendimus, ſi miſericors eſſe volueris, operam dandam eſſe, ut facta a perſonis dividere diſcas (§. 407.). Quando vero dicimus, animum ad miſericordiam diſponi; ſufficienter indicamus, ea, quæ in propoſitione præſente præſcribuntur, non ſufficere, ut ſis miſericors, cum miſericordia ſupponat amo-

rem univerſalem (§. 402.), de quo abunde dictum eſt in ſuperioribus.

§. 422.

Quænam perpendenda, ut miſeris lubenter ſubveniamus.

Ut miſeris lubenter ſubveniamus pro modo facultatum noſtrarum, conſiderandum eſt egenis atque mendicis & miſeris competere aliquod jus ad id, quod nobis ſuperfluum eſt, pro modo indigentiæ ipſorum, nobis vero qua dominis competere jus in uſum ipſorum legi naturæ convenienter de eo diſponendi. Quoniam enim homines omnes corpus ſuum conſervare debent (§. 349. *part.* 1. *Jur. nat.*); lex quoque naturæ omnibus tribuit jus ad uſum earum rerum, ſine quibus conſervari nequit. Quamvis itaque dominiis introductis fieri non poſſit, ut omnes habeant, vel labore ſuo acquirant (§. 514. *part.* 1. *Jur. nat.*), quantum vitæ tolerandæ ſufficit, ſed alii minus habeant, alii plus; non tamen propterea fortunam adverſam expertis pereundum, in quorum præjudicium, citra violationem juris naturæ omni homini competentis (§. 19. *part.* 2. *Jur. nat.*), introduci minime potuerunt. Quamobrem neceſſe eſt, ut infortunio ſuo indigis relictum ſit aliquod jus ad id, quod aliis ſuperfluum eſt (§. 239. *part.* 4. *Jur. nat.*). Enimvero cum vi libertatis naturalis homo in agendo non dependeat ab ullo alio homine niſi a ſeipſo (§. 153. *part.* 1. *Jur. nat.*) & lex naturæ, a qua venientem obligationem libertas non tollit (§. 159. *part.* 1. *Jur. nat.*), ipſi præſcribit, quomodo actiones ſuas dirigere, conſequenter etiam rebus, quæ ſunt in dominio ipſius, uti debeat (§. 167. *part.* 2. *Jur. nat.*); dominium quoque conſiſtere debet in libertate diſponendi de re pro arbitrio ſuo, ſeu prouti domino viſum fuerit (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*), conſequenter etiam de eo, quod ipſi ſuperfluum eſt, in uſum egenorum, mendicorum atque miſerorum, & lex naturæ præſcri-

ſcribit modum, quo diſponere debeat, quemadmodum ex anterioribus abunde patet atque in parte quarta Juris naturalis ſufficienter demonſtratum eſt. A Deo igitur, legis naturæ autore (§. 273. *part. 1. Phil. pract. univ.*), collatum eſt jus diſponendi de ſuperfluo in uſum miſerorum & indigentium juxta voluntatem ſuam lege naturæ manifeſtatam (§. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ut ideo exercitium juris in dominiorum introductione miſeris atque opis alienæ indigis ad ſuperfluum reſervati ſit penes dominum. Quoniam qui bonam voluntatem habet, lubenter facit, quod legi naturæ, ſeu voluntati divinæ conforme (§. 121. *part. 1. Eth.*), &, quia omnes voluntatem bonam habere debent (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*), omnes quoque facere debent (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ut miſeris lubenter ſubveniamus pro modo facultatum noſtrarum, conſiderandum eſt egenis atque mendicis & miſeris competere aliquod jus ad id, quod nobis ſuperfluum eſt, pro modo indigentiæ ipſorum, nobis vero qua dominis competere jus in uſum ipſorum legi naturæ convenienter de eo diſponendi.

Ne ea, quæ hic dicuntur, paradoxa videantur, unum alterumque notandum eſt, quamvis tum in antecedentibus paſſim, tum etiam alibi (*not.* §. 351. *part. 4. Eth.*), plura jam dicta ſunt, quæ huc faciunt. Jus quoddam homini opis alienæ indigo competere ad id, quod ſuperfluum eſt in alterius patrimonio, abſurdum in ſe minime eſt, cum introductione dominiorum nemini auferri penitus potuerit uſus rerum neceſſarius (§. 562. *part. 6. Jur. nat.*), ideoque dominia introducta intelligantur tacita hac reſtrictione, ut, ſi in caſu emergente contingat alicui penitus auferri neceſſarium rei uſum, eidem jus aliquod competat in eas res, quæ ſunt in dominio (§. 563. *part. 6. Jur. nat.*), unde deduximus jus neceſſitatis ex communione primæva adhuc reſiduum (§. 564. & *ſeqq. part. 6.*

 Jur.

Digitized by Google

Jur. nat.). Ad hoc ipſum jus accedit jus egenorum, mendicorum & miſerorum ad id, quod ſuperfluum eſt in patrimonio alterius. Enimvero antequam jus iſtud exiſtat, neceſſe eſt ut extrema indigentia adſit ex parte egenorum & miſerorum, cui niſi ope aliena ſubveniri nequit, & in patrimonio alterius adſit ſuperfluum, quo ſubveniri poteſt. Omnes autem conjunctim eadem tenet obligatio opem ferendi indigentibus. Quamobrem jus, quod ob indigentiam competit Titio, non terminatur in eo, quod ſuperfluum eſt Sempronio, ſed ad univerſitatem ſuperflui refertur, quod eſt in omnium, qui opibus abundant, patrimoniis. Officium omne erga alios hanc habet exceptionem, ut tibi potius conſulas, quam alteri, ſi aut tibi, aut alteri deeſſe debes (§. 575. *part.* 6. *Jur. nat.*), nec ideo dandum alteri id, quo ipſemet indiges. De eo igitur, quod tibi ſuperfluum eſt, & de propria indigentia non ope alterius indigentis, ſed tuum eſt judicium, ſicuti ex adverſo ope aliena indigentis judicium eſt de ſua indigentia & de impoſſibilitate ſibi ipſi proſpiciendi. Satis manifeſtum hinc eſt, jus quod egenis & miſeris competit ad id, quod aliis ſuperfluum, exerceri non poſſe niſi a dominis, ita ut indigentibus equidem ablatum non ſit ipſum jus, ſed ſaltem exercitium juris, ideoque ipſi aliorum opem implorare tenentur & in denegantis voluntate acquieſcere, niſi inevitabilis emergat neceſſitas, quæ juri neceſſitatis locum facit (§. 599. *part.* 6. *Jur. nat.*). Conſona quoque hæc ſunt primis Juris naturæ principiis (§. 233. 234. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), in quæ tandem reſolvuntur, analyſi demonſtrationum. Ceterum nec hoc inſolens videri poteſt, uni competere aliquod jus, alii tamen exercitium ejus, ita ut qui jus habet id per ſe exercere nequeat, ſed per alium, cujus voluntate ſtandum. Obtinet enim hoc in ſtatu civili, ubi moralis neceſſitas a fine civitatis veniens urget, ut ſingulis adimatur exercitium jurium natura ipſis competentium & judicibus demandetur. Jus naturæ omnia ita determinat, ne ullæ naſcantur contradictiones: id quod quemadmodum ubivis, ita etiam in præſenti caſu perſpici-

Digitized by Google

ſpicitur, ſi ex ſyſtemate legum naturalium concentus fuerit perſpectus. Parum autem refert, quod jus Lazaro competens ad id, quod Crœſo ſuperfluum eſt, non ſpectetur tanquam perfectum: in Moralibus enim tantummodo conſideratur obligatio interna, quæ ſpectatur in conſcientia (§. 656. *part. 1. Jur. nat.*). Quemadmodum nullo jure petitur ab alio, quod quis per ſe conſequi valet (§. 662. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque peccat qui petit (§. 449. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ita ſimiliter peccat, qui denegat, quod dare poterat atque debebat (§. *cit.*). Quamobrem quando de motivo lubenter ſubveniendi miſeris pro modo facultatum ſuarum ſermo eſt; non attendenda niſi obligatio interna cum jure eidem reſpondente. Habent tamen, quæ hic demonſtrantur, etiam uſum in conſtitutionibus civilibus, quemadmodum ſuo loco conſtabit.

§. 423.

Quantum ſit peccatum, ſi miſeris denegetur, quod dare poteras.

Quoniam egenis atque mendicis & miſeris competit aliquod jus ad id, quod nobis ſuperfluum eſt pro modo indigentiæ ipſorum, nobis vero qua dominis jus in uſum ipſorum legi naturæ convenienter de eo diſponendi (§. 402.), & rerum, quas habemus, dominus Deus eſt, nos vero non ſumus niſi uſuarii, & dominium nobis ſaltem competit reſpectu hominum aliorum (§. 351. *part. 4. Eth.*); *Qui miſero opem denegat, quam ferre poterat, ea, quæ diſpenſationi ipſius commiſit Deus, male diſpenſat, & jus egenorum ac miſerorum violat: quodſi ergo luxu deditus profundit, quæ egenis ac miſeris dare debebat, ea conſumit, quæ ipſis a Deo deſtinantur ad extremam vitæ neceſſitatem tolerandam & miſeriam ſi non tollendam, ſaltem levandam.*

Hæc probe notanda ſunt, ut intelligatur, quantum ſit peccatum miſericordem non eſſe, aut eſſe prorſus immiſericordem, & cur tam gravi pœna dignum cenſeatur a Deo, quam in extremo judicio Chriſtus dictaturus eſt ejusdem reis, Matth. XXV.

Digitized by Google

XXV. 4. & ſeqq. Plurimum quoque conducit, ut perpendamus, fortunam pertinere ad providentiam divinam (§. 932. *part. 1. Theol. nat.*) & a Deo decretam eſſe (§. 544. *part. 1. Theol. nat.*), conſequenter quod fortunæ tribuimus, id Deo acceptum ferendum eſſe. Quamvis itaque fortuna dicatur cœca, quatenus inæqualiter diſtribuere videtur bona ſua, nec pro merito; cœca tamen non eſt, niſi quatenus hominum actiones ad eandem concurrunt, quorum culpa cœca efficitur, cum ipſimet cœci affectibus, non ratione regantur, & ignorantia eorum laborent, quæ ſcire debebant. Cum Deus in hoc univerſo omnia ſapientiſſime decreverit (§. 643. *part. 1. Theol. nat.*), nec in decernenda fortuna ſapientiam ſuam deſiderari paſſus, cumque mala phyſica & moralia dirigat in bonum finem (§. 680. *part. 1. Theol. nat.*), cœcitatis quoque, quæ hominum culpa accedit, rationem habet, ut cœca dici reſpectu ipſius non mereatur. Facile autem intelligitur, æqualem bonorum fortunæ diſtributionem pro præſenti rerum humanarum conditione minime convenire ſaluti generis humani. Et ne quis de iniquitate fortunæ conqueratur, probe perpendendum, quemlibet in ſtatu ſuo felicem eſſe poſſe (§. 425. *part. 3. Eth.*), nec miſeriam per ſe hominem facere infelicem (§. 330. *part. 2. Eth.*), modo is patientiam in ſe deſiderari minime patiatur (§. 592. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 424.

Cur de liberalitate ſua erga egenos & miſeros gloriari abſurdum ſit.

Similiter quia miſeris, egenis atque mendicis datur, ad quod jus quoddam ipſis competit, & qui dant Dei diſpenſatores ſunt (§. 203.), cumque ea, quæ diſpenſationi noſtræ commiſſa ſunt, Dei ſint (§. 351. *part. 4. Eth.*); *abſurdum eſt, ſi quis de ſua erga egenos & miſeros liberalitate gloriari velit, vel propter famam det eleemoſynus & miſeris ſubveniat.*

Non das egenis & mendicis atque miſeris, quod tuum eſt, ſed quod tibi dedit Deus, ut ipſis des. Laus igitur omnis non tibi debetur, ſed Deo, qui hoc modo proſpicere voluit indi-

Digitized by Google

indigentibus & miſeris. Laus tua in eo conſiſtit, quod ſis fidelis adſpenſator eorum, quæ Deus diſpenſationi tuæ commiſit & cui rationem reddere teneris. Improbat ideo Chriſtus in ſuperbo Phariſæo, quod coram Deo liberalitatem ſuam jactabat, debitum in neſcio quod meritum convertens. Ex hactenus demonſtratis & uberrime expoſitis abunde patet, quantum in Moralibus interſit, ut dominium conſideremus, quale nobis competit reſpectu Dei, & quomodo ejus uſum regat lex naturæ. Quodſi omnes huc animum adverterent, qui opibus abundant; non tantus eſſet earum abuſus, qualis conſpicitur, nec liberalitas erga egenos & miſeros ulla ſui parte deficeret.

§. 425.

De iis, qui nullo jure eleemoſynam petunt.

Quoniam jus ad id, quod aliis ſuperfluum eſt, egenis atque mendicis & miſeris competit pro modo indigentiæ eorum (§. 422.), nec eleemoſyna danda niſi iis, qui labore ſuo tantum acquirere minime poſſunt, quantum ad vitæ neceſſitatem ſufficit (§. 220. *part.* 4. *Jur. nat.*), & miſericordes eſſe debemus erga eos, qui a malo, quo affliguntur, ſeipſos liberare nequeunt (§. 259. *part.* 4. *Jur. nat.*); *ſi qui ipſimet habent, aut labore ſuo acquirere poſſunt, quantum indigentiæ ſuæ ſufficit, eleemoſynas petunt, in jus egenorum & mendicorum atque pauperum involant &, quod iisdem debetur, id ipſis ſurripiunt.*

Jus ad id, quod aliis ſuperfluum eſt, reſtrictum eſt ad certas perſonas & metiendum ex indigentia ipſarum. Nemo autem ſibi arrogare debet jus, quod alterius eſt, id quod furto aſſimilatur. Quamvis enim furtum proprie ſic dictum non committatur niſi in re corporali mobili (§. 499. *part.* 2. *Jur. nat.*), ſibi tamen arrogare jus, quod res incorporalis eſt (§. 498. *part.* 1. *Jur. nat.*), egenis, mendicis atque miſeris competens, ut accipiatur, quod ipſis debetur, proxime ad furtum accedit (§. 498. *part.* 2. *Jur. nat.*). Atque hinc patet turpi-

tudo naturalis hujus vitii, quod pudere debet eleemoſynas accipientes, quibus minime indigent. Ipſa autem hæc turpitudo motivum eſſe debet non petendi eleemoſynas, quibus non indiges. Vulgo ea agnoſcitur, quamvis non intime perſpiciatur. Neque enim ſolum miſeri, quos egeſtas & mendicitas aliaque mala affligunt, ad quæ tollenda, vel ſublevanda aliena ope indigent, conqueruntur, quod eleemoſynæ largius dentur non indigentibus, parcius vero, vel nullæ prorſus ſibi; verum etiam qui eleemoſynam petunt, cum laborare poſſint, redarguuntur, quod mendicare non pudeat, & qui mendaces obtentu gravis cujusdam mali eleemoſynas colligunt, in Rep. puniuntur. Ceterum cum jus ad eleemoſynas æſtimandum ſit ex indigentia; de hac quoque recte ſtatuendum. Dantur eleemoſynæ ad ſublevandam extremam vitæ neceſſitatem (§. 51. *part. 4. Jur. nat.*), conſequenter ut vita & ſanitas conſervari poſſit (§. 350. 393. *part. 1. Jur. nat.*), & ut liberi educentur, quos educare obligantur parentes (§. 263. *part. 7. Jur. nat.*). Huc ſi animum advertas, de indigentia aliorum haud difficile erit judicium. Notandum ſaltem adhuc eſt, avertere egeſtatem & mendicitatem, conſequenter miſero ſubvenire, ne in eandem incidat, perinde eſſe, ac extremæ vitæ neceſſitati ſubvenire. Ita ſi incendio conſumtæ fuerint alicujus ædes cum omni ſupellectili, & largiores ipſi dantur eleemoſynæ, ne damno per incendium paſſo ad egeſtatem, aut ipſam mendicitatem redigatur; id non minus opus miſericordiæ eſt, quam ſi eſurienti des fruſtum panis, ut famem expleat, vel veſte carenti veſtem, qua contra injurias tempeſtatum corpus muniat, aut pro modo facultatum ad eandem contribuas. Sed talia facile docent circumſtantiæ caſus emergentis. Unicum adhuc obſervandum videtur, nimirum cur dixerimus, egenis, mendicis ac miſeris aliquod competere jus ad id, quod aliis ſuperfluum eſt. Ratio nimirum hæc eſt, quia unus quisque de eo, quod ſuperfluum eſt, tantummodo pro rata contribuere tenetur ad ſubveniendum indigentiæ aliorum, nec quod a pluribus expectandum, ab uno petendum.

Per-

Pertinent huc, quæ ſupra monuimus de obligatione conjunctim divites & opulentos ſpectante (*not.* §. 422.).

§. 426.

Liberalitas & miſericordia ſunt virtutes ad omnes homines ſpectantes, non vero ad divites & opulentos reſtrictæ. Etenim ſi cujus animus propendet in dona merentibus & ob finem bonum danda, tam amplum vero is patrimonium non habet, ut dare poſſit, hoc tamen non obſtante liberalis eſt (§. 385.) & quantum unusquisque ſit liberalis, non æſtimandum eſt ex quantitate doni, ſed ex ratione hujus ad vires patrimonii & propenſione voluntatis ad dandum (§. 386.), ideoque ex hac ſola, ſi vires patrimonii non permittant, ut actu des. Similiter ſi cujus animus propendet ad ſubveniendum miſeris, in poteſtate tamen ipſius non eſt actu ſubvenire, hoc tamen non obſtante miſericors eſt & miſeros ſaltem non deficiente opportunitate conſolatur (§. 403.), & qui miſericors eſt omnium hominum, qui malo aliquo affliguntur, commiſeratur, quicunque tandem fuerint, &, ſi per ipſum ſtaret, omnes a malo, quo affliguntur, liberari vellet (§. 406.). Præterea ſi pauperi non tanta ſit penuria rerum, quin etiam neceſſariis ſine neglectu officii erga ſeipſum, vel erga alios, quibus ſpeciali quadam ratione obligatur, detrahere quid poſſit, ad eleemoſynam modicam dandum obligatur (§. 242. *part.* 4. *Jur. nat.*), &, ſi mendicus plus mendicando acquiſivit, quam quæ ad præſentem vitæ neceſſitatem ſufficiunt, & videat alium iis carentem, eidem eleemoſynam quandam dare tenetur (§. 245. *part.* 4. *Jur. nat.*), & pauperes, egeni, immo mendici ad dandam eleemoſynam obligantur, quatenus gratis facere poſſunt aliis, quæ ad ſublevandam extremam vitæ neceſſitatem faciunt (§. 246. *part.* 4. *Jur. nat.*). Accedit etiam

De univerſalitate liberalitatis & miſericordiæ.

miſericordia ad officioſitatem, quando faciendo ſubvenitur miſero (§. 405.). Quoniam itaque liberalitas & miſericordia potiſſimum ſpectatur in animo egenis, mendicis atque miſeris ſubveniendi, quem habere poſſunt etiam illi, quibus deſunt vires actu ſubveniendi, & emergunt caſus, in quibus faciendo ſubvenire poteſt, qui non habet, quod dare poterat, emergunt vero etiam caſus, in quibus ope aliena indigis dare poteſt, qui ipſe ope aliena indiget; nemo omnino mortalium eſt, qui non eſſe poſſit liberalis atque miſericors. Quamobrem patet, liberalitatem & miſericordiam eſſe virtutes ad omnes homines ſpectantes, non vero ad divites & opulentos reſtrictas.

Plurimum refert noſſe univerſalitatem liberalitatis atque miſericordiæ, ne quis ſibi perſuadeat has virtutes ad ſe minime pertinere, ideoque eas negligat. Cum omni virtuti operam navare debeamus, nec recte negligitur liberalitas & miſericordia, cujuscunque quis tandem fuerit conditionis. Fortuna nihil mutabilius, ideoque haud raro contingit, ut, qui fuerat pauper & egenus, præter ſpem & expectationem ſuam evadat dives, immo opulentus. Quodſi ergo animus ejus nondum diſpoſitus fuerit ad liberalitatem & miſericordiam, ut demum nunc mutato rerum ſuarum ſtatu hiſce virtutibus operam dare debeat; valde verendum eſt, ne eas negligat, & ſtudium earum erit ipſi difficile. Non inſolens eſt, ut, ſi quis ex paupere reddatur dives, aut opulentus, ſtatus priſtini memoriam deleat, & a liberalitate ac miſericordia animum procul removeat, nec aliena miſeria tangatur, vel avarus & tenax, vel in luxum effuſus. Quodſi vero cum eſſent pauperes de liberalitate & miſericordia ſerio cogitaſſent, & animum ad has virtutes diſpoſuiſſent; jam facti divites facere non negligerent, quod facere in ſtatu anteriori voluiſſent, modo vires non defuiſſent. Accedit, quod qui opibus carent alienæ opis indigi facilius animo comprehendant jus indigentium

tium ad id, quod aliis ſuperfluum, utpote ſibi favens, nec vitiis iſtis obſtantibus, quæ divitum & opulentorum mentem occœcant, ne veritatem videant, vel ut difficillimum experiantur aſſenſum. Haud raro etiam contingit, ut homines ex pauperibus divites & ex vilibus alti ad humilem fortunam triſtemque dejectos contemnant, ſuperbia liberalitatem erga egenos & miſericordiam ſi non prorſus extingvente, attamen multum utrique detrahente.

§. 427.

Jus egenorum atque mendicorum & miſerorum ad id, quod ſuperfluum eſt aliis, ipſa natura neceſſario reſtrictum eſt ad extremam vitæ neceſſitatem. Satis manifeſtum eſt, ſi bona fortunæ inter omnes homines æqualiter eſſent diſtributa, parum conſultum fore generi humano, ut ideo ſine ulteriori probatione ſumi poſſit. Si cui vero non ſtatim ſuccurrant incommoda inde ſecutura, is legat ea, quæ de vitæ ſimplicitate & diſceſſu ab eadem prolixe demonſtravimus & explicavimus, ut evinceremus legi naturæ convenienter communionem primævam fuiſſe ſublatam & dominia introducta (§. 71. & *ſeqq. part.* 2. *Jur. nat.*). In communione enim primæva omnium idem eſt jus ad eas res, quibus indigent ad ſatisfaciendum obligationi ſuæ naturali (§. 19. & *ſeqq. part.* 2. *Jur. nat.*), cujus ſi vitari deberet abuſus, perfecta charitas vigere deberet inter homines, conſequenter rectus illius uſus ſupponit homines, quales non dantur, ſed quales eſſe debebant, ut unusquisque alterum amaret tanquam ſeipſum (§. 619. *part.* 1. *Jur. nat.*), nec quisquam meliore vitæ conditione eſſe vellet, quam alter, non vero quales ſunt. Quamvis homines conjunctim obligentur operam dare, ne deſit ſufficiens copia rerum neceſſariarum, utilium & voluptuariarum, ſive induſtrialium, ſive artificialium (§. 511. *part.* 1. *Jur. nat.*), ideoque hominibus

Quod jus egenorum & miſerorum ad ſuperfluum reſtrictum eſſe debeat ad extremam vitæ neceſſitatem.

omnibus laborandum ſit (§. 514. *part. 1. Jur. nat.*), & unusquisque eum laborem ſeligere debeat, cui obeundo ſe parem ſentit (§. 528. *part. 4. Jur. nat.*); ecquis vero hominibus perſuadebit, ut ſinguli ſatisfaciant obligationi huic, quamdiu vi libertatis naturalis in agendo non dependent ab ullo alio homine, niſi a ſeipſo (§. 153. *part. 1. Jur nat.*), nec introductione dominiorum & ſtatus civilis inæqualitas invecta & naſcendi conditio atque caſus ad ſatisfaciendum iſti obligationi eos trahat. Quoniam vero bona fortunæ per ſe hominem felicem non reddunt (§. 410. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ſed quilibet in ſtatu ſuo felicitate frui poteſt (§. 425. *part. 3. Eth.*), appetitus autem hominis natura non fertur niſi in felicitatem (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), neque etiam Deus aliud vult, quam ut homines ſint felices (§. 706. *part. 1. Theol. nat.*), ita ut vi bonitatis ſuæ ipſis immittat mala phyſica, quibus adverſus malum morale præmuniantur, vel ab eodem avocentur (§. 734. *part. 1. Theol. nat.*), quod ipſos reddit infelices (§. 406. *part. 1. Phil. pract. univ.*); non ſine providentia divina contingit, ut non omnes æque bonis fortunæ abundent. Quemadmodum vero homo obligatur ad corpus (§. 349. *part. 1. Jur. nat.*), & vitam conſervandam (§. 350. *part. 1. Jur. nat.*) & animam perficiendam (§. 167. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ut virtutem colat (§. 278. *part. 1. Jur. nat.*) & laborem ſuum recte perficiat (§. 522. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter perſonam ſuam in ſuo vitæ genere recte gerat, eoque fine ipſi ſufficiunt res neceſſariæ, quæ ad vitæ ac ſanitatis conſervationem requiruntur & ad animam perficiendam (§. 499. *part. 1. Jur. nat.*); ideo contentus eſſe poteſt, ſi non careat rebus neceſſariis, quarum carentia extremam indigentiam efficit, minime neceſſe eſt, ut rerum utilium & voluptuariarum quoque copia inſtructus ſit (§. 500. 501. *part. 1. Jur. nat.*); quas ipſa lex

natu-

naturæ neceſſariis poſtponi jubet (§. 502. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum res neceſſariæ ſint, quarum uſu dominiorum introductione nemo excludi potuit; jus ad id, quod aliis ſuperfluum eſt, ultra res neceſſarias extendi neceſſe fuit minime. Egenis itaque & mendicis atque miſeris cum competat aliquod jus ad id, quod aliis ſuperfluum eſt, idem ipſa natura reſtrictum eſt ad extremam vitæ neceſſitatem.

Si homo habet res neceſſarias, ſatis ipſi proſpectum eſt. Sufficit, ne careat iis, quæ ad vitam & ſanitatem conſervandam ſufficiunt, & ſine quibus fieri nequit, ut, niſi deſint vires, labore ſuo res neceſſarias acquirere valeat. Ideo quoque Apoſtolus nos contentos eſſe jubet, ſi victum & amictum habeamus. Naturam paucis contentam eſſe, dudum exploratum eſt, & quos præſens rerum ſtatus fecit inæquales, mors æquales facit. Nec ideo melius vixiſſe cenſendus eſt, qui ſplendide ac opipare vixit, quam qui acquievit in iis, quæ ad vitæ neceſſitatem faciunt: ea enim in cenſum minime veniunt, quando de vita beata ferendum eſt judicium. Qui ergo infortunio ſuo facti ſunt egeni atque mendici, aut miſeri; non habent quod conquerantur, jus ſuum ad id, quod aliis ſuperfluum eſt, ultra res neceſſarias non extendi & ſe contentos eſſe debere, ſi divites ac opulenti contribuant, quæ ad extremam vitæ neceſſitatem ſaltem ſufficiunt. Fames optimum cibi condimentum eſt, nec cibi lauti ſanitati magis conducunt, quam viles, immo haud raro illi nocent. Et qui eſuriens cum guſtu bonitatis divinæ fruſtum panis comedit, quo famem ſedat, majore voluptate fruitur, quam ſi cujus guſtus ſapore cibi hilaratur. Idem valet de veſtitu: rebus autem utilibus & voluptuariis, etſi earum uſus licitus ſit (§. 467. 472. *part. 1. Jur. nat.*), facile caremus, modo neceſſarias habeamus. Immo conſtat, alios res utiles & voluptuarias ſibi comparare debere, ne aliis deſint neceſ-

neceſſariæ, genere humano multiplicato. Sed de his ſuo loco rectius dicetur in Politica. Notandum porro jus egenorum, mendicorum & miſerorum proprie naſci ex indigentia infortunio contracta: cum tamen benigna ejus interpretatione, quam ſuadet amor univerſalis facta a perſonis dividens, etiam extendatur ad eos, qui non ſine culpa ſua in egeſtatem, aut mendicitatem inciderunt, ac miſeri evaſerunt, his tanto minus juſta querelæ cauſa eſt, quod illud ultra res neceſſarias non extendatur. Notandum quoque eſt, niſi hominum culpa & varia eorum vitia ad egeſtatem & mendicitatem atque miſeriam cum fortuna adverſa concurrerent, pauciores fore alienæ opis indigos, ut ceteri largius contribuere poſſent. Silentio jam prætterimus incommoda, quæ inde reſultant, ſi egenis atque mendicis ultra extremam vitæ neceſſitatem ſubveniatur, rectius alio loco commemoranda.

§. 428.

Quomodo eleemoſyna & in genere beneficium ſpectari debeat ab accipiente.

Accipiens eleemoſynam non conſiderare debet, quo animo & fine detur, nec ſpectare tanquam debitum, ſed tanquam beneficium. Idem valet de beneficio quocunque alio. Eleemoſyna enim ſubvenitur indigentiæ accipientis (§. 51. *part. 4. Jur. nat.*). Per ſe autem patet, eadem ſubveniri indigentiæ accipientis, quocunque animo & propter quemcunque finem detur, conſequenter accipienti perinde eſſe, ſive detur animo vere liberali & datio ex amore proficiſcatur, ſive non. Accipiens igitur eleemoſynam conſiderare non debet, quo animo & fine detur. *Quod erat primum.*

Quamvis vero indigentibus jus quoddam competat ad id, quod aliis ſuperfluum eſt (§. 422.); cum tamen ad dandam eleemoſynam alterum indigens compellere nequeat (§. 223. *part. 4. Jur. nat.*), & ferendum ſit, ſi ea petenti denegetur (§. 225. *part. 4. Jur. nat.*), ideoque ſtandum judicio & voluntate dantis, num ſcilicet dare poſſit & velit, exercitio illius juris danti

danti relicto (§. 422.), qui nonniſi Deo rationem reddere tenetur, quomodo ea, quæ ipſi diſpenſanda commiſit, diſpenſet (§. 423.), eleemoſynam ſpectare nequit tanquam debitum, quod exigi poteſt, ſed tanquam beneficium, quod denegari poterat (§. 57. *part. 4. Jur. nat.*). *Quod erat ſecundum.*

Quoniam beneficiario nonniſi jus imperfectum ad beneficium competit (§. 26. *part. 4. Jur. nat.*), nec eidem competit jus alterum ad beneficium dandum cogendi (§. 27. *part. 4. Jur. nat.*), & vi libertatis arbitrio dantis relinquendum, cuinam dare velit (§. 29. *part. 4. Jur. nat.*), & per ſe patet, eandem eſſe beneficii efficientiam reſpectu accipientis, quocunque animo & propter quem finem detur; quæ de eleemoſyna demonſtrata ſunt, de beneficio quocunque alio ſimiliter intelliguntur. *Quod erat tertium.*

Quemadmodum dominium aliter conſideratur reſpectu Dei, aliter reſpectu hominum (§. 351. *part. 4. Eth.*); ita quoque jus indigentium ad id, quod aliis ſuperfluum eſt, aliter conſiderandum reſpectu Dei, aliter reſpectu hominum. Reſpectu Dei jus hoc conſiderandum tanquam perfectum, & obligatio id rite exercendi perfecta eſt, ut ideo graviter peccetur, ſi miſeris denegatur, quod dari poterat (§. 423.); reſpectu autem hominum tanquam imperfectum, quod indigentibus non relinquit niſi jus perfectum petendi conjunctum cum obligatione patienter ferendi, etiamſi denegetur quod dari poterat. Quemadmodum dominium, quale ſibi competat reſpectu Dei, ſaltem conſiderare tenetur dominus, ut rebus ſuis recte utatur, abuſumque vitet; ita quoque jus indigentium ad id, quod ſibi ſuperfluum eſt, quale ſit reſpectu Dei, ſaltem conſiderare tenetur dominus, ut idem rite exerceat, hoc eſt, voluntati Dei, ſeu legi naturæ convenienter. Præterea nemo judex eſt a Deo conſtitutus, ut de conſcientia alterius judicium ſibi ſumere liceat, nec ulla ratio eſt, cur homini hoc judicium competere debeat. Actu externo ſub-

venitur indigentiæ aliorum, non interno, ideoque obligatio, quatenus reſpicit accipientem, ultra actum externum non extenditur: Deo autem obligatur dans in conſcientia quoad actum internum, ut ejus voluntati ſatisfiat. Diſtinctio hæc ſubſiſtit, etiamſi in natura humana, tanquam fonte legum naturalium (§. 135. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ſubſiſtas, nec ad ejus autorem Deum aſcendas (§. 273. *part. 1. Phil. pract. univ.*): id quod probe notandum eſt profano noſtro hoc ſeculo, ne Pſeudophiloſophis, qui ſibi ſapere videntur ultra ea, quæ intelligunt, veritatem ſugillandi anſam demus. Niſi enim rationem omnem ejuraverint, ea, quæ hic inculcamus & in antecedentibus alibique tradita ſunt, in dubium vocare nequeunt. Atque hæc ratio eſt, cur adeo ſollicite obligationem naturalem, quæ rationem ſufficientem agnoſcit in ipſa hominis rerumque eſſentia & natura (§. 143. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ubivis urgeamus. Quamvis enim tanta eſſe nequeat veritatis fiducia, ut eam inſipientibus perſuaderi poſſe exiſtimemus, qui faſtu & ſuperbia elati ſupra alios ſapere ſibi videntur, dum inſipiunt; ea tamen faciunt ad arguendam ignorantiam & ſtultitiam delirantium, ne ab iis imponatur aliis, qui rectius informari volunt & ſaniora docentibus ſe dociles præbent. His potiſſimum conſulere ſtudet philoſophus. Homo homini ſe utilem præbet ſolo actu externo, & ad hunc ſolum animum attendit in officiis aliorum erga ſe: aſt Deus reſpicit animum & qui officium præſtat eundem reſpicere debet, utpote legi naturæ, ſeu voluntati divinæ conformandum. Homo, cui alius officio ſuo utilem ſe præbere debet, ultra actum externum nihil ab eo requirere poteſt, cum ſic conſequatur *id*, ad quod alter ipſi obligatus eſt. Abſit autem, ut exiſtimes, parum ideo referre, quomodo ſe habeat actus internus, modo externus legi naturæ conformis ſit. Niſi enim actus internus eidem reſpondeat, actus externus non ex virtute proficiſcitur, ſed ex vitio quodam, quod minimum tacite in ejus determinationem influit, nec voluntas conſtans & perpetua eſt, quæ ſola virtutis propria (§. 328. *part. 1. Phil. pract. univ.*),

in

ita, ut in caſu præſenti, qui commodum tuum promovet, ejus animus quoque diſpoſitus ſit ad te ope ſua deſtituendum, vel tibi prorſus nocendum, ſi circumſtantiæ quædam caſus emergentis concitent affectus ſtudio inſerviendi contrarios, aut ad nocendum tibi tendentes. Sola igitur virtute, quæ actus externi & interni cum lege naturæ conformitatem requirit, exacte proſpicitur aliis & propriæ agentis felicitati.

§. 429.

Quo animo eleemoſyna & beneficium quodcunque accipiendum.

Quoniam accipiens eleemoſynam non conſiderare debet, quo animo & fine detur, nec ſpectare tanquam debitum, ſed tanquam beneficium (§. 428.), qui vero beneficium accipit gratum habere debet animum erga benefactorem (§. 43. *part.* 4. *Jur. nat.*), & ei gratias agere obligatur (§. 45. *part.* 4. *Jur. nat.*); *eleemoſynam accipiens gratum habere debet erga dantem animum eidemque gratias agere*, cumque a dantis voluntate unice dependeat, utrum eleemoſynam dare velit, nec ne, & quantum dare velit (§. 224. *part.* 4. *Jur. nat.*), *grato animo accipi debet & cum gratiarum actione, quantulumcunque detur.* Et quoniam in genere qui beneficium accipit, non reſpicere debet animum, quo datur, nec inquirere in finem, ob quem datur (§. 428.), ideoque agnoſcere tenetur alterum eſſe benefactorem ſuum, qui beneficium dat, atque dantis voluntati relinquere, num dare velit (§. 29. *part.* 4. *Jur. nat.*), & quantum (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*); *beneficia omnia accipienda ſunt cum animo grato & gratiarum actione.*

Beneficia, quæ tam in dando, quam faciendo conſiſtunt (§. 17. *part.* 4. *Jur. nat.*), præſtationes gratuitæ ſunt (§. 19. *part.* 4. *Jur. nat.*), pro quibus nihil viciſſim recipitur (§. 18. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quodſi ergo quid gratis tibi præſtatur, beneficium accipis, quod idem manet, conſequenter tibi æque utile eſt, ſive animo vere liberali detur, ſive minus. Naturaliter

homines ſibi invicem obligantur ad beneficia mutua, quantum in poteſtate eſt (§. 23. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quoniam itaque nihil magis naturale eſt, quam ut alteri, cui eadem obligatione teneris, qua tibi tenetur, facias viciſſim, quod tibi facit, (§. 99. *part.* 4. *Jur. nat.*), quantum ſcilicet in poteſtate eſt (§. 209. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); ſi beneficium accipis, animum habere debes beneficium reddendi (§. 40. *part.* 4. *Jur. nat.*), ideoque hunc animum ſaltem verbis declarare, ut benefactori de eodem conſtet. Gratum vero animum habet, qui habet animum beneficia reddendi (§. 42. *part.* 4. *Jur. nat.*), & in ejus declaratione gratiarum actio conſiſtit (§. 44. *part.* 4. *Jur. nat.*). Eleemoſynarum largitio beneficium eſt (§. 57. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quæ igitur de beneficiis dicuntur, de eleemoſynis pariter intelliguntur. Conſtat beneficia eſſe præſtationes gratuitas, *per modo demonſtrata.* Beneficium igitur reddit, qui alteri gratis quid præſtat, qui ſibi gratis quid præſtitit (§. 32. *part.* 4. *Jur. nat.*); non vero neceſſe eſt, ut præciſe idem præſtetur, vel æquipollens: id quod ex ſequentibus clarius eluceſcet.

§. 430.

De beneficii agnitione & ejus æſtimatione ad gratitudinem neceſſaria.

Qui gratum animum habere vult, beneficium ſibi præſtitum agnoſcere ac rite æſtimare tenetur. Etenim gratus animus conſiſtit in dilectione benefactoris ob beneficia in nos collata (§. 31. *part.* 4. *Jur. nat.*), & requirit diſpoſitionem animi ad beneficia reddenda (§. 40. 42. *part.* 4. *Jur. nat.*). Enimvero qui alterum diligere vult ob beneficia in ſe collata & habere animum beneficia alteri reddendi, conſequenter beneficium tribuendi, propterea quod ſibi beneficium tribuit (§. 32. *part.* 4. *Jur. nat.*); utique agnoſcere debet, ſe ab altero beneficium accepiſſe, & quænam inde in ſe utilitas redundaverit perpendere, conſequenter beneficium rite æſtimare tenetur. Quamobrem qui gratum animum habere vult, beneficium ſibi præſtitum agnoſcere ac rite æſtimare tenetur.

Gra-

Gratitudinem hic conſideramus tanquam virtutem, non vero tanquam affectum, quemadmodum in Pſychologia. Conſtat affectum ſedem ſuam habere in appetitu ſenſitivo (§. 603. *Pſych. empir.*); virtutem autem in appetitu rationali, ſeu voluntate (§. 547. *part. 1. Jur. nat.*). Gratitudo igitur qua virtus ſpectari poteſt tanquam affectus per eminentiam inexiſtens appetitui rationali (§. 594. *part. 2. Eth.*). Quemadmodum itaque affectus conſiſtit in amore benefactoris ob beneficia accepta (§. 784. *Pſych. empir.*); ita gratitudo qua virtus conſiſtit in dilectione benefactoris ob beneficia in nos collata (§. 31. *part. 4. Jur. nat.*). Amori enim in appetitu ſenſitivo reſpondet dilectio in appetitu rationali. Quemadmodum amans cupit felicitatem amati (§. 650. 638. *Pſych. empir.*); ita qui diligit alterum conſtantem & perpetuam habet voluntatem felicitatem alterius promovendi (§. 617. *part. 1. Jur. nat.*). Tendit amor ad promovendam felicitatem & depellendam infelicitatem amati (§. 292. *part. 2. Eth.*): qui alterum diligit, omni ſtudio id agit, ut alter ſit felix, atque cavet, ne fiat infelix (§. 617. *part. 1. Jur. nat.*). Gratitudo qua affectus tendit ad bonum bono referendum & gratias agendum (§. 381. *part. 2. Eth.*); qua virtus exigit, ut actu bonum bono referatur & gratiæ agantur, quantum nimirum in poteſtate eſt (§. 31. *part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem ſicuti affectus concitatur beneficiorum agnitione (§. 377. *part. 2. Eth.*); ita qui virtutis compos fieri vult, beneficia diſtincte cognoſcere ac rite ponderare debet, ſicque affectus appetitui ſenſitivo formaliter exiſtens reducitur ad appetitum rationalem, ut eidem per eminentiam inexiſtens induat naturam virtutis (§. 594. *part. 2. Eth.*).

§. 431.

Qui beneficium cognoſcere vult, inquirere tenetur ſedulo, num alius præſtatione quadam gratuita ad bonum aliquod ſive animi, ſive corporis, ſive fortunæ aliquid contulerit, aut idem promoverit, vel *Quomodo beneficium agnoſcatur.*

malum quoddam ſive animi, ſive corporis, ſive fortunæ a ſe averterit, aut a præſenti ſe liberaverit. Beneficia dantur gratis (§. 19. *part. 4. Jur. nat.*) & tam in dando, quam faciendo conſiſtunt (§. 17. *part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem qui benefacia ab aliis in ſe collata agnoſcere vult, animum attendere debet ad ea, quæ alii ſibi gratis dederunt, vel fecerunt, conſequenter ad præſtationes gratuitas aliorum (§. 80. *part. 3. Jur. nat.*). Enimvero omnis actus, quo ad alterius bona ſive animi, ſive corporis, ſive fortunæ gratis quid confertur, vel malum quoddam animi, corporis ac fortunæ ab altero avertitur, ideoque etiam quo præſens depellitur, beneficium eſt (§. 21. *part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem ſi beneficia ab aliis in nos collata cognoſcere velimus, ſedulo inquirere debemus, num alii præſtationibus gratuitis ad bonum aliquod ſive animi, ſive corporis, ſive fortunæ quid contulerint, aut idem promoverint, vel etiam malum quoddam ſive animi, ſive corporis, ſive fortunæ a nobis averterint, aut a præſenti nos liberaverint.

Beneficiorum materia ampliſſima eſt: ad ea enim pertinent omnia bona, quorum homo particeps fieri poteſt, & quæ in bona animi, corporis & fortunæ dividuntur, prout ſcilicet vel ad perfectionem animæ, vel corporis, vel ſtatus externi referuntur (§. 556. *Pſych. empir.*). Et quoniam alii præſtatione ſua nihil efficere poſſunt, niſi quatenus ad perfectionem noſtram, vel ſtatus noſtri aliquid conferunt, vel eandem quomodocunque promovent (§. 220. *part. 1. Phil. pract. univ.*); præter bona quoque animi, corporis atque fortunæ non dantur alia, ad quæ conſequenda alius quid conferre poſſit. Quoniam vero abſentia mali etiam bonum eſt (§. 756. *part. 1. Jur. nat.*); malum ab aliquo avertere, vel a præſenti liberare aliquem perinde eſt, ac bonum quoddam in eum conferre, ſeu ad idem concurrere, quando concurrimus ad averſionem

ſionem mali, aut liberationem ab eodem. Malum itidem triplex eſt, vel animi, vel corporis, vel fortunæ, prout vel ad animum, vel ad corpus, vel ad ſtatum externum ſpectat (§. 567. *Pſych. empir.*), cumque malum ſit, quo nos reddimur imperfectiores, vel ſtatus noſter imperfectior (§. 565. *Pſych. empir.*), præter hæc mala non dantur alia. Omnia igitur bona privativa, quæ in carentia alicujus imperfectionis conſiſtunt, ad abſentiam malorum animi, corporis & fortunæ redeunt, & nobis non minus benefacit, qui malum aliquod animi, corporis, vel fortunæ depellit, aut ab eodem nos liberat, quam qui nos boni cujuſdam animi, vel corporis, vel fortunæ facit participem, aut ad idem quomodocunque concurrit. Quodſi hæc omnia probe perpendamus, fieri haud quaquam poterit, ut beneficium aliquod ab aliis præſtitum nobis non agnoſcatur. Patebit vero etiam, quam multa ſint beneficia, quæ vulgo non agnoſcuntur, cum plerique tantummodo beneficia ad dationes gratuitas reſtringant, immo ne has quidem omnes in beneficiorum numerum referant, ſed tantummodo eas, quibus indigentiæ noſtræ ſubvenitur, aut fortuna noſtra efficitur melior. Accidit hoc, quod non ſatis diſtinctas boni & beneficii notiones habet turba, neque ſatis determinatas. His enim deficientibus unusquisque ſua opinione beneficium æſtimat, ideoque variant hominum de eo judicia, quæ in caſibus datis feruntur: diverſæ enim ſunt hominum de eo, quod ſibi bonum eſt, opiniones, & ideo quoque de beneficio, quod in bonorum gratuita collatione conſiſtere debere nemo inficiatur.

§. 432.

Quoniam *qui beneficium agnoſcere vult*, ſedulo inquirere tenetur, num alius præſtatione quadam gratuita ad bonum aliquod ſive animi, ſive corporis, ſive fortunæ aliquid contulerit, aut idem promoverit, vel malum quoddam animi, vel corporis, aut fortunæ a ſe averterit, vel ab eo ſe libe- *Idem ulterius expenditur.*

liberaverit (§. 431.); *vera bona ab apparentibus diſcernere diſcat neceſſe eſt*, & *quænam ſingulis opponantur mala cognoſcere tenetur*, conſequenter *quænam ſint animæ*, *corporis* & *ſtatus externi perfectiones* (§. 557. *Pſych. empir.*), *quænam imperfectiones* (§. 568. *Pſych. empir.*), *in Jure naturæ ſufficienter demonſtratæ*. Huc etiam pertinent, quæ de bonorum atque malorum ipſis oppoſitorum differentia tradidimus, cum de modo perficiendi voluntatem ageremus (§. 43. & *ſeqq. part. 2. Eth.*), quæ natura ſua fertur in bonum (§. 904. *Pſych. empir.*), quemadmodum noluntas ad depellendum malum (§. 907. *Pſych. empir.* & §. 250. *part. 2. Eth.*).

Non hic repetenda ſunt alibi a nobis jam tradita. Neque vero eſt, quod exiſtimes, quæ ad praxin moralem pertinent, & ad eam ſcitu apprime neceſſaria ſunt, non tradenda eſſe loco alieno. Etenim ſi voluntatem perficere velimus, neceſſe eſt, ut exactam Juris naturæ ſcientiam acquiramus (§. 134 *part. 2. Eth.*). Antequam igitur ad Ethicam accedas, Juri naturæ operam navare debes. Quæ igitur in Jure naturæ traduntur, in Ethica recte præſupponuntur, quemadmodum Aſtronomus ſupponit ea, quæ in Geometria demonſtrantur. Quod vulgo hoc non agnoſcatur, ratio hæc eſt, quod hactenus diſciplinæ philoſophicæ in ſyſtema veri nominis redactæ non tradi ſueverint: id quod tamen neceſſe eſt, ſi quidem ad ſcientiam, certam rerum cognitionem, pervenire volueris. Jus naturæ cum ſupponat Pſychologiam, quemadmodum etiam Ethica, ideo quoque in hac ſupponenda ſunt, quæ ex illa peti poſſunt.

§. 433.

Quomodo beneficia ſufficienter Quoniam qui beneficium cognoſcere vult, inquirere ſedulo tenetur, num alterius præſtatione gratuita bonum aliquod animi, vel corporis, aut fortunæ conſecutus ſit, aut a

malo

malo quodam liberatus (§. 431.), vera autem bona in vera quadam perfectione animæ, vel corporis, vel ſtatus externi (§. 557. *Pſych. empir*), mala autem vera in imperfectione quadam conſiſtunt (§. 568. *Pſych. empir.*); *beneficia aliorum in ſe collata cogniturus perpendere tenetur, quidnam alii ad perfectionem ſui, vel ſtatus ſui contulerint, & quantum debeatur aliis, ut vel ipſe, vel ſtatus ſuus ab aliqua imperfectione fuerit liberatus.* *cognoſcantur.*

Gratuitæ aliorum præſtationes referendæ ſunt non ſolum ad ſtatum noſtrum externum, verum etiam ad animam atque corpus, ut appareat, quid alii contulerint ad noſtram ſtatusque noſtri perfectionem, vel liberationem ab imperfectione, conſequenter quantum aliis debeamus, ut hac vel iſta perfectione gaudeamus, vel ab hac, vel iſta imperfectione ſimus immunes, ſeu, quod perinde eſt, ut hoc vel iſto bono ſive animi, ſive corporis, ſive fortunæ fruamur, aut hac, vel iſta imperfectione careamus. Ita fieri non poterit, ut beneficium quoddam effugiat noſtram attentionem, modo vera bona & mala ab apparentibus accurate diſcernere didicerimus (§. 432.). Hoc modo etiam agnoſcetur quodlibet beneficium, quando nobis præſtatur, & memoriæ infigetur, ne facile ejusdem obliviſcamur, modo ad cogitationes, quæ mentem noſtram ſubeunt, attentionem afferre ſueverimus. Examen vero hoc efficientiæ præſtationum gratuitarum minime moleſtum videri debet, propterea quod ad notitiam ſui plurimum facit (§. 14. *part.* 4. *Eth.*), tam utilis, tamque neceſſaria in praxi morali (§. 22. & *ſeqq. part.* 4. *Eth.*). Beneficiorum itaque cognitio cum noſcentia ſui arctiſſimo vinculo copulatur, cumque beneficia agnita voluptatem creent, immo gaudium tribuant accipienti (§. 33. *part.* 4. *Jur. nat.*) & gratitudinem, ideoque amorem benefactoris (§. 784. *Pſych. empir.*), concitet (§. 377. *part.* 2. *Eth.*), ut etiam ex voluptate benefactoris voluptatem percipiamus, & ideo gaudeamus, quia ipſe gaudet (§. 786. *Pſych. empir.*), bonum, quo ipſe fruitur, veluti noſtrum reputantes (§. 659. *Pſych. empir.*), felicitatem noſtram auget (§. 638.

638. *Pſych. empir.*), ſicque ardorem ſeipſum cognoſcendi incendit (§. 218. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Qui ſecundum rationem vivere ſtudet, veritatem eorum, quæ hic dicuntur, in ſeipſo experiri poterit. Quodſi qui de eadem dubitant, quod eandem in ſeipſo non experiantur; ſe ſecundum rationem nondum vivere inde colligere poſſunt. Experimenta moralia multa ſupponunt, quibus animus ad ea capienda prædiſponitur, ut ideo non ſit, quod miremur, ſi tentanti ex voto non ſuccedant. Poterat hoc illuſtrari exemplo obſervationum aſtronomicarum, immo etiam phyſicarum, quibus hodie utuntur viri egregii in hiſtoria naturali perficienda, niſi verendum eſſet, ne de difficultate experimentorum moralium dubitantibus obſcurum per æque obſcurum declarare videamur.

§. 434.

Quomodo beneficia recte æſtimanda.

Qui beneficia ab aliis in ſe collata rite æſtimare voluerit, non modo perpendere debet, quomodo influant in perfectionem præſentem noſtram, vel ſtatus noſtri; verum etiam quænam bona in poſterum nobis evenientia inde dependeant. Quodſi enim bona quædam in poſterum nobis evenientia a beneficio alterius dependent, benefactor referendus eſt in numerum cauſarum (§. 881. *Ontol.*), quamvis ſpectandus ſit tanquam cauſa efficiens remota (§. 886. 889. *Ontol.*), nec ſolitaria (§. 888. *Ontol.*). Quoniam itaque certum eſt, nos hujus boni participes factos minime fuiſſe, niſi beneficium iſtud accepiſſemus; idem quoque ad beneficium recte referimus. Quamobrem ſi beneficia ab aliis in nos collata rite æſtimare voluerimus, non modo perpendere debemus, quomodo influant in perfectionem præſentem noſtram, vel ſtatus noſtri, ut eadem agnoſcantur (§. 433.), verum etiam ut de magnitudine beneficii certius conſtet, porro conſiderandum, quænam bona in poſterum nobis evenientia inde dependeant.

Magni-

Digitized by Google

Magnitudo beneficii pendet a magnitudine perfectionis noſtræ vel ſtatus noſtri, quam præſtatione gratuita benefactoris ſumus conſecuti, & a magnitudine omnium bonorum, quorum in poſterum non redderemur participes, niſi beneficium iſtud in nos collatum fuiſſet. Ponamus te homini pauperi mutuo dare pecuniam absque ullis uſuris, ut ejus uſu non modo acquirere poſſit, quæ ad ſuſtentationem ſui requiruntur, verum etiam lucrari tantam pecuniæ ſummam, ut non modo tibi mutuum reſtituere poſſit, verum etiam absque uſu pecuniæ tuæ acquirere in poſterum ad ſuſtentationem ſui neceſſaria & patrimonium ſuum indies locupletare. Nonne tibi tanquam benefactori tribuere debet, quod ad hanc vitæ conditionem pervenerit, ſine qua absque ope tua pervenire haud quaquam potuiſſet? Beneficium itaque tuum ſeſe extendit per omnem vitam ipſius, &, ſi is illud ponderat, quemadmodum debet, ſemper agnoſcere tenetur, beneficio tuo talem eſſe præſentem rerum ſuarum ſtatum. Quamobrem in æſtimando beneficio non ſolum ſpectandum eſt id, quod in præſenti inde dependet, ſed conſideranda quoque ſunt omnia, quæ in poſterum ab eodem dependent: quæ cum prævideri certo nequeant, ideo nec fieri poteſt, ut magnitudo beneficii ſtatim agnoſcatur, quando accipitur, ſed ſucceſſive majus majusque deprehendatur. Quamobrem frequenter accidit, ut beneficium aliquod initio parvum & vile ſpectetur, quod bona futura inde dependentia magnum & auguſtum reddunt. Neque quæ de æſtimanda magnitudine beneficii dicuntur, quamvis primo intuitu multis paradoxa videntur, a notionibus communibus prorſus abhorrent. Ponamus te iter facientem moneri, ne eadem via, quam ingreſſus es, iter continues, propterea quod non ſatis tutum ſit, poſtero autem die reſcire, eodem tempore viatorem a latronibus fuiſſe occiſum & omnibus bonis ſpoliatum: nonne ipſi tribues averſionem periculi, in quod incidiſſes, niſi ab ipſo monitus fuiſſes, & quod pecunia, quam tecum habebas, merces in nundinis coëmere poſſis, ac debita ſolvere, & liberis tuis adhuc educandis proſpicere?

 Nonne

Nonne hic in beneficio, quod in ſalutari monito conſiſtit, ratio habetur eorum omnium, quæ inde conſequuntur? Neque inſolens eſt, ut homines grati animi confiteantur, ſe omnem fortunam ſuam acceptam ferre illi, cujus beneficio ad eum ſtatum perducti, a quo omnis fortuna reliqua dependet. Immo idem judicium aliorum quoque eſt. Et hoc inprimis obſervatur in exprobranda ingratitudine, cum vulgo homines acutiores eſſe ſoleant in reprehendendis aliorum vitiis, quam in perſpiciendis virtutibus. Quamvis vero benefactor non ſit cauſa ſolitaria eorum, quæ ex beneficio ipſius conſequuntur, ſed eodem in ea ſaltem influat per modum cauſæ remotæ; non tamen minus benefactorum numero eſt, qui ad beneficium contribuit, quam qui ſolus idem præſtat, & illud inprimis conſiderandum eſt, quod cauſis aliis fecerit locum, quæ ſine ipſo non egiſſent. Qui modum, quo actus contingentium in hoc mundo determinatur, & quo cauſæ influunt in effectum, intimius perſpexit, nihil difficultatis in hiſce deprehendet, & quo loco habere debeat benefactorem ſuum abunde cognoſcet: ceteris vero ſufficit, ut agnoſcant, ſe absque alterius præſtatione bonum, quo gaudent, conſecuturos non fuiſſe.

§. 435.

De indirecta intentione benefactoris.

Qui beneficium nobis præſtat, indirecte intendit omne bonum, quod absque illo non obtinuiſſemus. Etenim quod ex actione agentis perinde ſequi poteſt, quam id, quod vult, id indirecte intendit, ſi vel maxime per ſe id non velit (§. 621. *part. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum benefactor beneficium dans intendat voluptatem, immo gaudium accipientis (§. 35. *part. 4. Jur. nat.*), quamvis non prævideat bona, inde ſecutura, ut ea velle dicendus ſit, indirecte tamen intendit omne bonum, quod abſque beneficio ſuo obtinere non potuiſſet accipiens.

Si

Digitized by Google

Si benefactor eum habet animum, quem habere debet, beneficiarium amat (§. 38. *part.* 4. *Jur. nat.*), ideoque ex voluptate ipſius, conſequenter ex eo, quod beneficiario bonum eſt (§. 558. *Pſych. empir.*), voluptatem percipit (§. 640. *Pſych. empir.*), cumque amor tendat ad promovendam felicitatem & depellendam infelicitatem amati (§. 292. *part.* 2. *Eth.*), & amans amato voluptatem creare ſtudeat (§. 652. *Pſych. empir.*), ſique in poteſtate ſua fuerit efficere, ut is conſequatur aliquod animi, corporis ac fortunæ bonum, quo ipſemet caret & quod pro rerum ſuarum ſtatu ipſemet conſequi minime poteſt, ad hoc faciendum eidem obligetur (§. 646. *part.* 1. *Jur. nat.*); nullum ſane dubium eſt, quin vellet beneficiarium fieri participem omnium illorum bonorum, quæ ex beneficio ſuo conſequuntur, vel absque eo conſecuta minime fuiſſent, ſiquidem ea præxideret. Indirecta igitur intentio propius accedit ad directam. Enimvero beneficiarius non ſpectare debet animum dantis (§. 428.), ideoque eum recte ſupponit, qualis vi legis naturæ eſſe debet. Cum ex parte ſui perinde ſit, quo animo beneficium præſtetur; in æſtimando beneficio in ſe ſpectato ad idem referre tenetur, quicquid eidem ineſt; conſequenter etiam dependentiam bonorum, quorum absque illo particeps factus non fuiſſet, aut fieri non poſſet. Si beneficia ſunt gravida bonis venturis; quando ea veniunt, illorum quaſi fructus ſunt. Cum indirecta intentio agenti imputetur (§. 625. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); fructus quoque beneficii benefactori accepti referendi. Qui non ignorat, quæ de imputatione delictorum ob intentionem indirectam in omnibus judiciis criminalibus perpetuo uſu recepta ſunt principiis moralibus conformia, quæ in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis demonſtravimus; is eadem principia in æſtimandis beneficiis admittet tanto lubentius, quod quæ indirecte intendi dicuntur, vi legis naturæ directe intendere obligatur benefactor, quia præcipit dilectionem univerſalem omnium (§. 618. *part.* 1. *Jur. nat.*), conſe-

 quen-

quenter omne ſtudium id agendi, ut alter ſit felix, ac cavendi, ne fiat infelix (§. 617. *part.* 1. *Jur. nat*).

§. 436.

An in æſtimando beneficio ratio habenda malorum, in quæ absque illo non incidiſſet beneficiarius.

Mala, in quæ incidit beneficiarius, in quæ vero absque iſto beneficio non incidiſſet, benefactori imputari minime poſſunt, nec in æſtimando beneficio attendenda. Etenim benefactor intendit voluptatem, immo gaudium beneficiarii (§. 35. *part.* 1. *Jur. nat*), conſequenter velle nequit, quod ipſi moleſtiam creat, aut triſtitiam concitat, ideoque nec velle poteſt, ut beneficium ſuum ipſi fiat damnoſum. Quamobrem cum a beneficio dando ſeſe abſtineret, ſiquidem prævidere poſſet, id beneficiario fore damnoſum; cum nemini imputari poſſit ignorantia invincibilis (§. 550. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), nec actio, qua ſatisfit obligationi ſuæ, agenti imputari queat quoad mala, quæ ex eadem ſequuntur (§. 613. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); mala, in quæ incidit beneficiarius, in quæ vero absque iſto beneficio non incidiſſet, benefactori imputari minime poſſunt. *Quod erat unum.*

Quoniam mala, in quæ incidit beneficiarius, in quæ vero absque iſto beneficio non incidiſſet, benefactori imputari minime poſſunt, *per demonſtrata;* ea quoque in æſtimando beneficio attendenda non ſunt, tanquam nullo modo intenta. *Quod erat alterum.*

Ponamus, te commendatione mea promotum eſſe ad munus, quod absque ea adeptus non fuiſſes. Ponamus porro incendio conſumi res tuas omnes, immo filiolum, quem impenſe amas, miſere perire, qui caſus funeſtus tibi non contigiſſet, niſi ad munus illud evectus fuiſſes. Mihi imputari nequit tantum malum, in quod incidiſti, nec hoc quicquam detrahit beneficio, quo fortunas tuas augere ſtudui, & nemo ſanus probabit, ſi indignabundo in me animo dixeris, te nullam mihi gratiam habere, quod te commendaverim patrono.

Hæc

Hæc quidem adeo manifeſta ſunt, ut ſuperfluum videatur, ea demum demonſtrari: quoniam tamen inde a nonnullis inferri poterat, abſurdum eſſe ad beneficium referri & benefactori accepta ferri bona omnia, quæ conſecuti non fuiſſemus, niſi beneficii participes facti fuiſſemus, cum alias quoque imputanda eſſent benefactori mala, in quæ non incidiſſemus, niſi eodem mactati fuiſſemus, quod utique abſurdum; ideo neceſſe eſt, ut pateat ratio, cur ab uno caſu ad alterum non valeat argumentatio. Bona imputantur benefactori, quia intenduntur, certe intendi debent, & ipſius animo conveniunt; aſt mala imputari nequeunt, quia non intenduntur, & animo ipſius repugnant. Differentia hæc manifeſta eſt ex demonſtrationibus, ideoque omne dubium tollit, quod ejusdem ignaro facile ſuboriri poterat, non ſine præjudicio veritatis. Non poteſt excipi, benefactorem non ſemper habere hunc animum, præſertim cum de bonis non prævisis nulla mentem ſubeat cogitatio, & haud raro contingat, ut invideat beneficiario bona, quæ absque ſuo beneficio conſecutus non fuiſſet, ipſumque pœniteat beneficii ſui. Cum enim beneficiarius non conſiderare debeat animum dantis, ſed ſpectare beneficium, quale in ſe eſt (§. 428.); animum benefactoris ſumit, qualis vi legis naturalis eſſe debet. Supponit itaque amorem infucatum benefactoris (§. 38. *part.* 4. *Jur. nat.*), cui maxime convenit, ut velit, beneficium ſuum eſſe beneficiario non modo utile, ſed etiam fructuoſum, & gaudeat, ſi videt votis ſuis reſpondere eventum (§. 292. *part.* 2. *Eth.*). Non inſolens eſt, ut benefactor prævidens ex beneficio ſuo provenire poſſe bona alia per modum voti animum hunc ſuum beneficiario declaret: ſi quorundam vero is eſt animus, ut a beneficio ſeſe abſtinerent, ſi certo prævidérent bona inde ſecutura, id certis vitiis debetur, quæ liberalitatem & officioſitatem labe quadam inficiunt, beneficium vero in ſe non immutant. Qui bonum directe intendit, indirecte quoque intendit bona alia cum eodem connexa & ſuo tempore eventura: qui malum intendit directe, mala quoque alia cum eodem

quo-

quomodocunque connexa indirecte intendit. Sed repugnat, ut cum bono intendantur mala, quin potius bonum intendens maxime vult, ne inde ſequantur mala. Et quamvis variæ ſint rationes, ob quas benefactor mutet animum erga beneficiarium, quem in præſenti habet; quod tamen mutabilitati voluntatis tribuendum, id ad beneficium adſcribi nequit, quod illa mutata minime alteratur.

§. 437.

De bonis ex malo conſequentibus.

Si ex malo, quod nobis inflixit alius, conſequantur bona; ea non male facienti, ſed Deo accepta ferenda. Directio enim malorum ad bonum finem pertinet ad gubernationem hujus univerſi (§. 904. *part. 1. Theol. nat.*), ideoque ad providentiam divinam (§. 929. *part. 1. Theol. nat.*), & ad bonitatem Dei adſcribenda (§. 733. *part. 1. Theol. nat.*), conſequenter quæ ex malo, quod nobis ab homine infligitur, conſequuntur bona, beneficia divina ſunt. Deo igitur accepta ferenda, non homini, qui nobis malefecit.

Qui nobis male facit, male quoque cupit, nec bene cupere poteſt: neque enim propterea nobis male facit, ut bona conſequamur, quæ alias non conſequeremur. Tantum igitur abeſt, ut ea intendere poſſit tanquam finem. Aſt Deus, qui vult, ut ſimus felices (§. 706. *part. 1. Theol. nat.*) & per nexum rerum gubernat hoc univerſum (§. 901. *part. 1. Theol. nat.*), permittit, malis nos onerari ab hominibus, ut conſequamur bona, quæ vi nexus rerum alias conſequi non potuiſſemus. Hæc igitur bona in æſtimandis beneficiis divinis locum habent; aſt in humanis attendenda non ſunt. Exemplo Joſephi admodum luculento, quæ diximus, illuſtrantur (§. 749. *part. 1. Theol. nat.*).

§. 438.

An beneficia ab homini-

Beneficia ab hominibus in nos collata, & multo magis bona, quæ inde conſequuntur, in numerum beneficiorum divinorum referenda.

Etenim

Etenim bonitati divinæ acceptum ferendum, quod homo ponatur in iis circumſtantiis, ſub quibus bonorum tam phyſicorum, quam moralium ſit compos (§. 737. *part. 1. Theol. nat.)*, & ſi qui homines alii ei quomodocunque inſerviant, aut quid boni conferant (§. 742. *part. 1. Theol. nat.*), conſequenter etiam ut particeps fiat beneficiorum, quæ ab hominibus aliis in ipſum conferuntur (§. 21. *part. 4. Jur. nat.*): cumque Deus velit, ut quilibet homo actiones ſuas dirigat ad aliorum hominum ſtatusque eorundem perfectionem (§. 909. *part. 1. Theol. nat.*), actus vero iſtiusmodi omnes beneficia ſint (§. 22. *part. 4. Jur. nat.*); beneficia voluntati divinæ conformiter, ſeu ipſo volente nobis exhibentur. Revera igitur Deus nobis benefacit per homines, ideoque beneficia ab hominibus in nos collata, in numerum beneficiorum divinorum referenda. *Quod erat unum.*

bus exhibita habenda ſint pro beneficiis divinis.

Res ſucceſſivæ in mundo inter ſe connexæ ſunt (§. 54. *Coſmol.*), ideoque vi nexus rerum in univerſo ex beneficio conſequuntur bona cetera, quorum absque illo beneficiarius particeps factus non fuiſſet. Enimvero nexus rerum in hoc univerſo ſapientia & bonitate divina conſtitutus (§. 741. *part. 1. Theol. nat.*), & per eundem Deus decretum, quod providentiam appellamus, exequitur (§. 927. *part. 1. Theol. nat.*), ut ideo omnia, quæ naturaliter fiunt, ſecundum providentiam ipſius fiant (§. 930. *part. 1. Theol. nat.*). Bona igitur ex beneficio ab homine accepto conſequentia in numerum beneficiorum divinorum referenda, multo quidem magis quam beneficium iſtud ab homine acceptum, *per demonſtrata n. 1.* quia quod ex eo conſequantur, non homini, ſed Deo tribuendum, utut ille per modum cauſæ ſecundæ in ſerie cauſarum ſecundarum a Deo conſtitutæ ad eadem concurrat & remote in eorundem exiſtentiam influat. *Quod erat alterum.*

Hæc probe notanda ſunt, ut Deo reddamus honorem, qui ipſi debetur, nec ejus obliviſcamur, vel homini tribuamus, quod Dei eſt. Semper nimirum cogitandum eſt, Deum nobis beneficia exhibere per homines, quemadmodum per cauſas naturales, quando utimur fortuna ſecunda. Benefactor diſpenſator eſt eorum, quorum diſpenſationem Deus ipſi commiſit (*not.* §. 424.). Non abhorrent hæc a notionibus communibus. Deo enim gratias agimus, quod excitaverit benefactores, & ut hoc faciat ſupplicamus. Vide, quæ de bonitate divina ex bonis ab aliis hominibus in nos collatis agnoſcenda demonſtravimus & annotavimus (§. 44. *part.* 3. *Eth.*).

§. 439.

Officium erga Deum ob beneficia ab hominibus in nos collata.

Quoniam beneficia ab hominibus in nos collata & multo magis bona inde conſecuta in numerum beneficiorum divinorum referenda (§. 438.); *Quando beneficia ab hominibus accipimus, Deo quoque pro iis agendæ ſunt gratiæ tanquam benefactori* (§. 45. *part.* 4. *Jur. nat.*), *eumque propter ea amare tenemur* (§. 38. *part.* 4. *Jur. nat.* & §. 228. *part.* 3. *Eth.*).

Officium hoc erga Deum dulcedinem ſingularem beneficio ab homine accepto conciliat, quatenus amor Dei maxima voluptate perfundit animum (§. 1171. *part.* 1. *Jur. nat.*), cumque ideo amor Dei plurimum conferat ad felicitatem noſtram (§. 251. *part.* 3. *Eth.*), pretium ejus multum augetur. Et hoc modo efficientia beneficii major eſt, quam foret officio iſto erga Deum neglecto, benefactor vero beneficio ſuo gloriam quoque Dei promovet, quem in actione omni colere debemus (§. 1124. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quodſi benefactor Deum agnoſcit, quemadmodum debet, hanc ipſius gloriam dans beneficium quoque intendit, & ſi beneficiarius ſimiliter agnitione Dei ſufficiente non deſtituitur, nec officia erga eum ignorat, finem intentum quoque conſequitur benefactor, atque ſic demum beneficia recte dantur & accipiuntur, & beneficium plurimum confert ad utriusque felicitatem. Non deeſt hominibus

Digitized by Google

nibus materia gaudendi, modo ea carere nolint culpa ſua, ſed ſemper a cauſis ſecundis ad cauſam primam Deum (§. 1120. *part. 1. Theol. nat.*) aſcendant experturi, ſolum Deum eſſe, qui nos reddere poteſt vere felices, nec ſine eo felicitate continua nos frui poſſe. Quodſi ad talia animum attenderent homines, nulli quoque dubitarent, quin Deus ſerio velit ipſorum felicitatem (§. 706. *part. 1. Theol. nat.*), & quod culpa ſua eadem ſe privent, ut Deo, quo frui poterant, frui nolint. Ceterum hinc intelligitur, homines profanos, quibus abundat ſeculum noſtrum, eſſe infenſiſſimos generis humani hoſtes, & ex quo fonte manent pſeudophiloſophorum de miſeria humana querelæ, qui veræ felicitatis notione deſtituuntur, quam ipſos docere poterat amor Dei bonitatis divinæ conſideratione concitatus (§. 254. *part. 3. Eth.*). Sine Deo homo miſer eſt; cum Deo in ipſa miſeria felix (§. 291. 437. *part. 3. Eth.*). Optandum foret, ut hæc pro dignitate hominibus inculcarentur: ſed dolendum eſt, doctrinam profundam ex ſyſtemate veri nominis hauriendam non modo negligi ab iis, qui eadem maxime inſtructi eſſe debebant, verum etiam contemni ob difficultatem, quam in ea ſentiunt ignaviæ ſuæ patrocinantes, immo prorſus damnari & impietatis nomine traduci odio erga eos, qui eandem profitentur.

§. 440.

Si quis cognoſcere vult, num habeat animum gratum, is obſervare tenetur, num benefactorem ob beneficia ſibi præſtita amet & num habeat animum beneficia reddendi. Gratitudo enim conſiſtit in dilectione benefactoris ob beneficia in nos collata (§. 31. *part. 4. Jur. nat.*), conſequenter qui gratum animum habet, ei conſtans & perpetua voluntas eſt felicitatem benefactoris promovendi (§. 617. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque ex ipſius felicitate voluptatem percipit (§. 156. *part. 2. Eth.*). Quamobrem cum in diſpoſitione animi ad percipiendam voluptatem ex benefactoris felicitate amor conſiſtat (§. 633. *Pſych. empir.*);

Signum animi grati.

qui gratum habet animum benefactorem amat. Quodſi ergo benefactorem amemus, inde certi ſumus, nos gratum animum habere. Quodſi itaque cognoſcere velimus, num animum gratum habeamus, obſervare tenemur, num benefactorem ob beneficia nobis præſtita amemus. *Quod erat unum.*

Qui habet animum beneficia reddendi, gratus eſt, ſeu animum quoque gratum habet (§. 42. *part. 4. Jur. nat.*). Quodſi ergo cognoſcere velimus, num animum gratum habeamus, obſervare tenemur, num habeamus animum benefactori beneficium reddendi. *Quod erat alterum.*

Amor benefactoris a gratitudine ſeparari nequit. Quod enim dilectio, quæ virtutis eſt, in appetitu rationali eſt, id eſt amor affectus in appetitu ſenſitivo. Amamus alterum, ſi ejus felicitate delectamur (§. 633 *Pſych. empir.*), amor vero tendit ad promovendam felicitatem & depellendam infelicitatem alterius (§. 292. *part. 2. Eth.*), & in voluntate promovendi felicitatem & depellendi infelicitatem alterius dilectio conſiſtit (§. 617. *part. 1. Jur. nat.*). Amor igitur qua affectus ſtimulus eſt ad dilectionem, ex qua provenit animus beneficium reddendi. Qui benefactorem amat, eidem bene cupit (§. 650. *Pſych. empir.*), ideoque inde noſtrum erga benefactorem amorem agnoſcimus, ſi beneficia in nobis concitent cupiditatem, ut ipſi bene ſit, & ut is omni bonorum genere cumuletur, ideoque optemus, ut omne malum ab eo depellatur, & ut eveniant, quæ ipſi ſalutaria ſunt. Animum vero beneficium reddendi manifeſtat votum, ut occaſio offeratur faciendi, quod ipſi gratum eſt, & cupiditas pro virili inſerviendi, modo non deeſſent vires, aut deficeret occaſio. Eadem ſigna locum quoque habent in gratitudine alterius cognoſcenda. Etenim ſi gaudium vel voluptatem prodit, quando de bono, quod benefactori obtingit, ſermo eſt; amorem quoque, quo erga benefactorem flagrat, prodit. Cautio tamen adhibenda, ne ex verbis ſolis de animo alterius judicemus. Quem-

Digitized by Google

Quemadmodum enim homines vivere conſueverunt ad ſimimitudinem aliorum, ita quoque ad ſimilitudinem aliorum loqui ſolent. Formulæ autem loquendi compoſitæ ad veritatem frequentiſſime reſpectu loquentis verba ſaltem ſunt, ideoque ſonus ſine mente habendæ. Idem tenendum de animo beneficia reddendi. Quodſi quis actu beneficia reddere ſolet, ut non ſingularis cujusdam rationis ſuſpicio adſit, idem certius agnoſcitur, factis nimirum infucatis eum prodentibus.

§. 441.

Quoniam gratus animus agnoſcitur ex amore benefactoris ob beneficia accepta (§. 440.), qui vero alterum amat, ejusdem quoque commiſeratur (§. 688. *Pſych. empir.*); *gratum quoque animum agnoſcimus, ſi ob beneficia accepta commiſeramur benefactoris, quando in malum quoddam incidit*, conſequenter cum commiſeratio tendat ad liberandum alterum a miſeria, aut, ſi id fieri non poſſit, ad eam ſublevandam, vel leniendam, immo etiam ad eam avertendam (§. 333. *part. 2. Eth.*), *gratum quoque animum agnoſcimus, ſi habemus animum benefactorem a malo, quod ipſi obtingit, liberandi, aut idem ſublevandi, vel leniendi, vel etiam malum imminens ab eo avertendi, quantum in poteſtate noſtra eſt, & modo in eadem eſſet.* *Alia ſigna grati animi.*

Amor a commiſeratione inſeparabilis: neque enim concitari poteſt, niſi amore præſuppoſito (§. 326. *part. 2. Eth.*). Quodſi vero ex commiſeratione gratus animus colligendus, neceſſe eſt, ut beneficia accepta concitaverint amorem, eorumque memoria eundem foveat, ideoque benefactoris commiſereamur, quatenus benefactor eſt. Non propterea neceſſe eſt, ut abſit amor univerſalis, ex quo naſcitur commiſeratio univerſalis. Etenim ſi beneficia benefactoris in amorem influunt, amor intenditur & cum eo quoque commiſeratio, ut, quemadmodum affectus fortius excitat cupiditatem mali de-

pellendi, aut levandi, ita beneficiorum memoria motivum fortius efficiat, ut maxime velimus benefactorem a malo liberare, aut idem minimum lenire, ſicque ardor malum depellendi, vel levandi concitetur (§. 218. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quando nimirum de animo grato tanquam virtute ſermo eſt, affectus reducendus ad appetitum rationalem, ut cum ſenſitivo conſentiat & ſenſitivus legi naturæ conformis ſit. Ita nimirum intellectus regit affectum (§. 528. *part. 2. Eth.*).

§. 442.

Qualis declaratio animi ad gratiarum actionem pertineat.

Similiter quia gratum animum agnoſcimus ex amore benefactoris & animo beneficium reddendi (§. 440.), & ex commiſeratione, ſi quod malum obtingit benefactori, & animo idem depellendi, aut levandi (§. 441.), beneficiarius autem gratias agit benefactori, ſi verbis animum gratum ſignificat (§. 44. *part. 4. Jur. nat.*); *declaratio amoris & commiſerationis erga benefactorem, & animi beneficium reddendi, aut malum depellendi, vel levandi, modo in poteſtate eſſet, ad gratiarum actionem pertinet.*

Declaratio hæc ſequitur ſua ſponte ex amore, ex quo etiam oritur commiſeratio, cumque inde animus gratus manifeſtus ſit, iſta quoque declaratio in formulam gratiarum actionis abiit, qua deinceps conſuetudine ducti utuntur etiam qui animum gratum non habent, ut, quemadmodum jam ante in caſu ſimili monuimus (*not.* §. 440.), reſpectu ipſorum verba degenerent in ſonum ſine mente, ſignificantia ſaltem animum, quem habere debent, non vero quem habent. Conſulenda hic ſunt, quæ de garritu orantium (*not.* §. 1225. *part.* 1. *Jur. nat.*) & de abuſu formularum precum annotavimus (*not.* §. 500. *part. 3. Eth.*). Quando gratias agimus in inſtanti, beneficium accipientes amorem ſaltem, & animum beneficium referendi ſignificamus, nunc hunc, nunc illum magis, prout redditio beneficii magis, vel minus in poteſtate noſtra eſſe poſſe videtur, commiſerationis autem & animi depellendi, au

aut leniendi malum, ſi quod benefactori obtigerit, nullam facimus mentionem: cum enim qui alterum amat, voluptatem ejus appetat (§. 650. *Pſych. empir.*), conſequenter id quod alteri bonum eſt (§. 558. *Pſych. empir.*), bonum vero etiam abſentiam mali complectatur (§. 756. *part. 1. Jur. nat.*), qui benefactorem amat, omnis mali eum immunem eſſe cupit, cujus præſentiam commiſeratio ſupponit (§. 325. *part. 2. Eth.*). Amoris igitur & animi beneficium reddendi ſignificatione commiſeratio & animus malum depellendi, aut leniendi indirecte declaratur, quatenus ex amore commiſeratio & ex animo beneficium reddendi animus malum depellendi, aut leniendi per ſe ſequitur: id quod volitioni indirectæ conforme (§. 623. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Indirectæ declarationi ſuccedit directa, quando contingit benefactorem malo cuidam obnoxium fieri: ſit ita quod vulgo non agnoſcatur, eam ad gratiarum actionem eſſe referendam, propterea quod omnis verborum vis & poteſtas vulgo minime capitur, ſaltem ad eandem animus non advertitur. Brachyologia, cui omnino ſtudendum, & quæ non minus in diſciplinis & artibus, quam in vita communi maximum atque indiſpenſabilem uſum habet, invexit morem, ut ſolis verbis *gratias ago*, immo in ſermone vernaculo nonniſi unico **Ich dancke** animus gratus ſignificetur, ſit ita quod emphaſeos cauſa addantur adverbia pro conditione dantis & accipientis beneficium varia, & accedant geſtus & vultus animi ſigna per modum ſupplementi ejus, quod verbis deeſſe videtur. Nihil in hiſce per ſe eſt, quod reprehendi mereatur. Dolendum vero, quod abuſu verba proferantur absque mente & cetera ſigna externa in morem abeant, quo actus interni ab externis, per quos illi ſignificari debent, ſeparantur. Obtinet idem in caſibus quoque aliis, inde autem venit, quod, ſicuti turba vivit ad ſimilitudinem aliorum parum attendens, cur ita, non aliter ſit vivendum, ita etiam loquatur ad ſimilitudinem aliorum & geſtus ac vultum fingat, quem mos introduxit, parum ſollicita de vera verborum ſignificatione, quam ea habere debent, & de ratione, ob quam hos geſtus, hunc vultum requirat gratiarum actio.

§. 443.

§. 443.

Votum quale ad gratiarum actionem pertineat.

Quoniam declaratio commiſerationis & animi depellendi malum a benefactore ad gratiarum actionem pertinet (§. 442.), commiſerationi vero tunc demum locus eſt, quando is malum quoddam habet (§. 695. *Pſych. empir.*), cujus immunem eſſe vult benefactorem quicunque gratum animum habet, utpote habens animum depellendi malum (§. 333. *part. 2. Eth.*), eventus autem dubii, hoc eſt, futuri quos nemo prævidere poteſt (§. 1191. *part. 1. Jur. nat.*), providentiæ divinæ toti committendi (§. 1192. *part. 1. Jur. nat.*); *ad gratiarum actionem pertinet votum, ut Deus a benefactore omne malum avertat.*

Influit in hoc votum ipſe amor, ex quo oritur commiſeratio (§. 688. *Pſych. empir.*). Etenim qui alterum amat, voluptatem amati, conſequenter quod ipſi bonum eſt (§. 558. *Pſych. empir.*), appetit (§. 650. *Pſych. empir.*), & tædium ejus, conſequenter quod ipſi malum eſt (§. 569. *Pſych. empir.*), averſatur (§. 651. *Pſych. empir.*). Quamobrem gratus ad futura reſpiciens cum concipiat votum, ut Deus omni bono eum cumulet, in eorum numero vero etiam ſit carentia mali cujuscunque (§. 756. *part. 1. Jur. nat.*); voto boni a Deo conferendi jam tacite ineſt votum mali avertendi. Atque ita ſufficienter patet, in votum, ut Deus a benefactore omne malum avertat, influere amorem, quo impulſi omne bonum ipſi apprecamur. Cum vero Deus ſit dator omnium bonorum (§. 42. *part. 3. Eth.*), qui providentia ſua tantundem boni confert (§. 933. *part. 1. Jur. nat.*) ac tantundem mali arcet, quantum ſalva ſapientia ipſius fieri poteſt (§. 934. *part. 1. Theol. nat.*), & ad celebrationem nominis divini lege naturali præceptam (§. 1205. *part. 1. Jur. nat*), requiratur, ut effectus naturæ Deo tribuamus tanquam cauſæ primæ (§. 1206. *part. 1. Jur. nat.*): in votis cum gratiarum actione conjungendis Dei quoque memores recte tribuitur Deo, quod Dei eſt, non vero cum

cum atheis (§. 464. *part. 2. Phil. pract. univ.*) & Deiſtis cœco caſui, quæ ad providentiam divinam referenda (§. 535. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Equidem conſuetæ formulæ gratias agendi votum continent, quo Deo tribuitur, ut benefactorem bonis cumulet, malum vero avertat; aut in quo remuneratio ad Deum refertur, præſertim quando beneficiarius eam in poteſtate ſua eſſe non videt; demonſtrandum tamen eſt hoc recte fieri, noſtro præſertim profano ſeculo, quo iſtiusmodi formulæ nauſeantur & ad plebem imperitam transſcribuntur, aut ſaltem tanquam more introductæ uſurpantur. Optandum vero foret, ut ex veritate procederet votum, quod iisdem concipitur, ne ex parte loquentis abirent in ſonos ſine mente, quemadmodum paulo ante in caſu ſimili monuimus (*not.* §. 440.). Non ſufficit, ea, quæ moris ſunt, in vulgus nota eſſe; ſed in philoſophia morali quoque oſtendendum, morem receptum cum lege naturæ convenire, ut ejus cum eadem convenientia intimius perſpiciatur.

§. 444.

De memoria beneficiorum retinenda.

Beneficii memoriam per omnem vitam retinere debemus, nec in magnitudine ejus æſtimanda mutare pretium, quod accipientes eidem ſtatuimus. Cum enim animus gratus debeatur ob beneficia in nos collata, & conſiſtat in conſtante ac perpetua voluntate beneficiarii omni ſtudio id agendi, ut benefactor ſit felix, ac cavendi, ne fiat in felix, &, ſi in beneficiarii poteſtate non ſit, ut aliquid ad felicitatem benefactoris conferat, aut avertat id, quod infelicem reddere poſſit, felicitatem ejus cupiat, ac ne infelix fiat optet (§. 31. *part. 4. Jur. nat.*), prætereaque ad beneficium quoque referenda ſint bona, quæ in poſterum nobis eveniunt, & quorum participes facti minime fuiſſemus, niſi beneficium iſtud accepiſſemus, ſiquidem id rite æſtimare velimus (§. 434.), tempus autem in beneficio ipſo nihil mutet, quod per ſe patet, ea autem ſuppeditet, quæ ad æſtimationem ejus

ſpectant, *per demonſtrata;* gratus erga benefactorem animus nunquam deponendus, ſed continuo potius majora incrementa capere debet. Neceſſe igitur eſt, ut beneficii memoriam per omnem vitam retineamus. *Quod erat unum.*

Cum beneficium eo, quo accipitur, tempore æſtimetur ex influxu in perfectionem præſentem noſtram vel ſtatus noſtri & ex ſpe bonorum inde futuro tempore conſecuturorum (§. 434.); pretium, quod eidem ſtatuendum, ſemper idem manet, nec ullo tempore variari poteſt, quin potius ſucceſſu temporis intimius idem perſpicitur, ſi memoriam ejus retinens in eo æſtimando non fueris negligens. Patet itaque nos memores beneficii per omnem vitam in magnitudine ejus æſtimanda non mutare debere pretium, quod accipientes eidem ſtatuimus. *Quod erat alterum.*

Ratio grati animi ſubſiſtit per omne tempus, cum beneficium præſtitum ſit factum, quod infectum fieri nequit. Verum manet in æternum, te a benefactore beneficium accepiſſe. Quamobrem cum gratum animum erga benefactorem habere obligeris (§. 43. *part.* 4. *Jur. nat.*), & hæc ipſa quoque obligatio ſit immutabilis (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), animum gratum nunquam deponere debes: quod cum fieri nequeat niſi beneficii memoria conſervetur, eam retineas neceſſe eſt per omnem vitam. Vulgo hoc agnoſcitur, cum in gratiarum actione animum gratum exprimentes dicere ſoleant, ſe beneficii hujus memores futuros per omnem vitam, & quia etiam haud raro addunt, beneficium non fuiſſe collatum in ingratum, hoc ipſo confitentur, ſempiternam beneficii memoriam a grato animo abeſſe minime poſſe. Hæc ipſa vero formula beneficiorum quoque æſtimationi convenit, quatenus ejus efficientia ſe extendit per tempus futurum (§. 434.): ex hoc autem omnes magnitudinem beneficii æſtimare ſolent, quamvis varient ipſorum judicia, propterea quod de illa non ſtatuunt ex veritate, ſed ex naturali & conſuetudine confirmata inclinatio-

Digitized by Google

natione. Neque uſu caret ſempiterna beneficii memoria in praxi morali, cum in colliſione officiorum erga alios, aut quando quæritur, cuinam potiſſimum beneficium a nobis debeatur, quod pluribus dari non poteſt, benefactor ceteris ſit præferendus: de quo mox apertius dicemus.

§. 445.

Benefactor non intendere debet beneficii redditionem. Etenim beneficia dantur gratis (§. 19. *part. 4. Jur. nat.*), conſequenter eo dari debent animo, ut nihil viciſſim a beneficiario accipias (§. 18. *part. 4. Jur. nat.*), ideoque dari non debent eo fine, ut alter tibi viciſſim benefaciat, propterea quod tu ipſi benefeciſti. Quamobrem cum beneficium reddatur, ſi tribuitur ei, a quo beneficium acceptum, propterea quod ſibi ab ipſo beneficium tributum (§. 32. *part. 4. Jur. nat.*), agens autem id intendit, propter quod agit (§. 616. *part. 1. Phil. pract. univ.*); benefactor beneficii redditionem intendere non debet.

An beneficii redditio intendenda.

Demonſtrari idem quoque poteſt per indirectum. Ponamus benefactorem intendere debere beneficii redditionem. Quoniam agens propter id agit, quod intendit (§. 616. *part. 1. Phil. pract. univ.*); beneficia conferenda non ſunt niſi in eum, qui nobis viciſſim beneficium tribuere poteſt. Enimvero beneficium merentur, qui eodem indigent, aut ipſi acquirere, vel facere nequeunt, quod dat, vel facit benefactor (§. 30. *part. 4. Jur. nat.*), ita ut indigentia meritum generale ſit idque naturale, quo ipſa natura hominem beneficio dignum efficit (*not.* §. *cit.*). Quamobrem fieri nequit, ut beneficii redditio a benefactore intendatur, denegetur beneficium iis, qui maxime indigent.

Non repugnat beneficiarium obligari ad beneficium reddendum occaſione oblata (§. 41. *part. 4. Jur. nat.*), redditionem tamen non eſſe a benefactore intendendam, quemadmodum

non repugnat, ut nos exiſtimatione, honore ac laude dignos reddere debeamus (§. 545. 546. *part. 1. Jur. nat.*) & alii obligentur nos tanti exiſtimare, quanti meremur (§. 647. *part. 1. Jur. nat.*), atque honorem laudemque meritam nobis tribuere (§. 648. *part. 1. Jur. nat.*), non tamen exiſtimatio, honor & laus intendi debeat tanquam finis (§. 562. *part. 1. Jur. nat.*). Quemadmodum enim honor & laus merentem ſequuntur ſua ſponte, ſi boni & intelligentes meritum agnoſcunt officioque ſuo ſatisfaciunt; ita etiam redditio beneficiorum ſequitur ſua ſponte, ſi beneficiarius fuerit gratus & officio ſuo ſatisfacit. Beneficium ſpectare debet benefactor tanquam debitum, quod ſolvit (§. 25. *part. 4. Jur. nat.*) & ſe conſiderare tanquam diſpenſatorem Dei, qui dat beneficium ei, cui Deus dari vult, qui lege naturali præſcripſit, cui dari debeat (*not.* §. 424.). Beneficium itaque non debet eſſe mercenarium. Videmus etiam benefactores, qui hoc agnoſcunt, beneficiariis animum reddendi beneficium exprimentibus regerere, ſe minime deſiderare, ut ſibi propterea officium aliquod præſtetur. Immo quoniam vir bonus, qui honeſtatem amat (§. 967. *part. 5. Jur. nat.*), conſequenter convenientia actionis ſuæ cum lege naturæ delectatur (§. 171. *part. 1. Phil. pract. univ.* & §. 657. *Pſych. empir.*), omni modo cavet, ne ſuſpicionem famæ bonæ adverſam aliis præbeat (§. 968. *part. 4. Jur. nat.*); ſi ope aliena indiget, quam æque ab alio, quam a beneficiario obtinere poteſt, ab alio potius, quam a beneficiario eandem flagitat. Non deſunt exempla, ad quæ provocare poteramus; ſed ſufficit monere, me non loqui niſi expertum: id quod in aliis caſibus ſimilibus notandum.

§. 446.

An ingratitudo beneficiarii tollat obligationem benefaciendi.

Quoniam *benefactor* intendere non debet beneficii redditionem (§. 245.); *ſi beneficiarius non reddit, quando reddere poterat & debebat, aut beneficii oblitus, vel non agnoſcens gratum animum non habet, aut quocunque modo ſe ingratum præbet, propterea non deſinere debet eſſe beneficus erga alios, immo erga ipſum ingratum.*

tum. Convenit hoc maxime obligationi naturali, quæ non permittit, ut obligationi noſtræ minime ſatisfaciamus, ſi alter non ſatisfacit ſuæ (§. 631. *part. 1. Jur nat.*).

Noſtra obligatio eſt, ut beneficium præſtemus iis, qui eodem indigent (§. 23. 30. *part.* 4. *Jur. nat.*), obligatio vero beneficiarii, ut beneficium reddat benefactori, occaſione oblata (§. 41. *part.* 4. *Jur. nat.*), & gratum habeat erga benefactorem animum (§. 43. *part.* 4. *Jur. nat.*), ingratus non ſit (§. 47. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quodſi ergo hic beneficium reddere recuſat, quod reddere poterat, aut beneficii immemor, vel idem non agnoſcens gratum animum non habet, immo ſi prorſus ingratum ſe præbuerit; propterea tamen benefactor aliis benefacere adhuc tenetur, immo ipſi quoque ingrato, ſi occaſio ita tulerit, ut ejus ope indigeat, quemadmodum homines omnes (§. 618. *part. 1. Jur. nat.*), ipſos etiam inimicos diligere debemus tanquam nos ipſos (§. 632. *part. 1. Jur. nat.*). Charitas, qua alios diligimus tanquam nosmet ipſos (§. 620. *part. 1. Jur. nat.*), fons omnium officiorum erga alios eſt (§. 654. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque etiam beneficiorum, quæ in gratuita officiorum præſtatione conſiſtunt (§. 21. 22. *part.* 4. *Jur. nat.*).

§. 447.

Cur gratitudo ſit invitatio ad plus dandum.

Qui gratus eſt, benefactorem ad beneficia ulteriora in ſe conferendum permovet. Patet a poſteriori, quod placeat benefactori, ſi gratum erga ipſum prodamus animum, idemque a priori oſtenditur. Etenim gratitudo virtus eſt, quam ſi amat benefactor, quemadmodum debet (§. 351. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ex ea voluptatem percipit (§. 654. *Pſych. empir.*), ideoque eadem ipſi placet (§. 542. *Pſych. empir.*). Concitat igitur amorem benefactoris erga beneficiarium (§. 647. *Pſych. empir.*), ideoque benefactor beneficiario voluptatem creare ſtudet (§. 652. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum beneficia

Digitized by Google

voluptatem creent, immo gaudium tribuant accipienti (§. 33. *part. 4. Jur. nat.)*; beneficia plura in beneficiarium confert. Qui ergo gratus eſt, benefactorem ad beneficia ulteriora in ſe conferendum permovet.

Oſtenditur etiam hoc modo. Beneficia cum ſint præſtationes gratuitæ (§. 19. *part. 4. Jur. nat.*), quæ tam in dando, quam in faciendo conſiſtunt (§. 17. *part. 4. Jur. nat.*), quatenus in dando conſiſtunt, ad liberalitatem ſpectant (§. 363.), quatenus vero conſiſtunt in faciendo, ad officioſitatem (§. 898. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque benefacere aliis virtutis eſt (§. 249. *part. 4.* & §. 898. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque exiſtimationem, honorem & laudem meretur, qui benefacit aliis (§. 549. 550. *part. 1. Jur. nat.*), gratus vero beneficia in ſe collata agnoſcit ac rite æſtimat (§. 430.), & gratiarum actione hoc benefactori declarat (§. 44. & *ſeq. part. 4. Jur. nat.)*; ſi quis gratus fuerit, actu experitur benefactor, facta ſua ab aliis approbari, conſequenter cum approbationis hujus repræſentatione concitetur gloria (§. 366. *part. 2. Eth.*), gloria vero ſtudium bene ac recte faciendi acre efficiat (§. 371. *part. 2. Eth.*), affectu hoc impellitur benefactor ad plura beneficia conferenda, præſertim in eum, quem gratum experitur. Quamobrem qui gratus eſt, benefactorem permovet ad beneficia ulterius in ſe conferenda.

Ipſa experientia conſtat, gratitudinem beneficiarii eſſe benefactori motivum ulterius benefaciendi. Ideo dudum agnitum, gratiarum actionem eſſe ad plus dandum invitationem. Et quis eſt qui neſciat, beneficiis dignum haberi eum, qui erga benefactores gratus eſt? Equidem amor ſufficit ad conſervandum benefaciendi animum; quando tamen gloria accedit, quæ cum amore ad idem tendit, voluntas benefaciendi efficitur conſtantior. Abſit autem, ut exiſtimes, ſi benefactor gloria permovetur ad beneficia danda, eum fore ambitioſum,

Digitized by Google

conſequenter præſtationem beneficiorum labe quadam infici, ut non amplius ad liberalitatem & officioſitatem, ſeu virtutem ſit referenda: neque enim modeſtiæ, humilitati, pietati repugnat, ut gloria ſit ſtimulus ad profectus in virtute faciendos (§. 501. *part.* 4. *Eth.*). Vide, quæ alias jam annotavimus de diſcrimine, quod intercedit inter cupiditatem laudis & cupiditatem faciendi, quæ laudem merentur (*not.* §. *cit.*). Benefactor, cujus ſtudium benefaciendi acre efficit gloria, non ideo in gratum plura beneficia confert, ut laudetur ab eo aliisque, quamvis laude merita delectetur. Aliud enim eſt laude delectari, aliud eandem appetere. Differentiam facile capit, qui non ignorat, quæ de modeſtia in parte quarta Ethicæ demonſtrata & uberius explicata fuerunt. Non diffiteor, fieri poſſe, immo ſæpiſſime fieri, ut propter laudem quis benefaciat aliis, conſequenter ſi gloria ducitur ad plus dandum, eum beneficia addere beneficiis, ut laudetur. Aſt cum beneficiarius non conſiderare teneatur, quo animo & quo fine beneficium detur (§. 428.), & iis, qui beneficiis indigent, abunde ſufficiat, ut dentur, quod per ſe patet; an benefactor, qui gloria ſtimulatur ad beneficia aliis exhibenda, animum ab omni labe immunem conſervet, conſcientiæ ipſius relinquendum. Ceterum patet, motivum grati animi eſſe, quod eodem benefactor ad plura dandum invitetur. Quamvis enim gratum erga benefactorem animum habere debeamus (§. 43. *part.* 4. *Jur. nat.*), & ad gratias eidem agendas obligemur (§. 45. *part.* 4. *Jur. nat.*), conſequenter gratiæ agendæ ſint cum ſenſu officii, non vero ut per eas intendatur pluris datio; hæc tamen minime obſtant, quo minus ingrediatur motivum gratiarum actionis. Actionis bonæ ac rectæ motivum etiam deſumi poteſt, illæſa conſcientia, ab utilitate, quæ ex ipſa per ſe ſequitur & quæ eam commendat.

§. 448.

Ingratitudo benefactori recte diſplicet: non tamen propterea animum benefaciendi aliis deponere debet. *An propter* *Qui gratitudinem ſpectant ingratitudi-*

tan-

tudinem animum benefaciendi deponere liceat.

tanquam mercedem pro beneficio debitam, ingratudine ad eum deponendum permoventur. Ingratitudo vitium eſt (§. 46. *part. 4. Jur. nat.*), quod odio habendum (§. 368. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum ex vitio moleſtiam percipiat, qui id odit (§. 679. *Pſych. empir.*), illud vero diſpliceat, ex quo moleſtia percipitur (§. 542. *Pſych. empir.*), ingratitudo benefactori recte diſplicet. *Quod erat primum.*

Enimvero ad beneficia danda benefactor naturaliter obligatur (§. 23. *part. 4. Jur. nat.*), beneficiarius vero ad animum gratum erga benefactorem (§. 43. *part. 4. Jur. nat.*), & ad agendum gratias (§. 45. *part. 4. Jur. nat.*). Quodſi beneficiarius ingratus fuerit, officio ſuo non ſatisfacit (§. 31. 46. *part. 4. Jur. nat.*). Quamvis vero hic non ſatisfaciat obligationi ſuæ, non tamen propterea permiſſum eſt benefactori, ut ſuæ quoque obligationi non ſatisfaciat (§. 631. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter ut animum gratum deponat. Benefactor itaque animum benefaciendi deponere non debet, etiamſi beneficiarius ingratus fuerit. *Quod erat ſecundum.*

Quodſi quis gratitudinem ſpectet tanquam mercedem pro beneficio debitam, beneficia propter gratitudinem aliis exhibet, hanc nimirum intendens tanquam finem & illis utens tanquam mediis, quibus hanc conſequi vult. Videns itaque ſe finem a ſe intentum minime conſequi, ob ingratitudinem animum benefaciendi aliis deponit. *Quod erat tertium.*

Ingratitudo odio habenda tanquam vitium: aſt cum vitium a perſona ſit dividendum, non propter ingratitudinem odio habendus ingratus, multo minus ſi unus gratus eſt, odium hoc extendendum ad alios, ut non modo non plus demus ei, qui ingrato animo beneficium accepit, verum etiam beneficium non detur aliis, de quibus nondum conſtat, utrum grati, an ingrati ſint futuri, ſed qui ob unius ingratitudinem ſaltem

tales

tales præſumuntur. Quoniam non modo ingratus eſt, qui bonum bono non rependit, quando poterat, vel beneficium quoque acceptum parum æſtimat, aut benefactorem pro tali non reputat, verum etiam qui bonum malo refert, nec veretur tædia creare benefactori (§. 46. *part.* 4. *Jur. nat.*); facile apparet, ingratitudinis nunc majorem, nunc minorem habere efficaciam in commovendo benefactore, ut benefaciendi animum deponat. Magis quoque ad eundem deponendum is commovetur, ſi plures fuerint ingrati, quam ſi unus ſaltem fuerit: cum enim ingratitudinis præſumtio animum a beneficiis in alios conferendis avertat, in caſu priori utique fortior eſt præſumtio, quam in poſteriori, inprimis ſi ingrati in continua ſerie conſtituantur.

§. 449.

Quoniam qui gratitudinem ſpectant tanquam mercedem pro beneficio debitam, ingratitudine ad animum benefaciendi deponendum permoventur (§. 448.); nemo autem eſt, qui non agnoſcat, ingratitudinem turpe eſſe vitium, & cum ea benefactori recte diſpliceat (§. *cit.*), eidem attentum facile incidere in illam opinionem, confuſis ipſius perceptionibus concluſam; ideo contingit, ut plerique ob ingratitudinem animum benefaciendi aliis exuant, conſequenter *homo ingratus non ſibi ſaltem nocet, ſed etiam aliis alienæ opis indigis*, conſequenter cum natura homini dederit jus petendi ab aliis, ut ea conferant ad perfectionem ſuam ſtatusque ſui, quæ ipſemet facere nequit (§. 234. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque ſe non privare debeat beneficiis aliorum (§. 22. *part. 4. Jur. nat.*), & præterea lex naturæ prohibeat, ne impediamus, quo minus alter conſequatur bonum quodcunque animi, corporis ac fortunæ (§. 696. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter quo minus beneficia accipiat ab aliis (§. 21. *part. 4. Jur. nat.*), *homo ingratus deeſt cum officio erga ſeipſum, tum erga alios.* *Ingratus cur ſibi & aliis noceat.*

Hominem ingratum nocere ſibimet ipſi, dum animum benefactorum a ſe avertit, ſeque privat beneficiis, quibus frui poterat, adeo manifeſtum eſt, ut in dubium revocari minime poſſit. Enimvero non minus exploratum eſt, hominem ingratum nocere quoque aliis alienæ opis indigis, quatenus benefactores ob ingratitudinem benefacere aliis pertæſi animum benefaciendi mutant. Ideo dudum invaluit illud *Mimi:* ingratum unum omnibus miſeris nocere. Non eſt, quod excipias, quamvis ingratitudo recte diſpliceat benefactori, non tamen propterea eundem animum benefaciendi aliis deponere debere (§. 448.): neque enim hic attenditur, quid fieri debeat, ſed quid fieri ſoleat. Non ea eſt hominum in univerſum omnium perfectio, ut quod in qualibet virtute ſummum eſt in iis ſupponi poſſit: ſi hoc ſumatur, multo magis ſumendum quoque foret, non dari hominem ingratum, cum ingratitudo vitium ſit, quod multo facilius evitari poteſt, quam æquo animo ferre ingratitudinem, nec ipſi concedere ullum influxum in animum benefaciendi. Dependet in hoc caſu conſtantia animi ab amore inimicorum, quatenus benefacere non deſinimus etiam ingratis, ſi quando ope noſtra indigent, nec iis, quos ingratos fore præſumimus, ubi perſpicacitas præſumendi & ſcientia abſurditatis imputandi aliis factum alienum ſupponenda, & ab amore univerſali omnium hominum, quatenus ob ingratitudinem unius non deneganda ſunt beneficia aliis. Nemo autem eſt qui neſciat, quam rarus ſit amor univerſalis ad ipſos inimicos extenſus, & adeo firmiter animo inhærens, ut nihil unquam committatur, quod eidem adverſum. Ceterum non nego, varias dari rationes particulares, cur ingratus erga unum non obſtante ingratitudine beneficio mactetur ab aliis, & cur ob ingratitudinem unius beneficium quoddam non denegetur alteri cuidam. Quemadmodum vero ob infinitam animorum varietatem in theoria difficillimum foret omnes attendere, ut caſus omnes ſufficienter enumerarentur; ita in caſibus obviis analyſis exemplorum moralis illas haud difficulter detegit, præſertim

in

in ſeipſo, ſi quis ſufficiente cognitione animæ atque principiorum moralium fuerit inſtructus, nec inutiliter in ſcrutandis latebris & receſſibus, quæ dantur in animis hominum, verſatus. Hæc autem notanda ſunt, ne adverſus veritatem fiant objectiones inutiles, praxi autem morali infeſtæ.

§. 450.

Quoniam ingratus non modo deeſt officio erga ſeipſum, verum etiam erga alios, non ſaltem ſibi nocens, ſed aliis quoque (§. 448.); *turpitudo ingratitudinis inde agnoſcitur, quod ſibi nocendo noceatur aliis & hoc motivum eſt fugiendi ingratitudinem, ſi quis vitam rationi conformem agere decreverit.* *De turpitudine ingratitudinis agnoſcenda & quibusnam ea motivum ſit fugiendi hoc vitium.*

Abſurdum eſt nocere ſibi ipſi, multo autem abſurdius, ut tibi nocendo noceas etiam aliis. Indicat hoc carentiam dilectionis ſui & aliorum, conſequenter diſpoſitionem ad quælibet vitia. Inde eſt, quod dudum ingratitudo pro congerie vitiorum habita fuerit, cum plurima vitia in eandem influant, & ipſa experientia loquatur, homines ingratos, qui malo bonum referunt benefactoribus, aut beneficii immemores, aut, poſtquam eodem ornati fuerunt, idem parvi vel nihili facientes, bonum bono referre negligunt, multa vitiorum colluvie inquinatos eſſe. Enatum hinc eſt illud *Mimi:* ingratum hominem ſi dixeris, omnia vitia dixeris. Et eandem ob rationem ingratitudinem adeo deteſtantur omnes boni.

§. 451.

In reddendis beneficiis non attenditur æqualitas. Etenim beneficia dantur gratis (§. 19. *part. 4. Jur. nat.*), conſequenter non eo animo, ut viciſſim aliquid recipias (§. 18. *part. 4. Jur. nat.*), ideoque multo minus, ut tantundem recipias, quantum dediſti, aut quantum valet, quod feciſti. Quando enim res, quæ dantur, aut operæ, quæ præſtantur, pecunia æſtimantur, præſtationes mutuæ non ſunt gratuitæ, nec ideo *An in reddendis beneficiis attendenda ſit æqualitas.*

 in

in numerum beneficiorum referendæ. Qui beneficium reddit, beneficium tribuit ei, a quo accepit, propterea quod accepit (§. 32. *part. 4. Jur. nat.*), utitur nimirum tanquam motivo beneficio ab altero accepto, ut animum gratum ſignificaturus (§. 31. *part. 4. Jur. nat.*) declaret, ſe adeo promptum eſſe ad officia benefactori præſtanda, quemadmodum ipſum erga ſe expertus eſt. Beneficium igitur, quod reddit, conſiderandum quoque eſt inſtar præſtationis gratuitæ, pro qua æquivalens recipere non vult gratus, nec quæ haberi debet pro reſtitutione ejus, quod accepit, aut æſtimationis ejusdem. Quoniam itaque beneficium, quod redditur, nunc majus eſſe poteſt, nunc minus, prout caſus tulerit, quam quod acceptum; in reddendis beneficiis non attenditur æqualitas.

Aequalitas in contractibus obſervanda naſcitur ex dominio, quo introducto res ac operæ hominibus utiles certo pretio, ſive pecunia æſtimari cœperunt, ut nec res dentur gratis, nec gratis præſtentur operæ, ideoque quod das vel facis alteri, pro eo alter viciſſim tibi dare, vel facere tenetur, quod tantundem valet; & neuter habeat animum alteri quidpiam gratis præſtandi, quemadmodum hæc omnia ſufficienter demonſtrata ſunt in Jure naturæ. Enimvero fons beneficiorum amor eſt, qui minime mercenarius, ideoque præſtationes ſunt gratuitæ, nec pecunia æſtimatur, quod præſtatur, ut viciſſim tantundem recipiatur. Quamvis enim gratitudinis cauſa beneficia æſtimanda ſint, quæ requirit eundem animum erga benefactorem, quem is erga beneficiarium habet (§. 430.); hæc tamen æſtimatio longe alia eſt ab ea, quæ in contractibus obtinet, nec fit fine eodem. In contractibus præſtationes æſtimantur pecunia, ut conſtet, quantum viciſſim ſit præſtandum: aſt beneficia æſtimantur ex influxu in perfectionem præſentem noſtram, vel ſtatus noſtri, ac dependentia bonorum in poſterum nobis evenientium a beneficio (§. 434.), ut beneficium penitus agnoſcatur & motivum animi grati exiſtat.

Amor

Digitized by Google

Amor tendit ad promovendam felicitatem & depellendam infelicitatem alterius (§. 292. *part.* 2. *Eth.*), ideoque amans lubenter confert, quod ad felicitatem amati promovendam, infelicitatem depellendam in poteſtate ſua eſt & voluntas utrumque faciendi nullis limitibus circumſcribitur, etſi vires modum ponant, quæ inexhauſtæ non ſunt, ac impendendæ legi naturæ convenienter; quæ certas in exercitio charitatis regulas præſcribit, quemadmodum denuo in Jure naturæ abunde demonſtratum. Redditio igitur beneficii, ad quam obligatur beneficiarius, quantum in poteſtate eſt (§. 41. *part.* 4. *Jur. nat.* & §. 209. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), nullam ſupponit æſtimationem pecuniariam, qualem in contractibus obſervanda æqualitas requirit. In beneficio non dantis, ſed accipientis unice ſpectatur utilitas: ideo nunc minus datur & plus recipitur, nunc plus datur & recipitur minus, nunc datur & nihil prorſus recipitur, nec ſi quid recipitur, id recipitur in inſtanti, aut incipit deberi, ut exigi poſſit, ſed ex intervallo, nec recipitur pro eo, quod præſtitum eſt, ſed quod acceptum motivum ſaltem eſt beneficium dandi benefactori. Propterea beneficium reddi dicitur benefactori non pro beneficio accepto, ſed *ob beneficium acceptum* (§. 32. *part.* 4. *Jur. nat.*).

§. 452.

Quomodo conſiderandum ſit beneficium in redditione.

Quoniam in reddendis beneficiis non attendenda æqualitas (§. 451.); *ſi beneficii reddendi occaſio offertur, redditurus ſaltem memor eſſe debet, quod beneficium acceperit, non vero quantum acceperit.*

Qui pecuniariam æſtimationem beneficii ſomniant, ſibi perſuadent alterum non mereri beneficium ipſi reddendum, quia multum excedit illud, quod acceptum, ideoque ab eo reddendo ſeſe abſtinent. Quodſi ergo non perpendatur, in reddendis beneficiis non attendendam eſſe æqualitatam; id impedimentum eſt gratitudinis (§. 40. *part.* 4. *Jur. nat.*). Ne igitur gratus animus aliqua parte deficiat, id probe conſiderandum.

Redditio beneficii pertinet ad animum gratum (§. 42. *part. 4. Jur. nat.*), ideoque ex dilectione proficiſcitur (§. 31. *part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem cum diligens alterum omni ſtudio id agat, ut alter ſit felix, ac caveat, ne fiat infelix (§. 617. *part. 1. Jur. nat.*); grato animo utique adverſatur, ut beneficium redditurus disquirat, num beneficio ſuo benefactor meruerit, ut tantum ipſi reddatur. Quodſi ad magnitudinem beneficii, quod ſuo modulo metitur (§. 434.), animum attendit; non alio fine hoc facit, quam ut amor memoria beneficii concitandus efficiatur ardentior, atque beneficium tanto lubentius reddatur. Atque hæc magnitudinis beneficii conſideratio non impedit redditionem beneficii majoris, quam quod accepimus, ſed potius promovet. Ne vero in determinanda magnitudine beneficii deficiamus, ſequentem adhuc addere lubet propoſitionem.

§. 453.

De opportunitate in æſtimanda magnitudine beneficii attendenda.

In æſtimanda magnitudine beneficii habenda etiam ratio eſt opportunitatis, hoc eſt, conſiderandum, quantum noſtra interſit, ut nunc beneficium accipiatur. Beneficia enim rite æſtimaturi perpendere debemus, quomodo influant non modo in perfectionem præſentem noſtram ſtatusque noſtri, verum etiam quænam bona in poſterum ab iisdem dependeant (§. 434.). Conſtat vero multum referre, utrum beneficium aliquod accipiamus hoc tempore, quam alio, cum uno tempore magis eodem indigeamus, quam alio, & ex eodem majorem utilitatem capiamus. In æſtimanda igitur magnitudine beneficii conſiderandum, quantum noſtra interſit, ut beneficium nunc accipiatur, ideoque habenda etiam ratio eſt opportunitatis.

Propoſitionis hujus veritas adeo manifeſta eſt, ut in dubium revocari non poſſit. Si ſtudioſo egeno des quinquaginta thaleros, dum in Academia ſtudiis operam navat; beneficium hoc majus cenſendum ex parte ipſius, quam ubi ad munus quod-

Digitized by Google

quoddam promotus, ſtudiis academicis abſolutis, dederis centum. Qui dat opportune, plus dediſſe cenſetur: id quod in ipſis quoque præſtationibus oneroſis obſervari ſolet. Sane hac etiam de cauſa contingit, ut, qui beneficium ex opportunitate rite æſtimabant, cum acciperent, ideoque maximi faciebant, ubi iſtud non tam utile ſibi videtur pro eo, ad quem pervenerunt, rerum ſuarum ſtatu, id vili pendant, gratumque animum in ſe deſiderari patiantur. Maxime igitur opus eſt, ut in magnitudine beneficii æſtimanda opportunitatis habeatur ratio, quod ſemper tantum manet, quantum erat, cum acciperetur, ita ut tempora futura addere quidem poſſint incrementa quoad dependentiam bonorum ab illo, non vero illi quicquam detrahere. Quamobrem etſi opportunitas jam comprehendatur in influxu in perfectionem ſtatus præſentis, in quo beneficium accipitur; non tamen ſupervacaneum erat, attentionem ad eandem vi præſentis propoſitionis excitare, quia haud infrequenter beneficia non tanti æſtimantur futuro tempore, quanti æſtimantur, dum accipiuntur, non ſine magno gratitudinis præjudicio.

§. 454.

De lætitia ob occaſionem beneficii reddendi.

Qui gratum habet animum occaſione beneficii reddendi oblata lætatur. Qui enim gratum animum habet, ei conſtans ac perpetua voluntas eſt omni ſtudio id agendi, ut benefactor ſit felix (§. 31. *part. 4. Jur. nat*), ideoque eidem gaudium tribuendi (§. 636. *Pſych. empir.*), aut voluptatem creandi (§. 638. *Pſych. empir.*), conſequenter cum beneficia voluptatem creent, immo gaudium tribuant accipienti (§. 33. *part. 4. Jur. nat.*), beneficia reddendi (§. 32. *part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem occaſionem beneficii reddendi oblatam ambabus manibus amplectitur (§. 1062. *part. 1. Theol. nat.*), cumque virtutem amet (§. 351. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque gratitudinem (§. 43. *part. 4. Jur. nat.* & §. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & per conſequens

ſequens voluptatem ex eadem percipiat (§. 657. *Pſych. empir.*), fieri haud quaquam poteſt, quin voluptate inſigni perfundatur, quando offertur occaſio beneficii redditione animum gratum declarandi. Qui ergo gratum animum habet occaſione beneficii reddendi oblata delectatur (§. 614. *Pſych. empir.*).

Oſtenditur etiam hoc modo. Gratitudo complectitur omnia officia beneficiarii. Eſt enim virtus, quæ regit actiones beneficiarii reſpectu benefactoris. Quoniam itaque virtus dirigit actiones legi ...turæ convenienter (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter officia hominis grati erga benefactorem (§ 225. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ad quæcunque beneficiarius obligatur, ea ad gratitudinem referenda. Recte igitur amor benefactoris ad animum gratum beneficiarii refertur (§. 39. *part. 4. Jur. nat.*). Enimvero qui alterum amat, ex voluptate alterius voluptatem percipit, ac ideò gaudet, quod gaudet alter (§. 640. *Pſych. empir.*), conſequenter cum beneficia voluptatem creent, immo gaudium tribuant accipienti (§. 33. *part. 4. Jur. nat.*), qui gratum habet animum beneficii reddendi occaſione oblata lætatur.

Gaudium hoc animi grati certiſſimum ſignum eſt. Tum enim beneficii redditio ex amore proficiſcitur, qui ubi ab intellectu regitur dilectionem parit, in qua gratitudo conſiſtit (§. 31. *part. 4. Jur. nat.*). Quodſi illud abſuerit, aliæ omnino rationes ſunt, quæ beneficii redditionem ſuadent, gratitudini minime convenientes, ſed aliunde petitæ, aut beneficium falſam redditur propter famam, ut videaris gratus, etiamſi non ſis. Et quoniam qui gratum habet animum occaſione beneficii reddendi lætatur; magnitudinem quoque ejus non æſtimat ex beneficio accepto, ſed ex eo, quod in poteſtate ſua eſt, ſive majus reddat, ſive minus, prout occaſio tulerit: immo gaudet, ſi longe majus reddere valeat, quam quod acce-

accepit. Redditio beneficii dulcis eſt, & ſic ſtudio promovendi felicitatem alterius propriam promoves, appetitum naturalem proprium ſatians, dum alienum ſatiare ſtudes (§. 324. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Immo ſi vel maxime contingat beneficii redditionem deſtitui efficientia in animo accipientis, cum quod datur non eo accipitur animo, quo datur; ex parte tamen tui effectu ſuo non deſtituitur. Atque hoc probe notandum eſt etiam in exercitio virtutum aliarum quarumcunque, de quibus perinde valet, ac de gratitudine, quod de hac diximus, ut continuo magis magisque convincamur, virtutem nos reddere felices, nec ſine ea nos felices eſſe poſſe, conſequenter virtutem eſſe, qua ſatiari poteſt appetitus noſter (§. 324. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), ſicque virtus continuo magis magisque amabilis nobis efficiatur (§. 657. *Pſych. empir.*), & per conſequens ardor eam colendi conſervetur, immo indies nova incrementa capiat (§. 218. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*).

§. 455.

Quoniam qui gratum habet animum occaſione beneficii reddendi oblata lætatur (§. 454.), lætitia autem, ſive gaudium in prædominio inſigni voluptatum conſiſtit (§. 614. *Pſych. empir.*); *qui gratum habet animum, inſigni voluptate perfunditur, ſi quantulocunque officio animum gratum erga benefactorem ſignificare poteſt, ideoque officioſitatem erga benefactores promovet animus gratus, ſeu ſtudium officioſitatis acre efficit* (§. 898. *part.* 1. *Jur. nat.*). *Effectus grati animi in præſtandis officiis benefactori.*

Eximius omnino fructus redditionis beneficii eſt gaudium, quo perfunditur qui animo grato beneficium reddit. Ingratus itaque hoc ſe privat, conſequenter ſibimet ipſi nocet. Qui virtutem colit, ei nunquam deeſt materia gaudendi: qui vero vitiis dediti ſunt, quibus ſe infelices reddunt (§. 406. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), de miſeria humana injuſtas movent

querelas, dum naturam novercam accuſant, quando ſeipſos accuſare debebant, meritas vitio, quo delectantur, pœnas dantes. Saniora ipſos docere poterat latro cum Chriſto crucifixus, quem pœna merita ad ſaniorem mentem revocabat, *Luc.* XXIII. 41. Quos vero pœnæ naturales, quæ ex actionibus ipſorum neceſſario conſequuntur (§. 306. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), non movent; eorum vitium corrigi nequit, ſed morbus animi pro deſperato habendus. Maxime autem deſipiunt, ſi moleſtias, quibus torquetur animus, aliis imputant, cum ipſimet ſint fortunæ ſibi adverſæ fabri. Ceterum patet, magnitudinem voluptatis ex redditione beneficiorum percipiendæ non æſtimandam eſſe ex magnitudine beneficii, quod redditur, ſed ex fervore idem reddendi, conſequenter ex magnitudine animi grati. Habent enim virtutes ſuos gradus, & iis reſpondet gradus voluptatis, qua actio virtuti conveniens committitur. Et hic fructus in poteſtate agentis eſt, quando officium præſtatur aliis, quocunque tandem animo ab eo accipiatur, cui præſtatur.

§. 456.

De benefactore in præſtatione officiorum præferendo.

Benefactor in præſtatione officiorum præferendus aliis, quibus ex amore univerſali ſaltem obligati ſumus. Quoniam hominem quemcunque amare debemus tanquam nos ipſos (§. 632. *part.* 1. *Jur. nat.*); quoad obligationem, quæ ex amore univerſali naſcitur, homines omnes pares ſunt, ita ut uni non magis obligeris ad præſtandum officium aliquod, quam alteri, nec unus majus habet jus ad idem, quam alter (§. 222. 234 *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Nulla igitur datur ratio, cur unus alteri ſit præferendus, quamdiu in illa obligatione ſubſiſtis. Enimvero benefactore amare quoque debemus ob beneficia accepta (§. 39. *part.* 4. *Jur. nat.*), ideoque novum accedit motivum præſtandi benefactori officia naturaliter debita (§. 887. *Pſych. empir.*), quæ obligationem ex amore univerſali

deſcen-

deſcendentem efficit fortiorem (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ut ſcilicet benefactori officium præſtemus, quia prior præſtitit (§. 41. 32. *part. 4. Jur. nat.*), bonum nimirum bono referentes (§. 797. 806. *part. 1. Jur. nat.*). Datur igitur jam ratio, cur benefactor in præſtatione officiorum aliis præferendus, quibus vi amoris univerſalis ſaltem obligaris. Quamobrem cum in colliſione officiorum erga alios, quando ſcilicet pluribus ſimul officium quoddam præſtari nequit, obligatio fortior vincit (§. 230. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & ille præferendus ſit, cui ſpeciali quadam ratione obligaris (§. 668. *part. 1. Jur. nat.*); benefactor in præſtatione officiorum præferendus aliis, quibus ex amore univerſali ſaltem obligati ſumus.

Vires hominis admodum limitatæ ſunt, ita ut unus omnibus officia præſtare non poſſit, quemadmodum vellet, niſi deficientibus viribus in voluntate eſſet acquieſcendum. Quodſi contingat præſtationem officii cujusdam erga alios eſſe in poteſtate tua, cum idem pluribus ſimul præſtare nequeas; neceſſe utique eſt, ut unum alteri præferas. Cum tamen nihil fieri debeat absque ratione, neceſſe utique eſt, ut ratio quædam a lege naturæ norma omnium actionum humanarum petita adſit, ob quam unum alteri præferas. Iſtiusmodi autem ſunt beneficia ab uno accepta, ideoque benefactor ceteris paribus præferendus. Studio dico, ceteris paribus: fieri enim poteſt, ut dentur rationes, quæ magis urgent, ut in præſtatione officii legi naturæ convenienter benefactori præferas alium, veluti in commendatione ad munus quoddam publicum ob inſigne meritum, quo illud ambiens benefactorem plurimum vincit. Legi enim naturæ convenit, ut munera publica conferantur iis, qui ad ea obeunda ſunt aptiores, & ut bonum publicum præferatur privato. Eadem ratio eſt, cur in propoſitione dicamus benefactorem in præſtatione officiorum præferendum eſſe aliis, quibus ex amore univerſali ſaltem obligati

 ſumus.

ſumus. Hoc ipſo nimirum indigitatur, non dari aliam rationem legi naturæ convenientem, ob quam unus ex aliis præferri mereatur, ſuppoſita omnimoda æqualitate eorum, quibus beneficium præſtandum, ita ut nonniſi ex parte benefactoris inæqualitati locus ſit. Quando benefactor præferendus, vel etiam alius ob ſpecialem quandam obligationem, in poteſtate tua non eſt, ut petenti alteri annuas. Quamobrem denegans officium, quod petitur, dicere ſufficit; id non eſſe in poteſtate tua, neque neceſſe eſt, ut dicas, rationem, cur in poteſtate tua non ſit, cum voluntate tua ſit ſtandum (§. 28. *part.* 4. *Jur. nat.*), tu vero non mentiaris, ſed vera loquaris.

§. 457.

De beneficio in liberis, cognatis & amicis benefactori reddendis.

Qui gratum habet animum, benefactori beneficium quoque reddit in liberis, cognatis & amicis ejus. Etenim bonum bono alteri referre poſſumus etiam in iis, quos amat, veluti in amicis (§. 719. *part.* 6. *Jur. nat.*), & in liberis (§. 834. *part* 7. *Jur. nat.*), atque cognatis (§. 1009. & *not.* §. 836. *part.* 7. *Jur. nat.*). Quamobrem cum beneficiarius obligetur ad beneficium reddendum occaſione oblata (§. 41. *part.* 4. *Jur. nat.*), ac gratitudo declaretur beneficii redditione, vel ſignificatione ſaltem animi beneficium reddendi (§. 42. *part.* 4. *Jur. nat.*) qui gratum habet animum, benefactori beneficium quoque reddit in liberis, cognatis & amicis ejus.

Quos amamus, eorum voluptatem appetimus (§. 650. *Pſych. empir.*), conſequenter cum beneficia voluptatem creent (§. 33. *part.* 4. *Jur. nat.*), ut iidem beneficiis ornentur cupimus. Et quoniam eos tanquam nos ipſos conſideramus (§. 659. *Pſych. empir.*); quæ in ipſos conferuntur beneficia, tanquam in nos collata ſpectamus. Haud raro expreſſis verbis idem ſignificatur, quando petimus beneficium pro alio, ut ipſa natura hunc beneficium reddendi modum homines doceat, quatenus nimirum amor ipſos ducit ad bene cupiendum iis, quos

quos amant. Quoniam qui gratum habet animum, occaſionem beneficii reddendi oblatam læto arripit animo (§. 454.); beneficium quoque benefactori reddere non negligit in iis, quos amat, quando fert occaſio.

§. 458.

Quoniam qui gratum animum habet, benefactori beneficium quoque reddit in liberis, cognatis & amicis (§. 457.), in his autem beneficium reddi poteſt, benefactore licet mortuo; *qui gratum habet animum benefactori quoque mortuo beneficium reddit in liberis, cognatis & amicis.* Atque adeo patet, *benefactori mortuo beneficium reddi poſſe, ſi vel maxime vivo reddere non potuerimus.* *De beneficio benefactori mortuo reddendo.*

Atque hinc patet, quam ſit neceſſe, ut beneficii memoriam ſervemus, quamdiu vixerimus (§. 444.), nec eam delere debeat mors benefactoris, qui noſtro beneficio non amplius indiget, quamvis gratiarum actio, quatenus verbis abſolvitur (§. 44. *part. 1. Jur. nat.*), etiam poſt mortem benefactoris adhuc locum habet, cum beneficia in nos collata prædicare poſſimus coram aliis: quod cum ſit conveniens officio erga mortuos (§. 715. *part. 6. Jur. nat.*), exinde quoque neceſſitas ſervandi memoriam beneficiorum per omnem vitam elucet. Ceterum ſignum grati animi præſtantiſſimum eſt reddere beneficium benefactori mortuo in liberis præſertim atque cognatis.

§. 459.

Qui gratum habet animum beneficia reddit cum ſenſu officii & ut ſatisfaciat obligationi naturali ac voluntati divinæ. Beneficiarius enim ad reddendum beneficium obligatur (§. 41. *part. 4. Jur. nat.*), ideoque redditio beneficii officium eſt, quod benefactori præſtandum (§. 225. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum gratitudo virtus ſit (§. 43. *part. 4. Jur. nat.* & §. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ideo cum qui animum gratum *Quo animo & fine gratus beneficium reddat.*

 habet,

Digitized by Google

habet, velit facere, quod lege naturæ præcipitur (§. 328. *part. 1. Phil. pract. univ.*), idem agnoſcit beneficii redditionem eſſe officium, quod benefactori præſtandum, conſequenter beneficium conſiderat tanquam debitum (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Patet itaque hominem gratum beneficium reddere cum ſenſu officii. *Quod erat primum.*

Et quoniam virtuoſus obligationi naturali ſatisfacit (§. 333. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & voluntatem ſatisfaciendi habet (§. 328. *part. 1. Phil. pract. univ.*); qui gratum habet animum beneficia reddit, ut ſatisfaciat obligationi naturali, *per demonſtrata. Quod erat ſecundum.*

Denique cum virtuoſus actiones bonas, ſeu legi naturæ conformes committat, ut ſatisfaciat voluntati divinæ (§. 342. *part. 1. Phil. pract. univ.*); qui gratum habet animum beneficia quoque reddit, ut ſatisfaciat voluntati divinæ. *Quod erat tertium.*

Videmus itaque, quo animo & quo fine beneficia ſint reddenda, ut redditio beneficiorum ad gratitudinem tanquam virtutem adſcribi poſſit. Nimirum ſi gratum habes animum, quando beneficium reddis, mentem tuam ſubire debet cogitatio, te facere quod debes, omittere ſine juſta reprehenſione non poteras. Hoc enim pacto ſenſus officii comitatur voluntatem reddendi beneficium, & ideo tibi animus eſt faciendi quod debes. Quodſi vero jam porro quæratur, cur facere velis, quod debes; non alia ratio eſt, quam ut obligationi tuæ, ut voluntati Dei ſatisfacias, ideoque intendis obligationi tuæ ac voluntati divinæ ſatisfacere (§. 616. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & eo fine beneficium reddis, ut obligationi tuæ naturali ac voluntati divinæ ſatisfacias (§. 932. *Ontol.*). Equidem cum obligationis naturalis auctor Deus ſit (§. 275. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & directio actionum legi naturæ conformis eadem cum directione actionum voluntati divinæ conformi

mi (§. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*), obligatio naturalis eadem eſt cum obligatione divina & ad quod naturaliter obligamur, id quoque ut faciamus Deus vult; non tamen propterea velle ſatisfacere obligationi naturali & velle ſatisfacere voluntati divinæ unum idemque eſt, ut ideo, ſi unum directe velis, non tamen propterea directe quoque velis alterum (§. 623. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Conſcius tibi eſſe potes unius, inſcius vero, immo prorſus ignarus alterius. Volitio unius explicita eſſe poteſt, alterius quamvis implicita ſit, id tamen iſti implicari ignorare potes. Aliter nimirum ſeſe habet volitio reſpectu agentis, aliter vero ſi in ſe ſpectatur. Qui obligationi naturali ſatisfacere vult, cum ea rationem ſufficientem in eſſentia atque natura hominis habeat, eaque poſita ponatur (§. 129. *part. 1. Phil. pract. univ.*), facere vult, quod hominem decet (§. 194. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ut vivat vitam homine dignam, ſeu naturæ ſuæ convenienter: aſt qui obligationi divinæ ſatisfacere vult, ſeu voluntati divinæ, is facere vult, quod Deus vult ut Deo ſe obedientem præbeat (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*), tanquam fidelis ſervus domini ſui (§. 182. *part. 3. Eth.*). Atque hinc patet, quomodo obedientia & agnitio Dei influant in gratum animum, ut dubitari minime poſſit animum gratum plurimum differre, ſi beneficium reddatur ut ſatisfiat voluntati divinæ, quam ſi ſaltem intendatur, ut ſatisfiat obligationi naturali. Vulgo dicitur, duo cum faciunt idem, non eſſe idem: id maxime valet, ſi conſideres, quo animo & fine reddatur beneficium. Quæ vero hic de redditione beneficii dicuntur, ea ad quemlibet actum virtutis cujuscunque applicari poſſunt, cum demonſtratio procedat ex principiis generalibus de virtute in genere.

§. 460.

De beneficio benefactori inſcio reddendo.

Quoniam qui gratum animum habet beneficia reddit, ut ſatisfaciat obligationi naturali ac voluntati divinæ (§. 459.), per ſe autem patet, ut hoc fiat, minime requiri, ut alter ſciat, ſe

te beneficium ipſi reddere; *qui gratum habet animum occaſione data etiam benefactori inſcio beneficium reddit.*

Plures emergunt caſus, in quibus beneficium benefactori inſcio reddi poteſt, & quorum unus ſaltem eſt, ſi mortuo redditur in liberis, cognatis & amicis (§. 458.). Etenim non ſolum contingit, ut viventi quoque in liberis, cognatis & amicis inſcio benefactori beneficium reddi poſſit; verum etiam ut abſens abſenti inſcio reddas, vel etiam in eodem loco tecum viventi. Exempla obvia ſunt, nec ignorantur niſi ab eo, qui diligentiam ſuam in obſervando deſiderari paſſus eſt, quam tamen maxime urget virtutis ſtudium, cum negligentia obſervandi profectui in virtute plurimum noceat. Pertinet hoc ad experientiam moralem, cujus magnum momentum eſt in praxi morali. Quoniam vero brevitati ſtudentes, quantum datur, multa in ſpecie demonſtramus, quæ in genere de virtute valent, aut plures virtutes communia habent, *plurima* etiam in notis explicantur, ne propoſitionum numerus multiplicetur; ita quoque in præſenti nobis ſufficiat monuiſſe, quod, quæ de beneficio reddendo oſtenduntur, ad danda quoque beneficia applicari poſſe a benefactore obſervanda; quod quomodo mutatis mutandis, ſi quidem opus fuerit, & quando fieri poſſit, haud obſcure intelliget, qui ad rationes, quæ in medium afferuntur, animum attendit.

§. 461.

De nexu gratiarum actionis Deo debitæ cum redditione beneficiorum.

Qui beneficium reddit, Deo gratias agere tenetur, quod vires reddendi largitus fuerit, & occaſio reddendi offeratur. Quoniam beneficia tam in dando, quam in faciendo conſiſtunt (§. 17. *part. 4. Jur. nat.*); qui beneficium reddit, vel habeat neceſſe eſt, quod det, vel vires ad faciendum neceſſarias, & ut reddere velit, grato ſit neceſſe eſt animo (§. 42. *part. 4. Jur. nat.*). Enimvero quicquid homo natura habet boni, & quicquid quomodocunque acquirit, id omne Deo datori acceptum feren-

ferendum (§. 1208. *part.* 1. *Jur. nat.*), & bonitas divina inde agnoſcitur (§. 42. *part.* 3. *Eth.*), ac beneficiorum divinorum reddimur conſcii (§. 474. *part.* 3. *Eth.*). Quoniam itaque Deo gratias agere debemus ob bona in nos collata (§. 1212. *part.* 1. *Jur. nat.*); qui beneficium reddit, Deo gratias agere tenetur, quod vires reddendi largitus fuerit. *Quod erat unum.*

Quoniam mundus eſt ſeries rerum ſimultanearum & ſucceſſivarum inter ſe connexarum (§. 55. *Coſmol.*); quicquid in mundo evenit vi nexus rerum conſequitur, quatenus nimirum in ſerie rerum tales conſtituuntur cauſæ & tales earundem ſunt effectus. Quamobrem, ſi occaſio beneficium reddendi offertur, ea a nexu rerum dependet (§. 851. *Ontol.*). Enimvero nexus rerum in hoc univerſo ſapientia ac bonitate divina conſtitutus (§. 741. *part.* 1. *Theol. nat.*): occaſio itaque beneficium reddendi Deo accepta ferenda. Hac cum delectetur qui animum gratum habet (§. 454.), conſequenter eandem in numerum bonorum ſibi evenientium referat (§. 617. *Pſych. empir.*), Deo autem ob bona nobis collata agendæ ſint gratiæ (§. 1212. *part.* 1. *Jur. nat.*); quin eidem quoque qui beneficium reddit gratias agere teneatur, quod occaſio reddendi offeratur, dubitandum non eſt. *Quod erat alterum.*

Qui gratum habet animum, voluntatem conſtantem & perpetuam habet, benefactori beneficium reddendi (§. 31. 32. *part.* 4. *Jur. nat.*), & ad gratiarum actionem pertinet votum, ut Deus benefactorem omni bono cumulet (§. 44. *part.* 4. *Jur. nat*). Quoniam itaque benefactori bene cupiens occaſione beneficii reddendi oblata lætatur (§. 454.); ubi agnoſcit, ſe Deo non minus occaſionem oblatam, quam vires reddendi beneficii acceptas ferre debere, fieri haud quaquam aliter poteſt, quam ut beneficium divinum agnoſcens debitas Deo gratias agat. Atque hoc modo gratiarum actio erga Deum & per conſequens celebratio nominis divini in redditionem

 nem

nem beneficii influit (§. 1211. *part. 1. Jur. nat.*). Et quia beneficiorum divinorum conſideratione amor erga Deum concitatur (§. 228. *part. 3. Eth.*), & jam antea conſideratione perfectionum divinarum conſideratione concitatus renovatur (§. 229. *part. 3. Eth.*); amor quoque Dei in beneficiorum redditionem influit. Qui Deum amat ex perfectionibus divinis, ac in ſpecie in caſu præſenti ex bonitate divina, voluptatem percipit (§. 1171. *part. 1. Jur. nat*), quæ dum accedit ad voluptatem, quæ percipitur, quatenus gratitudinem amamus (§. 351. *part. 1. Phil. pract. univ.* & §. 657. *Pſych. empir.*), dulcedinem redditionis beneficii auget, ipſamque magis amabilem reddit (§. *cit. Pſych. empir.*). Cum in reddendis beneficiis non attendatur æqualitas (§. 451.); ideoque officium quantulumcunque ſufficiat ad declarandum animum gratum, prouti fert occaſio & vires permittunt, beneficii reddendi occaſio non adeo rara eſt, quam forſan putatur, ut fructus hujus prorſus inſignis participes fieri non poſſint, qui animum gratum habent. Modo vera pietas non deſideretur, ea multa docebit, quæ aliunde addiſci opus non eſt. Veniendum ſaltem in rem præſentem & virtutum omnium ſtudium conjungendum: ita enim experiemur, quæ ſi inculcarentur, ſurdo fabulam narrare videremur.

§. 462.

Quomodo ſpectandus benefactor, ſi beneficium ipſi redditur.

Si beneficium redditur, qui erat benefactor, ſe ſpectare debet tanquam beneficiarium. Etenim benefactor non intendere debet beneficii redditionem (§. 445.), cumque beneficium non redditur pro beneficio accepto, ſed hoc ſaltem motivum ſit beneficii reddendi (§. 32. *part. 4. Jur. nat.*), nec in redditione ſpectetur æqualitas (§. 451.), beneficium, quod redditur, non ſpectat tanquam mercedem pro beneficio dato ſibi debitam, quæ exigi poterat. Quamobrem quando beneficium ipſi redditur, revera beneficium ipſe accepit, ſeu gratis præſtatur,

Digitized by Google

ſtatur, quod exigere non poterat. Quoniam itaque beneficiarius eſt, qui beneficium accipit (§. 20. *part. 4. Jur. nat.*); ſi beneficium redditur, qui erat benefactor ſe ſpectare debet tanquam beneficiarium.

Magna differentia inter mercedem & beneficium, quod redditur, intercedit, facile animadvertenda, ſi notiones utriusque diſtinctas habueris & ad eas animum attendas. Merces certa eſt, ut conſtet, quid ſit præſtandum, & de ea convenitur atque is, cui quid præſtatur, ſe tibi obligat promittendo ad eam ſolvendam, ut exigi poſſit, quemadmodum ſatis manifeſta ſunt hæc omnia ex doctrina de contractibus in Jure naturæ tradita & quotidianus uſus probat. Enimvero beneficium, quod redditur, certum non eſt, ſed in præſtatione quacunque gratuita conſiſtit, cum beneficio accepto nulla parte conferenda, ut ideo, qui ad beneficium reddendum obligatus eſt, dici nequeat ad hoc, vel iſtud in ſpecie benefactori eſſe obligatus. Benefactor beneficium dat gratis, non eo animo, ut viciſſim aliquid pro eo accipiat, ideoque non convenit cum beneficiario de beneficio ſibi reddendo, eundemque ex pacto ſibi ad præſtandum id, quod conventum eſt, non obligat, ut exigi poſſit. Subſiſtit igitur ſaltem naturalis obligatio ad beneficia mutua, quantum in poteſtate eſt (§. 23. *part. 4. Jur. nat.*), quæ accedente obligatione beneficium reddendi ob vires limitatas benefaciendi alteri certo modo reſtringitur ad benefactorem, ut is in actuali præſtatione aliis præferatur (§. 456.), tantoque lubentius officium præſtetur, quatenus nimirum motivum præſtandi memoria beneficii accepti validius efficitur. Atque ita abunde patet, benefactor qui fuerat, quando beneficium ipſi redditur, induere perſonam beneficiarii. Minime repugnat benefactorem manere benefactorem & priorem beneficio te affeciſſe, quoniam factum infectum fieri nequit, & eſſe quoque beneficiarium, quia non minus beneficio affectus, quando redditum fuit, quam reddens, cum acciperet. Alio enim reſpectu benefactor eſt, nimirum quatenus bene-

ficium dedit, alio autem beneficiarius, quatenus nimirum accepit. Atque hoc convenit obligationi naturali ad mutua beneficia (§. 23. *part.* 4. *Jur. nat.*), vi cujus omnes homines ſibi mutuo ſimul eſſe debent & benefactores, & beneficiarii.

§. 463.

Ad quænam benefactor beneficium reddenti obligetur.

Quoniam ſi beneficium redditur, qui erat benefactor ſe ſpectare debet tanquam beneficiarium (§. 462.); *ad quæ beneficiarius obligatur benefactori, ad eadem benefactor obligatur beneficium reddenti*, conſequenter *beneficium reddentem amare debet ob beneficium redditum* (§. 39. *part.* 4. *Jur. nat.*), *ob beneficium redditum eidem obligatur beneficium reddere* (§. 41. *part.* 4. *Jur. nat.*) *& pro reddito gratias agere* (§. 45. *part.* 4. *Jur. nat.*), *gratumque erga reddentem animum habere* (§. 43. *part.* 4. *Jur. nat.*), *quo ſi caret, ingratus eſt erga reddentem* (§. 46. *part.* 4. *Jur. nat.*).

Si cui hæc paradoxa videntur, propterea quod non conſuevit ex notionibus diſtinctis de rebus ſtatuere, ſed confuſis ſaltem notionibus nulla facta diſcuſſione opinionem ſuam conformat, nec a præcipitantia in judicando ſibi cavet; is ſibi ſaltem repræſentet duos amicos intimos, qui in mutuis beneficiis ſibi invicem conferendis certant. Tum enim facile capiet, ex eodem fonte manare gratuitas officiorum præſtationes & unum alteri ob id, quod ſibi præſtitum eſt, æqualiter ſeſe obligatum profiteri, atque ad officia quæcunque præſtanda permoveri.

§. 464.

A quo nobis cavere debeamus in beneficio reddendo.

In reddendo beneficio nihil committendum, quod quomodocunque legi naturæ repugnat. Etenim obligatio, quæ a lege naturæ venit, prorſus immutabilis eſt (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter nec facere licet unquam, quod quomodocunque eidem repugnat (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem

obrem nec licet in beneficio reddendo quicquam committere, quod quomodocunque legi naturæ repugnat.

Propoſitio præſens latiſſime patet, cumque inter reddentem beneficium & benefactorem nulla intercedat differentia (§. 463.), æque valet, ſive beneficium detur, ſive reddatur. Non ſolum ex numero beneficiorum eliminatur omnis actus illicitus, veluti ut malam benefactoris cauſam defendas, ut adulatione & aſſentatione faſtum ipſius alas, ut ad ſcelera, quibus delectatur, committenda aditum pares, & quæ ſunt alia juſtitiæ, æquitati ac honeſtati adverſa; verum etiam ipſa beneficia moderanda ſunt legi naturæ convenienter, quemadmodum ſcilicet lex naturæ officia erga alios urget. Manet enim ea conſtans norma, ſicuti omnium actionum ceterarum, ita etiam beneficiorum dandorum & reddendorum. Beneficium non eſt, quod perperam ab eo habetur, cui quid præſtatur, ſed quod hoc nomine dignatur lex naturæ (§. 21. 22. *part.* 4. *Jur. nat.*).

§. 465.

De obligatione beneficium reddendi non extendenda.

Obligatio beneficium reddendi benefactori non tollit obligationem benefaciendi aliis quibuscunque. Obligatio, qua quilibet homo alteri cuicunque beneficium dare tenetur (§. 23. *part.* 4. *Jur. nat.*), naturalis eſt (§. 141. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ideoque immutabilis (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamvis itaque qui gratum habet animum benefactorem in præſtatione officiorum præferre debeat aliis, quibus ex amore univerſali ſaltem obligatur (§. 456.), & benefactori etiam beneficium reddere teneatur in liberis, cognatis atque amicis (§. 457.), ut propterea etiam hi iſtis ſint præferendi; hoc tamen non obſtante benefaciendum quoque iis, quantum in poteſtate eſt, quibus ex amore ſaltem univerſali obligatur. Obligatio igitur beneficium reddendi benefactori non tollit obligationem benefaciendi aliis quibuscunque.

Prælatione non opus eſt niſi in caſu colliſionis, quando nimirum fieri nequit, ut & benefactori, & alii cuidam, cui ex amore univerſali ſaltem obligatus es, officium aliquod ſimul præſtetur, vel quia officium iſtiusmodi eſt, ut uni ſaltem præſtari poſſit, vel quia in poteſtate tua non eſt, ut diverſa licet officia, ſed quæ in ſe quidem pluribus præſtari non repugnat, præſtentur pluribus. Tum enim quæſtio emergit, uter alteri ſit præferendus, atque ratio militat pro benefactore, cui non modo ob eandem rationem, qua alteri obligatus es, nimirum qua homo homini, verum etiam ob ſpecialem, qua beneficiarius benefactori. Spectatur autem hic ſaltem arctior obligatio, quam parit beneficium acceptum, non vero jam quæſtio eſt de merito beneficii, quod certam qualitatem perſonæ ſupponit, in quam beneficium conferendum. Sed de eo jam diximus ſuperius (*not.* §. 456.). Quæ vero ibidem dicta ſunt, probe tenenda, ne obligationem *præferendi* benefactorem latius extendamus quam par eſt. Quando benefactor præferendus aliis, jus imperfectum ad beneficium, ſive meritum utrobique æquale ſupponitur. Quando itaque disquirendum, num benefactor aliis ſit præferendus, primo benefactor cum ceteris non niſi inſtar hominis noſtræ opis indigis, ſeu quibus beneficium quoddam præſtari poteſt, conſiderandus, &, ubi hic nulla prælationis ratio ſufficiens apparet, tanquam benefactor demum conſiderandus, ut cum ratione præferatur. Facile apparet, occurrere poſſe caſus, in quibus benefactor aliis poſtponendus, nec jure conqueritur de ingratitudine, ſi poſtpoſitus fuerit, ſive arctior quædam te teneat obligatio, quam qua benefactori obſtrictus es, veluti cum potius ſubveniendum liberis, vel parentibus, aut ei qui majoribus beneficiis te cumulavit, ſive meritum, quod obſervari jubet lex naturæ, alterius majus ſit, quam benefactoris, veluti ſi munus quoddam publicum conferendum, ubi bonum publicum exigit, ut conferatur ei, qui ad idem obeundum maxime aptus eſt. Multum in reddendis beneficiis peccari non eſt quod miremur, quia pauci ſufficiente Juris naturæ ſcientia

ſunt

Digitized by Google

ſunt inſtructi & ad idem dextre applicandum acumine ſufficiente pollent, nec affectibus in determinandis actionibus ſuis locum ullum relinquunt.

§. 466.

In redditione beneficii ſpectandus potiſſimum eſt animus reddentis, & in æſtimanda magnitudine habenda eſt ratio virium reddentis. *Quomodo æſtimandum ſit officium, quod redditur.* Redditione enim beneficii declaratur animus gratus (§. 42. *part.* 4. *Jur. nat.*), conſequenter id intenditur, ut agnoſcatur, te habere animum gratum (§. 616. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem non tam attenditur, quod datur, ſed quo fine detur (§. 932. *Ontol.*). In redditione igitur beneficii ſpectandus potiſſimum eſt animus gratus. *Quod erat unum.*

Quamvis itaque quod præſtatur exigui ſit pretii, ſi æſtimetur ex utilitate accipientis, non tamen ideo vili pendendum, quatenus ex animo grato proficiſcitur. Gratum qui habet animum, ejus voluntas in infinitum tendit (§. 31. *part.* 4. *Jur. nat.*), cui ſi non reſpondeant vires, ſive ſimpliciter, ſive ob deficientem occaſionem, quantulacunque præſtatione gratuita is declarari poteſt. In æſtimanda itaque magnitudine beneficii, quod redditur, habenda eſt ratio virium reddentis. *Quod erat alterum.*

Si quis non habet præter voluntatem, qua benefactorem remunerari poteſt, ſola voluntatis ſignificatio ſufficit ad declarandum animum gratum: neque enim minus gratus eſt, qui animum ſaltem reddendi beneficium habet, nec deficientibus viribus actu reddere poteſt, quam qui actu reddit (§. 42. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quodſi ergo vires non permittant, ut, quod magis utile eſt benefactori præſtetur; quantulumcunque ſit, quod præſtatur, ad animum gratum ſignificandum ſufficit. Quamobrem ad hunc potiſſimum reſpiciendum, ſi de redditione beneficii judicandum. Voluntas hominis grati nullam

Digitized by Google

nullam admittit menſuram, actus vero externus, quo ſignificatur, ex viribus beneficium reddere cupidi æſtimandus. Inde definitur magnitudo ejus, quod daretur, ſi vires forent majores: in præſenti enim caſu beneficia, quæ redduntur, ſunt in ratione virium, in his vero æſtimandis attendenda quoque venit occaſio exercitium virium limitans & actionem determinans. Sane plus dat, qui pauca dat, quam qui dat plura, ſi pauca, quæ dantur, majorem habeant rationem ad facultates dantis, quam plura, quæ dantur ab alio ad facultates ipſius. Hoc principio uſus Chriſtus in determinanda quantitate eleemoſynæ *Marc.* XII. 42. *& ſeqq.* Quæ enim hic de redditione beneficii demonſtrantur, ea valent de omni actu liberali, ſive in dando, ſive in faciendo conſiſtat. Non minus gratus eſt, qui vili quadam præſtatione animum gratum declarat, quia majoris habenda in poteſtate non eſt, quam qui ingens beneficium confert in benefactorem, quod plurimum excedit ab ipſo acceptum: immo fieri poteſt, ut quantulumcunque beneficium, quod propter exiguitatem vulgo pro beneficio non habetur, inprimis ob diſparem nimis conditionem dantis & accipientis, illa majus cenſendum ſit. Benefactor, cui beneficium redditur, duplici modo id conſiderare debet, nimirum primo tanquam ſignum animi grati, ſecundo tanquam beneficium in ſe collatum. In caſu priori quod præſtatur æſtimandum eſt, quemadmodum fert propoſitio præſens; in poſteriori, in quo benefactor ſe ſpectat tanquam beneficiarium (§. 462.), magnitudo beneficii æſtimanda ex utilitate accipientis (§. 434.) atque ex opportunitate (§. 453.). Beneficium reddens voluptatem creare, immo gaudium tribuere vult benefactori (§. 32. 33. *part.* 4. *Jur. nat.*), atque hoc fieri poteſt quantulocunque, modo benefactor virtutem amet, quemadmodum debet ac in præſenti ſupponitur. Quoniam enim virtute delectatur (§. 657. *Pſych. empir.*), ideoque etiam animo grato (§. 43. *part.* 4. *Jur. nat. &* §. 321. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); quod præſtatur in ſignum animi grati, voluptatem utique ipſi creat, immo gaudium tribuit,

quam-

Digitized by Google

quamvis benecupiens beneficiario grato, ubi vires ejus exiguas reſpiciens meliore fortuna eum dignum judicat, vicem ejus doleat, ſicque commiſeratio accedens (§. 695. *Pſych. empir.*), triſtitia gaudium temperet, ut paſſio quædam animi concitetur, non tam verbis deſcribenda, quam ſenſu interiore percipienda. Nihil hic aſſeritur, quod non ſatis exploratum ſit ei, qui perceptiones confuſas animæ ad diſtinctas revocare didicit, conſequenter in latebris animi ſcrutandis verſatus fuit: id quod Philoſophi eſt. Ceterum affectum hunc conſpicere licet in parentibus, quibus liberi adhuc parvuli, quamvis non habeant, niſi quod ab ipſis acceperint, munuſculum quoddam natalitium afferunt.

§. 467.

Quando beneficium redditum non acceptandum, aut reddens largius remunerandus.

Quoniam in redditione beneficii ſpectandus potiſſimum animus reddentis (§. 466.), immo ſi deſunt vires, ad gratitudinem ſufficit ſolus animus reddendi beneficium (§. 42. *part. 4. Jur. nat.*); *ſi beneficium reddenti magis oneroſum, quam utile benefactori, hic id acceptare non debet, aut, ſi interſit ut acceptetur, reddentem largius remunerari tenetur.*

Conſtant beneficia officiorum præſtatione, quemadmodum abunde patet ex anterioribus. Officium ſuum nemini eſſe debere damnoſum, vulgaris regula eſt, eaque Juri naturæ maxime conformis, quæ præſtationem officiorum non ita urget, ut, dum alteri prodeſſe ſtudes, tibimet ipſi deſis (§. 608. *part. 1. Jur. nat.*). Nemo igitur bonus approbat, ſi ab egenis vel pauperibus in ſignum gratitudinis accipiantur munuſcula, quibus carere poteras, & quæ parum te juvant, dantibus autem valde oneroſa ſunt, privantibus nimirum ſe eo, quo maxime indigebant. Emergunt tamen caſus, in quibus intereſt, ut quod offertur acceptetur, veluti ſi tibi detur libellus exigui quidem pretii, ſed rarus, qui tibi utilis eſt, ſed fruſtra hactenus quæſitus. Etenim ſi in ſignum animi

grati offertur, parum convenit, ut pretium, quo æſtimatur, pro eo des; ſed ut animum gratum agnoſcas, remunerationis loco dandum potius, quod plus valet, pro diverſa indigentia dantis. Idem quoque facile intelligitur, ſi gratum animum declaraturus facit, quod tibi commodum. Atque tunc facilius patet, tua intereſſe poſſe, ut faciat.

§. 468.

Quinam ad meliorem fortunam pervenientes ingrati redduntur.

Qui beneficia ſaltem æſtimant ex præſenti utilitate, iis antea accepta vileſcunt, ubi ad meliorem fortunam perveniunt. Immo ſi ea favente contingat, ut benefactore fiant ſuperiores, eum benefactorem ſuum non amplius agnoſcunt, immo ob fortunam ſeſe efferentes parvi faciunt, vel prorſus contemnunt. Qui enim beneficia ſaltem æſtimant ex præſenti utilitate, ea ſaltem in pretio habent, quia iisdem indigent. Quoniam itaque ceſſat indigentia, quando ad meliorem fortunam perveniunt; ad ſtatum ſuum præſentem eadem referentes, quod iisdem ſtatuerant pretium cum acciperent, iisdem decernere jam nequeunt, conſequenter ea vileſcunt. *Quod erat primum.*

Quodſi jam contingat, eos benefactore fieri ſuperiores, ſive opibus, ſive dignitate, quem antea opis ipſius indigi ſe ſuperiorem agnoverant, non modo ſe illo meliores eſſe putant, verum etiam eos pudet, inferiorem habere pro benefactore ſuo. Quamobrem benefactore ſuo ſuperiores facti eum non amplius pro benefactore habent. *Quod erat ſecundum.*

Quoniam denique homines, qui ob fortunam ſecundam ſeſe efferunt, alios minus propitiam expertos parvi facere ſolent, immo ſi inſolentius ſeſe efferant, prorſus contemnunt; ſi beneficiarii ex præſenti ſaltem utilitate beneficia æſtimantes, poſtquam ad meliorem fortunam pervenerunt, ſe ob fortunam ſecundam efferunt, benefactorem, quem non

am-

Digitized by Google

amplius agnoſunt, *per demonſtrata n. 2.* parvi faciunt, immo ſi inſolentius ſeſe efferunt, prorſus contemnunt. *Quod erat tertium.*

Qui aliena ope indiget, ei quidem volupe eſt, conſequenter ipſi placet (§. 542. *Pſych. empir.*), ſi quis indigentiæ ſuæ ſubveniat; non tamen propterea animum gratum habet. Quamvis enim contingat, ut benefactorem amet (§. 645. *Pſych. empir.*); cum tamen beneficium ſaltem æſtimet ex utilitate præſente, eum ſaltem amat propter ſeipſum, in quantum ſcilicet quod ab eo præſtatur ſibi utile eſt, ideoque non tam benefactorem, quam ſeipſum amat (§. 138.), nec diutius durat amor, quam utilitatem præſentem experitur. Quodſi ergo memoria beneficii refricetur, cum tamen jam evanuerit ſenſus utilitatis, quem habebat, quando accipiebat, ideo ceſſat jam ratio, ob quam beneficium ipſi placebat, conſequenter etiam amor benefactoris, quæ erat commotio animi tranſitoria. Quid mirum, ſi beneficium, quod non amplius agnoſcitur, vileſcat, nec tanti amplius habeatur, quanti fiebat, cum acciperetur, ubi ad meliorem fortunam pervenit beneficiarius, ut iſtiusmodi beneficio non amplius indigeat? Gratus animus, qui naſci videtur, quando beneficium accipitur, in ipſo ortu ſuffocatur. Qui indigentia & utilitate quæſita alterum amat, ejus amor evaneſcit, quamprimum ab altero nulla ſperanda utilitas. Ideo accidit, ut beneficium acceptum amorem momentaneum ſtatim deleat, & ut pro beneficio, quod accipitur, non habeatur, niſi eo momento, quo accipitur. Atque ita impoſſibile eſt, ut memoria beneficii diu retineatur: ut enim beneficii memoriam habeas, non ſufficit, ut memineris ejus, quod præſtitum tibi fuit ab altero, ſed conſiderandum quoque eſt, præſtationem iſtam fuiſſe gratuitam & eo tempore factam, quo indigentiæ tuæ ſubveniebatur & tibi utilis exiſtebat. Difficulter admodum cavetur, ne quis, ubi ad meliorem fortunam pervenit, ſeſe non efferat, quamvis unus inſolentius altero, prouti faſtu ac ſuperbia magis

 labo-

laborat, quam ipſa fortuna ſecunda gignit & ſuſtentat. Hinc videas ex pauperibus divites factos pauperes contemnere, ad dignitatem evectos vero eos, qui vilioris ſunt conditionis, utut ejusdem, cujus ipſimet ante fuerant. Quemadmodum hi non recordantur ſtatus priſtini, immo mallent, ne quis alius ejusdem recordaretur; ita quoque nolunt memoriam conſervari beneficiorum ab hoc, vel illo acceptorum, quia eadem in memoriam revocant ſtatum præteritum indigentiæ æternæ oblivioni demandatum. His cum moleſta ſit beneficii & benefactoris recordatio, non eſt quod miremur, ſi beneficium & benefactor non amplius agnoſcatur.

§. 469.

Quomodo impediendum, ne beneficia vileſcant, ubi ad meliorem fortunam perveneris.

Quoniam qui beneficia ſaltem æſtimant ex præſente utilitate, iis antea accepta vileſcunt, ubi ad meliorem fortunam perveniunt (§. 468.); *ne beneficia accepta vileſcant, ad quemcunque ſtatum perveneris, perpendendum eſt, quomodo vel præſens ſtatus, vel bona quæ in eodem tibi obveniunt, a beneficio dependeant* (§. 434.), *& quod beneficii memoriam per omnem vitam retinere debemus, nec in magnitudine ejus æſtimanda mutare pretium, quod accipientes eidem ſtatuimus* (§. 444.).

Relegenda inprimis ſunt, quæ ſupra annotavimus (*not.* §. 444.), ut agnoſcas, nihil omnino eſſe, quod beneficium & ejus pretium mutare poſſit, & efficere, ut benefactor non ſit, a quo beneficium accepiſti, ſi vel maxime nunc beneficia nulla ab eodem accipias, aut te liberare ab ea obligatione, qua beneficiarius benefactori devinctus, utpote durante per omnem vitam tuam, benefactore licet mortuo (§. 458.). Accedit quod beneficia ab hominibus in nos collata in numerum beneficiorum divinorum ſint referenda (§. 438.), ac pro iis quoque agendæ gratiæ Deo (§. 439.). Qui ergo beneficium olim acceptum vili pendet, propterea quod ad meliorem ſtatum pervenit, vili pendet beneficium divinum, &, ubi benefactorem ſuum agnoſcere amplius non vult, gratias Deo debi-

Digitized by Google

debitas agere negligit, injurius in ipſum Deum, dum animo grato depoſito injurius eſt in benefactorem ſuum. Facit hoc ad agnoſcendam turpitudinem ingrati animi ob mutatum rerum ſuarum ſtatum beneficium antea acceptum vili pendentis.

§. 470.

Quanam re opus ſit, ut benefactor adhuc agnoſcatur, etſi eodem ſuperiores facti ſumus.

Qui beneficium æſtimant ex indigentia & dependentia ſtatus futuri ab eodem, & ejus memoriam per omnem vitam tenent; benefactorem ſuum agnoſcent, etiamſi eodem facti fuerint ſuperiores. Quodſi enim beneficium æſtiment ex indigentia præſenti & dependentia ſtatus futuri ab eodem, & ejus memoriam per omnem vitam retinent; eidem quoque idem ſtatuent, quamdiu vixerint, pretium, quod eidem decernebant, cum acciperent, immo dependentia ſtatus futuri a beneficio accepto pretium augebit, ne quaquam imminuet. Quoniam itaque benefactor eſt, qui beneficio nos afficit (§. 20. *part.* 4. *Jur. nat.*), cumque factum infectum nunquam reddatur, qui nos beneficio affecit benefactor manet in æternum, conſequenter non ideo eſſe deſinit, quod eodem facti ſumus ſuperiores; qui beneficium ex indigentia præſenti & dependentia ſtatus futuri ab eodem æſtimant, ejusque memoriam per omnem vitam retinent, benefactorem ſuum agnoſcent, etiamſi eodem facti fuerint ſuperiores.

Obligatio animum gratum erga benefactorem habendi (§. 43. *part.* 4. *Jur. nat.*) & beneficium reddendi (§. 41. *part.* 4. *Jur. nat.*), immutabilis eſt (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), & eidem maxime convenit, ut beneficii memoriam per omnem vitam retineamus, nec in magnitudine ejus æſtimanda mutemus pretium, quod accipientes eidem ſtatuimus (§ 444.). Quamobrem ne unquam deponamus animum gratum, beneficium rite æſtimandum, quando accipitur, continuo obſervandum, quidnam ab eodem dependeat & memoria ejus

hoc pacto ſæpius renovanda. Eo igitur fine adſueſcere debemus, ut, ſi quod boni nobis obtingit, inquiramus non tantum in rationem proximam, ſed & in remotas: ſed absque ullo ſtudio remotiores in memoriam revocantur, ſua quaſi ſponte eidem ſeſe offerentes, ſiquidem ſtatim a beneficio accepto animum huc advertamus. Accedit quod pro beneficiis ab hominibus acceptis Deo quoque agendæ ſint gratiæ (§. 439.), quæ ſi agantur eo animo, quem abunde declaravimus, cum de celebratione nominis divini & gratiarum actione Deo debita ageremus (§. 459. & *ſeqq. part. 3. Eth.*); beneficia quoque memoriæ firmiter inſigentur, & gratus animus reddetur perpetuus. Et quoniam beneficia ab hominibus in nos collata in numerum beneficiorum divinorum referre tenemur (§. 438.), quod a Deo acceptum, vili pendere nequit qui Deum agnoſcit & benefactorem ſuum prædicat. Ecquis enim eſt qui neſciat, quantum delectemur donis a Principibus, vel hominibus dignitate præſtantibus acceptis, ob pretium affectionis, quod iisdem decernimus? Ne vero in agnoſcendis & æſtimandis beneficiis attentionem noſtram deſiderari patiamur; tenendum inprimis eſt, quinam actus in beneficiorum numerum ſint referendi (§. 21. 22. *part. 4. Jur. nat.*). Indies enim videmus, pro beneficiis non haberi, quæ pro maximis haberi debebant, quemadmodum vulgo non agnoſcuntur bona, quæ præ ceteris magni facere debebamus. Sed iſtiusmodi malis non medela afferetur, niſi tempeſtive juventus ad ſincerum virtutis omnis ſtudium adducatur. Cohærent arctiſſimo vinculo non minus in praxi, quam theoria morali omnia inter ſe, & quemadmodum aſſenſus in theoria ſucceſſive naſcitur atque in convictionem præſentem tacite influit ſenſus certitudinis ab omni convictione anteriori pendens, ita quoque in praxi actus præteriti tacite influunt in actum præſentem & habitus unus perficit alterum. Quemadmodum ſucceſſiva aſſenſus generatio non agnoſcitur, propterea quod non attendatur, quomodo convictio præſens dependeat ab anterioribus (§. 992. *Log.*); ita quoque habituum moralium geneſis non inti-

intime perſpicitur, propterea quod non perpenditur, quomodo actus præteriti influant in illorum geneſin. Quodſi plus operæ impendetur in ſcrutandis latebris & receſſibus in animis hominum, quam huc usque fieri ſuevit; multa manifeſta erunt, quæ nunc non agnoſcuntur.

§. 471.

An beneficium mutet ſpeciem propter quantitatem.

Beneficium non propter parvitatem beneficium eſſe deſinit, nec quod exiguam accipienti affert utilitatem propterea exiguum beneficium eſt. Ut enim quod præſtatur ſit beneficium, ſaltem requiritur, ut præſtetur gratis (§. 19. *part. 4. Jur. nat.*), non attenditur, quantum ſit quod datur, aut quanti pretii ſit, quod in gratiam tui facit alter. Quamvis itaque quod præſtatur, ſi in ſe ſpectetur, non magni pretii ſit, propterea tamen beneficium eſſe non deſinit. *Quod erat unum.*

Beneficium vero duplici modo conſiderandum, tum reſpectu dantis, tum reſpectu accipientis. Cum reſpectu accipientis beneficia æſtimentur ex indigentia (§. 434.) & opportunitate (§. 453.); reſpectu accipientis beneficium magnum, vel parvum eſt, prout id ipſi magnam, aut parvam affert utilitatem, aut multum intereſt, ut officium, quo indiget, ipſi præſtetur. Enimvero in æſtimando beneficio reſpectu dantis conſiderandus eſt animus, quo datur, conſiderandæ ſunt vires, ultra quas a dante nihil deſiderari poteſt, & quarum reſpectu magnum cenſendum, quod in ſe ſpectatum parvum, immo contemtibile videri poterat (*not.* §. 466.). Quamobrem beneficium propterea exiguum non eſt, quod exiguam accipienti utilitatem affert. *Quod erat alterum.*

Prior propoſitionis pars nititur communi ratiocinandi principio, quod definitum ei competat, cui definitio competit (§. 349. *Log.*). In definitione autem beneficii præſtatio gratuita ad nullam reſtringitur quantitatem (§. 17. *part. 4. Jur. nat.*).

nat.). Ea igitur quoque non attendenda venit, ubi quæritur, num hic, vel ille actus ſit beneficium, non vero quantum ſit beneficium, quamvis in altero hoc etiam caſu magnitudo beneficii aliter æſtimanda ſit, quam præſtationis oneroſæ pecunia æſtimandæ (§. 434. 453.). Pars poſterior convenit principio, quod beneficia ſint in ratione virium dantis (*not.* §. 466.). Duplicem autem uſum habet præſens propoſitio, nimirum ne ex numero beneficiorum excludantur, quæ in eundem referenda, & ne nobis perſuadeamus, homines inferioris conditionis nos beneficio afficere minime poſſe, conſequenter nec nos obligari ad beneficia reddendum ipſosque propter præſtationes gratuitas viribus eorum pares eſſe amandos, quaſi abſurdum ſit eos benefactores ſuos agnoſcere. Taceo uſus alios, qui inde porro conſequuntur. Equidem hæc non ſatis conveniunt cum communi uſu loquendi, qui beneficia diſtinguit ab iis, quæ in gratiam noſtram alter facit, & a *munuſculis*, quæ ſaltem ab altero accepta dicuntur; non tamen communis loquendi uſus, quem turbæ opinio introduxit, veritati ullum præjudicium facit, de qua ex notionibus diſtinctis atque determinatis ſtatuendum. Homo homini ſe utilem præbere debet, quantum in poteſtate eſt, bene cupiens alteri in infinitum. Atque ita viget obligatio ad beneficia mutua, eidemque ſatisfit (§. 23. *part.* 4. *Jur. nat.*). Ceterum modeſtiæ convenit, ſi qui inferioris conditionis eſt, ſive diviti, ſive dignitate præſtanti ſe non benefeciſſe dicat, ſed in gratiam ejus hoc, vel iſtud feciſſe: immo nec abhorret a modeſtia, ſi quilibet benefactor de beneficiis in alium a ſe collatis dicat, ſe plurimum in ipſius gratiam feciſſe, non vero quod beneficiis eum cumulaverit.

§. 472.

De beneficio, quod reddere vis, non accepto.

Si beneficium, quod reddere vis, benefactor accipere nolit; in voluntate ejus acquieſcendum: propterea tamen dici non poteſt te non eſſe gratum. Etenim beneficium nemini obtrudendum (§. 200. *part.*

Digitized by Google

part. 4. Jur. nat.), conſequenter nec obtrudendum eſt, quod reddere vis benefactori (§. 32. 20. *part. 4. Jur. nat.*). Quodſi ergo id accipere nolit benefactor, in ejus voluntate acquieſcendum, quocunque demum animo accipere renuerit (§. 156. 157. *part. 1. Jur. nat.*). *Quod erat unum.*

Enimvero quamvis alter accipere nolit beneficium, quod reddere vis, negari tamen non poteſt te habere animum reddendi. Quamobrem cum gratus ſit, qui reddendi animum habet, non minus ac is, qui actu reddit (§. 42. *part. 4. Jur. nat.*); propterea quod benefactor beneficium, quod reddere volebas, accipere nolit, dici minime poteſt, te gratum non eſſe. *Quod erat alterum.*

Multæ ſunt rationes, ob quas benefactor acceptare non vult beneficii redditionem. Aliæ juſtæ ſunt, veluti ſi beneficium reddenti magis oneroſum, quam accipienti utile (§. 467.); aliæ injuſtæ, veluti ſi beneficium, quod reddere vis, vili pendat (§. 466.), aut te ipſum contemnat, vel odio habeat. Cum ingratitudinis labes famæ tuæ adſpergi minime poſſit; non opus eſt, ut ſollicite inquiras in rationem, cur, quod in ſignum grati animi offers, accipere nolit. Tibi abunde ſufficit, quod animi grati tibi conſcius te officio tuo ſatisfacere agnoſcas (§. 43. *part. 4. Jur. nat.*); quid alter faciat, conſcientiæ ipſius relinquendum (§. 157. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 473.

Nemo ſe de beneficiis, quæ in alios contulit, jactare debet. *De jactantia benefactoris.* Cum beneficia in dando & faciendo conſiſtant (§. 17. *part. 4. Jur. nat.*); ideo vel ad liberalitatem (§. 249. *part. 4. Jur. nat.*), vel ad officioſitatem referenda (§. 898. *part. 1. Jur. nat.*). Qui ergo ſe jactat de beneficiis in alios collatis, utique intendit, ut alii de liberalitate & officioſitate ſua loquantur, conſequenter beneficia in alios confert propter famam (§. 553.

Digitized by Google

part. 1. Jur. nat.), & laudem intendit tanquam finem (§. 552. *part. 1. Jur. nat.* & §. 616. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero beneficia ex parte benefactoris ſunt naturaliter debita (§. 25. *part. 4. Jur. nat.*), ideoque cum ſenſu officii præſtanda (§. 225. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ut ſatisfaciamus obligationi noſtræ naturali (§. 333. *part. 1. Phil. pract. univ.*), atque voluntati divinæ (§. 342. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nec laudem intendere debemus, tanquam finem (§. 562. *part. 1. Jur. nat.*). Nemo igitur ſe de beneficiis in alios collatis jactare debet.

Oſtendimus ſuperius qui dat donum propter famam, ambitioſum eſſe & arrogantem, non liberalem (§. 383.), & qui large effuſeque donat, ut liberalior videatur aliis, eſſe ſuperbum, omnium maxime, ſi ceteros, qui minus, vel parcius dant, contemnit (§. 384.). Hinc facile conficitur, jactantiam de bonis in alios collatis eſſe ſignum ambitionis, arrogantiæ ac ſuperbiæ, quæ vitia beneficia liberalitati & officioſitati ſurripiunt. Sunt enim vitia inſtar prædonum, quæ virtutes ſpoliant actibus ipſarum propriis. Ac ideo patet, quam ſit abſurdum gloriari rapinis. Quid ergo mirum, quod famam affectantes eandem perdant? Beneficiarii eſt memoriam beneficii retinere per omnem vitam (§. 444.), ut ſatisfacere poſſit obligationi reddendi beneficium (§. 41. *part. 4. Jur. nat.* & §. 456. & *ſeqq. h.*): benefactoris vero beneficii, quo affecit alterum, ſtatim obliviſci, cum non intendere debeat beneficii redditionem (§. 445.), ſed reddentem ſpectare tanquam benefactorem ſuum, ſe vero tanquam beneficiarium ipſius (§. 462.). Convenit hoc praxi morali, quam urget Chriſtus *Matth. VI.* 3. dicens: Te faciente eleemoſynam neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua, ut ſit eleemoſyna tua in abſcondito.

§. 474.

Beneficentia quid ſit. Ad beneficia præſtanda facilis *Beneficus*, idiomate patrio Gutthätig dici ſolet, & benefaciendi facilitas *Beneficentia*,

Gut-

Gutthätigkeit. Aſt ſi beneficium ſumitur in ſenſu latiori pro omni præſtatione gratuita, quemadmodum nulla ratio eſt, cur præſtationes gratuitas ulterius diſtingvamus, quam quod vel in dando, quam in faciendo conſiſtant (§. 17. *part. 4. Jur. nat.*), & beneficentia reſtringatur ad beneficia, quæ in dando conſiſtunt, in Ethica opus non eſt, ut beneficentia a liberalitate diſtingvatur, aut tanquam ſpecies ejus conſideretur (§. 249. *part. 4. Jur. nat.*).

Sermo communis vocabulis ſubinde abundat, ut in diſciplinis uno contenti eſſe poſſimus, ne entia præter neceſſitatem multiplicentur, & eadem ſub diverſis nominibus ſint inculcanda: ſubinde vero in eodem deficiunt vocabula apta, quibus ea, de quibus ſigillatim dicendum, ſignificentur, ut vel termini technici ſint inveniendi, vel vocabulis nonnullis ſignificatus cum eo, quem habet ex communi loquendi uſu, non in totum conſentiens ſit imponendus, ut ſpeciem termini induant. Cum vocabulorum ſignificatus ſit arbitrarius; unicuique hac in re relinquenda eſt ſua libertas, modo illum ſatis explicet ac in eodem in propoſitionibus earundemque demonſtrationibus vocabula ſumat. Quoniam nobis hoc non ſumimus, ut aliis legem loquendi præſcribamus; per nos unusquisque abundet ſuo ſenſu. Modo doceamus, quæ facere debemus, & faciamus, quæ docentur, parum refert, quomodo facta & habitus, ex quo proficiſcuntur, dicantur.

CAPUT VI.
De Comitate.

§. 475.

Diximus jam alias, nos per *Comitatem* intelligere virtutem, qua alteri honorem meritum laudemque meritam tribuimus (§. 890. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam enim lege *Quid ſit comitas.*

lege naturæ præcipitur, ut unicuique honorem, quem meretur, exhibeamus & laudis tantundem tribuamus, quantum meretur (§. 648. *part. 1. Jur. nat.*), omnis vero habitus actiones ſuas legi naturæ conformiter dirigendi virtus eſt (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*); habitus quoque dirigendi actiones noſtras circa honorem & laudem alterius virtus eſt. Neceſſe igitur eſt, ut ea quoque in Philoſophia morali peculiari quodam nomine inſigniatur.

Nullum reperire potui vocabulum Latinum virtuti huic ſignificandæ deſtinatum, quamvis in ſermone patrio eidem maxime conveniat vocabulum die Ehrerbietigkeit. Quodſi dicas, eam appellari poſſe *Honorificentiam;* mihi non ſatis commodum viſum fuit nomen, quod actum denotat, qui honorem confert, ad ſignificandum habitum honorem meritum exhibendi transferre. In noſtro ſane ſermone Ehrerbietigkeit & Ehrerweiſung, ſive Beehrung diſtingvuntur, & nomen poſterius actum honorantis, prius autem virtutem ſignificat. Accedit quod actus, qui honorem conferunt, ſigna exiſtimationis plerumque arbitraria ſint, quibus opinione hominum ſignificatus impoſitus, cum virtus nihil arbitrarii contineat, ſed lege naturæ determinetur, qualis eſſe debeat. Non magis commodum nobis viſum fuit vocabulum *Reverentia*, cujus reſtrictior multo ſignificatus eſt, nec ſatis conveniens officio, de quo in præſenti ſermo eſt, quamvis diffiteri non poſſit, eundem eſſe admodum vagum. Placuit itaque virtutem, de qua in præſenti agendum, *Comitatem* appellare, & vocabulo accommodare ſignificatum ei convenientem. Vide, quæ modo annotavimus (*not.* §. 474.). Ne vero exiſtimetur, poſſe officium meritum honorem aliis exhibendi meritamque laudem tribuendi ad modeſtiam referri; ſequentem addere lubet propoſitionem.

§. 476.

Comitas peculiaris virtus eſt a modeſtia diſtincta. Comitas enim virtus eſt, qua alteri exhibemus honorem meritum laudemque meritam tribuimus (§. 475.): modeſtia vero virtus eſt, quæ moderatur appetitum circa honores (§. 563. *part.* 1. *Jur. nat.*), ne ſcilicet exiſtimationem, honorem ac laudem intendamus tanquam finem (§. 562. *part.* 1. *Jur. nat.*), neque ideo eundem appetamus, quamvis operam dare debeamus, ut ſimus exiſtimatione, honore ac laude digni (§. 545. 546. *part.* 1. *Jur. nat.*). Modeſtia igitur verſatur circa honores & laudem propriam, comitas circa honorem & laudem aliorum, ideoque illa continet praxin officii alicujus erga ſeipſum, hæc vero officium erga alios, ſimulque patet, praxin illius ab hac plerimum differre. Quamobrem comitas peculiaris quædam virtus eſt a modeſtia diſtincta. *An comitas ſit virtus a modeſtia diſtincta.*

Duo iſta officia, quorum unum verſatur circa honorem proprium, alterum circa honorem aliorum, non ita inter ſe cohærent, ut poſito uno ponatur etiam alterum, nec quæ tibi debes idem eſt, quod etiam debes alteri. Quamobrem non commode compinguntur in unam virtutem, neque ulla apparet ratio, cur hoc fieri debeat. Diſtingvimus dilectionem ſui a dilectione aliorum, quamvis dilectio ſui ſit menſura dilectionis aliorum, ita ut ex illa intelligas, quid de hac ſit ſtatuendum. Multo magis igitur diſtingvenda virtus, quæ dirigit actiones circa honorem proprium, a virtute, quæ easdem dirigit circa honorem aliorum. Quid quod nec communi uſui loquendi ſatis conveniat, ut modeſtus dicatur, qui aliis honorem debitum exhibet aliosque pro merito laudat, niſi forſan quando inde colligis, quod non affectet honorem ſibi minime debitum, conſequenter immodeſtus non ſit.

§. 477.

Qui comis eſſe vult, cognoſcere tenetur, quanti alter ſit exiſti- *Quænam comis cogno-*

ſcere tenea- *mandus, quantum mereatur honorem, quantam laudem, quem honorare,*
tur. *vel laudare vult.* Qui enim comis eſt, unumquemque tanti exiſtimat, quantum meretur, eidemque tribuit honorem meritum laudemque meritam (§. 475.). Quoniam itaque per ſe patet, hoc fieri minime poſſe, niſi certus ſit, quanti alter ſit exiſtimandus, quantum mereatur honorem, quantam laudem, quem honorare, vel laudare voluerit; qui comis eſſe vult, cognoſcere tenetur, quanti alter ſit exiſtimandus, quantum mereatur honorem, quantam laudem, quem honorare, vel laudare vult.

Cum exiſtimatio ſit judicium de alterius perfectione (§. 538. *part.* 1. *Jur. nat.*), quod ſi actibus externis ſignificetur, alterum honoramus (§. *cit.*), ſi verbis, laudamus (§. 541. *part.* 1. *Jur. nat.*); exiſtimatio eſt fundamentum honoris atque laudis. Quamobrem ante omnia inquirendum, quanti quis ſit exiſtimandus, antequam eum honorare ac laudare pro merito poſſis, ac deinde diſpiciendum, quibusnam actibus externis atque verbis ſignificari queat, quanti alterum exiſtimes, ſeu quodnam ſit tuum de perfectione alterius judicium. Facile autem patet, judicium hoc eſſe debere verum; ſi tanti exiſtimandus, quantum meretur, & honor atque laus merita eidem tribuenda: neque enim honorem ac laudem meretur, niſi quæ reſpondet perfectioni, qua præditus eſt. Etenim ſi fallat judicium de perfectione ipſius, quam eidem tribuis; quod eidem tribuis id minime habet, conſequenter honore & laude ſignificatur, quod eidem minime ineſt, eruntque reſpectu illius ſigna inania, quibus nihil reſpondet, comparanda verbis, qui ſunt ſine mente ſoni. Quamvis nimirum ſignis iſtis in ſe ſpectatis certus competat ſignificatus, eum tamen non amplius habent, quando transferuntur ad ſubjectum, cui non ineſt, quod ſignificare debent. Maximi uſus eſt, ut hæc probe perpendantur in praxi morali: neque enim major eſt hominum temeritas, quam quando de honore ac laude ſtatu-

Digitized by Google

ſtatuunt, ut haud raro inconſideratiſſimæ ac dementiſſimæ temeritatis pleni recte dicantur, nec major apparet vanitas, quam in honore ac laude, ut merito exclames, quantum eſt in honore ac laude inane.

§. 478.

De iis, qui per ſe alios pro merito exiſtimare nequeunt.

Quoniam qui comis eſſe vult, cognoſcere tenetur, quanti alter ſit exiſtimandus, quem honorare, vel laudare vult (§. 477.), conſequenter quanam perfectione inſtructus ſit (§. 538. *part. 1. Jur. nat.*), ex factis ejus colligenda (§. 551. *part. 1. Jur. nat.*), per ſe autem patet, hoc judicium de perfectione alterius non eſſe niſi peritorum, qui ſcilicet non modo diſtinctam perfectionis iſtius notionem habent, verum etiam norunt, quænam facta eandem arguant, *qui per ſe de perfectione alterius ejusdemque factis eam arguentibus ſtatuere nequeunt, peritorum ac bonorum judicium ſequi tenentur.* Quoniam tamen non minus difficile eſt judicium de peritia ac bona aliorum voluntate; *multa cautione opus eſt, ne ſibi aliorum judicio imponi patiantur.* Sed cum in probabilibus acquieſcendum ſit; *ſi adſit quædam alterum honorandi, vel laudandi neceſſitas, ſtandum eſt præſumtionibus, quamdiu non apparet veritas: alias in caſu dubio præſtat vitare honorem, vel laudem tribuendi occaſionem.*

Judicium de perfectione aliorum, ſeu factis eandem arguentibus non eſſe niſi peritorum, quivis facile largitur, modo norit, peritos non cenſendos niſi eos, qui perfectionis, de qua judicium ferendum, notionem ſatis diſtinctam habent, & quibus ideo nota ſunt facta, quæ eandem arguunt. Supponendum tamen hic eſt, facta eſſe intime perſpecta, ne alter præſtitiſſe putetur, quod quidem præſtare voluit, aſt minime præſtitit. Non ſufficit, te exactum ferre poſſe judicium; ſed ut judicium ſit exactum, neceſſe eſt adhibeas omnem diligentiam, quæ ad id requiritur. Frequentiſſime autem accidit, ut,

ut, diſcuſſione inſuper habita, præſumatur alterum præſtitiſſe revera, quod præſtare voluit. Tum vero etiam fallere poteſt judicium periti. Quod ad judicium de aliorum perfectione non modo requiratur, ut qui ſibi hoc ſumit ſit peritus, verum etiam ut ſit bonus, forſan omnibus non æque patet. Neceſſe igitur eſt, ut id uberius explicetur. Bonus hic dicitur, qui veritati unice ſtudens non patitur, ut affectus influant in judicium, vel etiam in præſumtionem, de qua modo dixi. Etenim tum contingit, ut verum, quod novit, dicere nolit, aut ut verum putet, quod verum eſſe mallet, juxta iſtud vulgatum; quod quis maxime vult, id maxime credit. Quodſi hæc conſideremus, abunde patet, quam ſit difficile tuto confidere judicio aliorum. Unde porro conficitur, in caſu dubio tutiſſimum eſſe, ut aliorum judicium ſaltem recenſeamus, non vero noſtrum faciamus. Obſervanda enim iſta omnia ſunt potiſſimum in laude: honor qui in aliis actibus conſiſtit, non æque determinatam habet ſignificationem, quemadmodum laus. Ceterum cum exiſtimationem, ideoque & meritum honoris atque laudis pariant virtutes intellectuales & morales (§. 549. 550. *part. 1. Jur. nat.*), quam difficile vero ſit de virtutibus moralibus aliorum judicium, ſatis manifeſtum ſit ex iis, quæ in Ethica demonſtravimus de ſignis virtutum; exiſtimatio & laus vera ob virtutes morales inprimis difficilis eſt. Videbimus tamen in ſequentibus, tamdiu actum externum ex virtute profectum præſumi debere, donec contrarium fuerit demonſtratum, quamvis ſubinde ob circumſtantias ſingulares dubitationi quoque prudenter aliquis relinquendus ſit locus. Hoc quoque tenendum eſt, noſtrum in præſenti eſſe, ut quid veritati conveniat oſtendamus, aliam vero eſſe quæſtionem, in quantum veritas obſervari poſſit in praxi. Veritatem autem non ignorari utile omnino eſt, ne ab ea temere recedatur, nec ſi opus fuerit longius recedatur, quam par eſt. Ad perfectam virtutem adſpirare atque omni ſtudio contendere debemus: ſit ita, quod metam, ad quam contendimus, nunquam attingamus.

§. 479.

§. 479.

Quoniam qui comis eſſe vult, cognoſcere tenetur, quantum honorem & quantam laudem mereatur is, quem honorare, vel laudare vult (§. 477.), honor autem conſiſtit in actibus externis (§. 538. *part. 1. Jur. nat.*), laus in verbis, quibus exiſtimatio ſignificatur (§. 541. *part. 1. Jur. nat.*), & ſatis conſtat, tam illos, quam hæc eſſe ſigna artificialia, quibus hominum arbitrio ſignificatus impoſitus (§. 958. *Ontol.*); *qui comis eſſe vult, cognoſcere quoque debet actus externos ad honorem exhibendum excogitatos & vocabula, quibus virtutes intellectuales & morales*, quippe quæ veram laudem pariunt (§. 550. *part. 1. Jur. nat.*), *& facta inde proficiſcentia*, utpote ex quibus habitus iſti colligendi (§. 551. *part. 1. Jur. nat.*), *indigitantur, una cum formulis laudandi receptis.* *Quæ honoris & laudis gratia cognoſcenda.*

Unumquemque exiſtimare debemus ea perfectione, qua præditus eſt. Cohæret hæc exiſtimatio cum obligatione cognoſcendi perfectiones animæ ac corporis ſtatusque externi aliorum & uſum facultatum, quem faciunt, in illis promovendis, imperfectionibus vero arcendis (§. 193. *part. 1. Jur. nat.*), quæ excitat æmulationem firmiores profectus in virtute alentem. Laus vero, qua exiſtimationem declaramus, incendit ardorem in bono ulterius progrediendi & animos aliorum nobis conciliat, aliorumque æmulationem excitat. Qui ergo comis eſt, idem & ſibi, & aliis utilis eſt.

§. 480.

Qui comis eſt homini omni honorem humanitatis exhibet. *De honore humanitatis.* Etenim qui comis eſt, unicuique exhibet honorem, quem meretur (§. 475.), ſatisfacturus obligationi ſuæ (§. 648. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero cum honor humanitatis homini deferatur, quatenus homo eſt (§. 759. *part. 6. Jur. nat.*), eum quilibet homo meretur, eundem quoque unicuique exhibere

obligamur (§. 760. *part. 6. Jur. nat.*). Qui ergo comis eſt homini omni honorem humanitatis exhibet.

Prima comitatis pars eſt honor humanitatis homini cuicunque exhibendus. Quemadmodum vero alias monuimus, eum inter ea referendum eſſe, ad quæ pauciſſimi animum attendunt (*not.* §. 760. *part. 6. Jur. nat.*); ita quoque non diffitendum, comitatem plerumque hac parte deficere, niſi defectus ex accidente alia quadam cauſa ſuppleatur, quæ ducit ad actus ei convenientes. Dari iſtiusmodi honorem, alias jam evicimus ex ipſa definitione honoris (*not.* §. 759. *part. 6. Jur. nat.*). Et ſicuti honor quilibet ſupponit exiſtimationem, niſi vanus eſſe debeat (§. 538. *part. 1. Jur. nat.*); ita quoque honori humanitatis reſpondet exiſtimatio, conſiſtens nimirum in judicio de natura humana, qua natura hominem omnem nobis fecit æqualem, omnibus autem animantibus brutis præſtantiorem. Datur communis hominum omnium perfectio eſſentialis, ob quam homo opus artificioſiſſimum artificis ſummi, Dei nimirum ſapientiſſimi ac potentiſſimi opus eſt. Quoniam exiſtimatio indeque dependens honor nititur perfectione honorati; honor quoque humanitatis temerarius cenſeri nequit. Haud parum itaque intereſt, ut eundem intimius perſpiciamus & fructus ejus uberrimos agnoſcamus.

§. 481.

Quomodo is exhibeatur.

Quoniam comis homini omni honorem humanitatis exhibet (§. 480.), honor autem humanitatis conſiſtit in actibus, quibus ſignificamus, quod alter ſit homo (§. 759 *part. 6. Jur. nat.*), quem natura nobis æqualem fecit (§. 81. *part. 1. Jur. nat.*), quoad jura & obligationes (§. 78. *part. 1. Jur. nat.*), connata ſcilicet (§. 17. 26. *part. 1. Jur. nat.*); *qui comis eſt, hominem unumquemque conſiderat tanquam æque hominem, & vultu, geſtu, verbis factiſque, prout fert occaſio, declarat, quod eundem agnoſcat natura ſibi æqualem.*

In quonam conſiſtat honor humanitatis, omnium clariſſime perſpicitur ex ejus oppoſito, nimirum contemtu. Quando homines, quibus alius honorem nullum exhibere tenetur, niſi qui humanitatis eſt, contemnuntur, aut indigne quovis modo tractantur, de læſo hoc honore conquerentes rationem hanc reddere audias, quod ſint æque homines ac alter. Eandem quoque rationem cenſuræ reddunt, qui contemnentem & indigne tractantem alium reprehendunt. Actus igitur & verba, de quibus querelæ moventur & quæ improbantur, indicant oppoſita, quibus honor humanitatis exhibetur. Quamobrem etſi nomen ignotum ſit & inſuetum tadat aures delicatas; res tamen ipſa non adeo ignota eſt, quemadmodum forſan putatur, ſed ipſa natura, quæ ſenſum humanitatis homini dedit, ejus notionem quandam tacitæ menti inclusit. Et propterea ipſa natura hominem docet, modo non habeat aures hebetes, quonam vultu & geſtu, quibusnam verbis aut factis honorem humanitatis aliis exhibere debeat, ubi hominem alium, cum quo ipſi negotium eſt, conſiderat tanquam æque hominem.

§. 482.

Honor humanitatis fluit ex amore univerſali. Etenim vi amoris univerſalis hominem quemcunque alium amare debemus tanquam nosmet ipſos (§. 619. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque amor univerſalis non ſupponit rationem aliam, cur alterum amemus, quam quod homo eſt, qui vero alterum amat tanquam ſeipſum, eundem tanquam ſeipſum conſiderat (§. 659. *Pſych. empir.*); qui amore univerſali alterum proſequitur, eundem conſiderat tanquam æque hominem. Enimvero exiſtimatio, quam honor humanitatis ſupponit, in eo conſiſtit, ut alterum conſideremus tanquam æque hominem, honor autem ipſe actibus externis abſolvitur, quibus illa declaratur (§. 481.). Honor itaque humanitatis ex amore univerſali fluit.

Fons honoris humanitatis.

Amor univerſalis cum non adeo exulet, quin ſeſe exerat in animis hominum nullo affectu nulloque vitio præpedito, honorem quoque humanitatis iisdem inſtillat, ut de eo minime cogitantes eundem tamen exhibeant aliis. Pertinent huc, quæ modo annotata ſunt (*not.* §. 481.). Quoniam vero honor humanitatis cum amore univerſali indiſſolubili vinculo cohæret, ad quem quod obligati ſimus extra dubitationis aleam poſitum eſt (§. 619. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque hinc quoque eluceſcit, nos ad honorem humanitatis unicuique exhibendum obligari, conſequenter eundem eſſe comitatis partem, quod paulo ante aliter oſtendimus (§. 480.).

§. 483.

Medium honorem humanitatis facilitandi.

Quoniam honor humanitatis ex amore univerſali fluit (§. 482.); *Qui animum ad honorem humanitatis aliis exhibendum diſponere vult, omni animi contentione in id eniti tenetur, ut alium quemcunque amare diſcat tanquam ſeipſum, & in amore univerſali indies magis magisque proficiat.*

Amor univerſalis mirifice facilitat honorem humanitatis. Avertit nimirum attentionem ab iis, quæ eundem impedire poterant. Requirit nimirum honor humanitatis, ut hominem alium quemcunque conſideremus tanquam æque hominem, quem natura nobis æqualem fecit (§. 481.). Enimvero amor univerſalis non aliud ſupponit, quam ut eum, quem amamus, homo ſit (*not.* §. 482.). Quænam vero faciant ad amorem univerſalem ingignendum & firmandum, abunde oſtendimus in ſuperioribus.

§. 484.

Medium ingignendi exiſtimationem & honorem humanitatis.

Animum ad exiſtimationem & honorem humanitatis diſpoſiturus omnem operam dare debet, ut perfectionem ſuam eſſentialem agnoſcat ac pendentem inde præſtantiam præ creaturis ceteris, porro conſiderare ſe tanquam creaturam Dei, ac denique perpendere hominem quem-

quemcunque alium eadem perfectione eſſentiali eademque præſtantia gaudere, & creaturam Dei eſſe. Qui enim perfectionem ſuam eſſentialem agnoſcit, quam cum hominibus omnibus aliis communem habet, ac perpendit, quod eam cum quovis homine alio communem habeat; is non modo convincitur, ſe creaturis ceteris præſtare, verum etiam homines alios quoscunque ſui eſſe ſimiles (§. 195. *Ontol.*), eademque præſtantia gaudere. Quodſi porro conſideret, ſe eſſe creaturam Dei, a Deo nimirum factum, atque alium hominem quemcunque ſimiliter a Deo factum eſſe; tam ſe, quam alium conſiderat tanquam opus artificioſiſſimum Numinis ſapientiſſimi ac potentiſſimi. Præſtantiam igitur humanam agnoſcens convincitur, quanti homo ſit faciendus, quatenus homo eſt, & cum Dei ſapientia atque potentia maxime conſpicua ſit in perfectione eſſentiali, qua hominem ornavit, hominem qua hominem non vili pendendum eſſe agnoſcit. Quoniam itaque exiſtimatio, quam ſupponit honor humanitatis, nititur judicio de perfectione hominis eſſentiali (*not.* §. 759. *part.* 6. *Jur. nat.*), ipſe autem honor conſiſtit in actibus externis, quibus ſignificamus, nos agnoſcere, quod alter homo ſit (§. 759. *part.* 6. *Jur. nat.*), ideoque eum tanti facimus, quanti hominem, creaturam omnium præſtantiſſimam, opus Dei artificioſiſſimum, facere debemus; qui perfectionem ſuam eſſentialem indeque pendentem præſtantiam præ ceteris creaturis agnoſcit, & hominem alium quemcunque eadem perfectione gaudere perpendit, ac præterea conſiderat tam ſe, quam ceteros omnes creaturam Dei eſſe, ejus animus ad exiſtimationem & amorem humanitatis diſponitur.

Ad noſcentiam ſui pertinet cognitio perfectionis eſſentialis (§. 3. *part.* 4. *Eth.*), tanto magis neceſſaria, quia eadem nititur lex naturæ, qua jubemur actiones liberas determinare per

eaſdem rationes finales, per quas determinantur naturales (§. 154 *part. 1. Phil. pract. univ.*). Conſtat vero nos actiones liberas ita determinare debere, ut perfectio accidentalis cum eſſentiali, ſeu acquiſita cum naturali conſentiat. Neceſſe autem eſt, perfectionem eſſentialem probe ponderari, ut agnoſcatur dignitas hominis naturalis, conſequenter tanto clarius perſpiciatur, quantum hominem dedeceat alia actionum directio quam juxta legem naturæ. Dignitatem ſuam proſtituit, qui perfectioni naturali, ſeu naturæ ſuæ convenienter actiones ſuas non determinat. Enimvero ne dignitatem hominis naturalem ſaltem in uſum noſtrum convertamus, ut in virtute proficiamus; animum quoque attendere debemus ad æqualitatem omnium hominum quoad dignitatem naturalem, ne hominem ullum vili pendamus. Atque hic plurimum juvat conſiderare, quod hominem vili pendere idem ſit ac opus Dei artificioſiſſimum vili pendere, conſequenter contemnere hominem viliſſimæ conditionis, cum is propterea perfectionem eſſentialem non mutet, conſequenter dignitatem hominis naturalem retineat, perinde eſſe ac contemnere, quod Deus præſtantiſſimum fecit ſapientiam atque potentiam ſuam, immo ſummam, qua ipſe gaudet, perfectionem manifeſtaturus. Conſtat homo tam anima, quam corpore. Quamobrem dignitatem humanam cogniturus tam corporis, quam animæ perfectionem eſſentialem perſpicere tenetur. Ad hujus ſcientiam ducit Pſychologia, ad ſcientiam illius Anatomia, quatenus non ſolum ſtructuram corporis, ſed ſingularum quoque partium uſum explicat, a nobis in libro idiomate patrio de uſu partium expoſitum. Qui propoſitionem præſentem attenta mente conſiderat, haud difficulter animadvertet, quantum in exiſtimationem & honorem humanitatis influant officia erga Deum, modo ea didicerit, quæ demonſtravimus de iisdem in parte tertia Ethicæ. Tuncque manifeſtum erit, quantam conſideratio dignitatis humanæ omnium hominum communis vim habeat in diſponendo animo ad exiſtimationem & honorem humanitatis. Vis iſta augetur amore univerſali accedente (§. 482.).

§. 485.

Qui honorem humanitatis alteri defert, vultu benigno, voce ſerena, verba blanda, ſed ſenſu tincta cum alio quocunque miſcet, atque acceſſu facilis ſedate loquentem audit. Qui enim honorem humanitatis alteri defert, externis actibus, ideoque vultu, voce & verbis, factisque pro varietate circumſtantiarum requiſitis, declarat, ſe habere alterum, cum quo loquitur, aut cum quo ipſi negotium quoddam eſt, pro homine, quem natura ſibi æqualem fecit, quamvis fortuna ipſi magis favens eum fecerit altero ſuperiorem (§. 481.). Quamobrem cum honor humanitatis ex amore univerſali fluat (§. 482.), qui vero alterum amat, voluptatem ejus appetat (§. 650. *Pſych. empir.*), ideoque bene cupiat, ad inſerviendum paratum animum vultu benigno indicat. *Quod erat primum.* *Honor humanitatis distinctius explicatur.*

Et quoniam animus omni affectu vacuus, quem amore univerſali ob ſeſſum alio torquere poterat; vox quoque pro nullo affectu torquetur, ideoque minime alteratur, a modo naturali minime recedens. Quamobrem cum vox ſerena dicatur, quando nullo affectus impetu alteratur; qui comis eſt, voce ſerena verba profert, quando cum altero loquitur. *Quod erat ſecundum.*

Blanda ſunt verba, quæ placide proferuntur, ideoque maxime conveniunt voci ſerenæ, per ea, quæ de voce ſerena modo diximus. Verba ſenſu tincta ſunt, quæ exprimunt id, quod alteri ſignificare volumus. Quoniam itaque qui comis eſt, voce ſerena verba profert, *per demonſtrata n. 2.* & quando cum altero loquitur, cum quo ſibi quoddam negotium eſt, non aliud intendit, quam ut mentem ſuam capiat; verba blanda, ſed ſenſu tincta cum eo miſcet, cum quo ſibi negotium eſt, ſeu cum quo loqui, vel quem alloqui quacunque de cauſa opus eſt. *Quod erat tertium.*

Deni-

Denique cum comis alium quemcunque conſideret tanquam hominem, quem natura ſibi æqualem fecit (§. 481.), cui obligatus eſt ad officia quælibet præſtanda, quatenus in poteſtate ſua eſt, ut præſtet (§. 608. 610. *part. 1. Jur. nat.*), & cui competit jus ea petendi (§. 234. *part. 1. Phil. pract. univ.*); acceſſu omnino facilis eſſe debet atque loquentem ſedate audire. *Quod erat quartum.*

Cum honor humanitatis conſiſtat in actibus externis, qui alii eſſe nequeunt quam vultus, geſtus, vox, ſermo & facta quædam, pro circumſtantiis præſentibus varia; ideo recte quæritur, quinam vultus & geſtus, quænam vox, qualis ſermo, quænam denique facta comitati conveniant. Non vero adeo facilis eſt reſponſio, cum ſtudio quoque quæſita vocabula deſtituantur ſenſu ad ſignificandum id, quod debent, ſatis apta, ut intelligantur etiam ab eo, qui vultum geſtumque comis nondum vidit, nec vocem atque verba audivit: facta enim indies obvia, ſive poſitiva fuerint, ſive negativa, cum eorum confuſas ſaltem notiones habeat quilibet, in præſenti ſufficientes, facilius indicantur ac intelliguntur. Præſtat igitur, ut comitati ſedulam operam navantes ea, quæ verbis difficulter deſcribuntur, quantum ad intellectum ſufficit, ex nobis ipſis cognoſcamus. Etenim ſi amore univerſali imbutus fuerit animus & homo, cum quo tibi quocunque modo negotium eſt, ſpectetur tanquam homo, quem natura tibi æqualem fecit, ob dignitatem naturalem minime vili pendendum, cujuscunque tandem conditionis fuerit; ipſa natura vultum & geſtum componit, vocis ſerenitatem ſervat, verbaque & facta, quamvis in ſelectu tibi aliquam relinquat libertatem, rationi conformes commendat. Vultus animi imago eſt, vox index & verbis quoque indicia inſunt, modo ſatis ponderentur, quamvis ob latebras & receſſus in animo loquentis ſubinde dubia & ad fallendum compoſita, præſertim niſi circumſpectione ſufficiente utaris. Patet igitur ex ante dictis vultum & vocem indicare debere amorem & æſtimationem digni-

dignitatis naturalis omnium hominum communem, ideoque animum a parvi faciendo remotum, cui deinceps conformanda ſunt verba & facta pro datis circumſtantiis. Ideo comitatem alicujus laudaturi eum dicimus cum quovis amice loqui & eſſe hominem obvium, ac unicuique ſe benignum ac facilem præbere.

§. 486.

Honori humanitatis repugnat, homines tenuioris ſortis vili pendere, aut prorſus contemnere. Honor enim humanitatis conſiſtit in actibus, quibus declaratur, nos hominem quemcunque, cujuscunque tandem ſit conditionis, pro homine habere, quem natura nobis æqualem fecit (§. 481.), & quem ob dignitatem naturalem hominum omnium communem vili pendere non debemus, multo minus contemnere, præſertim ſi eum tanquam creaturam Dei conſideramus (§. 484.), amori noſtro commendatum ab ipſo Deo (§. 619. *part. 1. Jur. nat.* & §. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Evidens itaque eſt, quod honori humanitatis repugnet homines tenuioris ſortis vili pendere, aut prorſus contemnere. *Quidnam honori humanitatis repugnet.*

In honore humanitatis non attenduntur ea, quæ fortunæ debentur, ſed quæ natura dedit & quibus homines omnes æquales facit, ut eatenus cenſeantur pares. Quamobrem nulla ratio habetur inæqualitatis, quam fortuna invexit, ut alius ſit melioris conditionis, alius deterioris, alius dignitate ſuperior, alius inferior & ita porro. Quodſi ergo dives contemnit pauperem, nobilis & clarus ignobilem & plebejæ conditionis hominem quaſi nullo honore dignum (§. 787. *part. 1. Jur. nat.*); id honori humanitatis adverſatur, atque lege naturæ prohibetur, ne quis contemnatur, cujuscunque tandem ſit conditionis. Si omnes caperent, quænam ſint ea, ex quibus pretium quoddam ſtatuendum eſt hominibus, nec tam perverſæ foverentur de iis opiniones; non tam communis

Denique cum comis alium quemcunque conſideret tanquam hominem, quem natura ſibi æqualem fecit (§. 481.), cui obligatus eſt ad officia quælibet præſtanda, quatenus in poteſtate ſua eſt, ut præſtet (§. 608. 610. *part. I. Jur. nat.)*, & cui competit jus ea petendi (§. 234. *part. I. Phil. pract. univ.*); acceſſu omnino facilis eſſe debet atque loquentem ſedate audire. *Quod erat quartum.*

Cum honor humanitatis conſiſtat in actibus externis, qui alii eſſe nequeunt quam vultus, geſtus, vox, ſermo & facta quædam, pro circumſtantiis præſentibus varia; ideo recte quæritur, quinam vultus & geſtus, quænam vox, qualis ſermo, quænam denique facta comitati conveniant. Non vero adeo facilis eſt reſponſio, cum ſtudio quoque quæſita vocabula deſtituantur ſenſu ad ſignificandum id, quod debent, ſatis apta, ut intelligantur etiam ab eo, qui vultum geſtumque comis nondum vidit, nec vocem atque verba audivit: facta enim indies obvia, ſive poſitiva fuerint, ſive negativa, cum eorum confuſas ſaltem notiones habeat quilibet, in præſenti ſufficientes, facilius indicantur ac intelliguntur. Præſtat igitur, ut comitati ſedulam operam navantes ea, quæ verbis difficulter deſcribuntur, quantum ad intellectum ſufficit, ex nobis ipſis cognoſcamus. Etenim ſi amore univerſali imbutus fuerit animus & homo, cum quo tibi quocunque modo negotium eſt, ſpectetur tanquam homo, quem natura tibi æqualem fecit, ob dignitatem naturalem minime vili pendendum, cujuscunque tandem conditionis fuerit; ipſa natura vultum & geſtum componit, vocis ſerenitatem ſervat, verbaque & facta, quamvis in ſelectu tibi aliquam relinquat libertatem, rationi conformes commendat. Vultus animi imago eſt, vox index & verbis quoque indicia inſunt, modo ſat s ponderentur, quamvis ob latebras & receſſus in animo loquentis ſubinde dubia & ad fallendum compoſita, præſertim niſi circumſpectione ſufficiente utaris. Patet igitur ex ante dictis vultum & vocem indicare debere amorem & æſtimationem digni-

dignitatis naturalis omnium hominum communem, ideoque animum a parvi faciendo remotum, cui deinceps conformanda ſunt verba & facta pro datis circumſtantiis. Ideo comitatem alicujus laudaturi eum dicimus cum quovis amice loqui & eſſe hominem obvium, ac unicuique ſe benignum ac facilem præbere.

§. 486.

Quidnam honori humanitatis repugnet.

Honori humanitatis repugnat, homines tenuioris ſortis vili pendere, aut prorſus contemnere. Honor enim humanitatis conſiſtit in actibus, quibus declaratur, nos hominem quemcunque, cujuscunque tandem ſit conditionis, pro homine habere, quem natura nobis æqualem fecit (§. 481.), & quem ob dignitatem naturalem hominum omnium communem vili pendere non debemus, multo minus contemnere, præſertim ſi eum tanquam creaturam Dei conſideramus (§. 484.), amori noſtro commendatum ab ipſo Deo (§. 619. *part. 1. Jur. nat.* & §. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Evidens itaque eſt, quod honori humanitatis repugnet homines tenuioris ſortis vili pendere, aut prorſus contemnere.

In honore humanitatis non attenduntur ea, quæ fortunæ debentur, ſed quæ natura dedit & quibus homines omnes æquales facit, ut eatenus cenſeantur pares. Quamobrem nulla ratio habetur inæqualitatis, quam fortuna invexit, ut alius ſit melioris conditionis, alius deterioris, alius dignitate ſuperior, alius inferior & ita porro. Quodſi ergo dives contemnit pauperem, nobilis & clarus ignobilem & plebejæ conditionis hominem quaſi nullo honore dignum (§. 787. *part. 1. Jur. nat.*); id honori humanitatis adverſatur, atque lege naturæ prohibetur, ne quis contemnatur, cujuscunque tandem ſit conditionis. Si omnes caperent, quænam ſint ea, ex quibus pretium quoddam ſtatuendum eſt hominibus, nec tam perverſæ foverentur de iis opiniones; non tam communis quo-

quoque foret contemtus honori humanitatis adverſus, qualis deprehenditur. Ceterum contemtus hominum tenuioris ſortis abunde loquitur ignorantiam honoris, qui humanitati debetur, carentiam haud infimæ partis comitatis (§. 480.), & defectum amoris univerſalis (§. 482.). Inde facile conficitur, eum eſſe legi naturæ contrarium, ideoque peccatum (§. 440. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quamvis referendus ſit inter ea peccata, quæ vulgo non agnoſcuntur, aut ſaltem levioribus accenſentur, quod unde magnitudo æſtimanda ſit non capiant (§. 482. 484.).

§. 487.

Quænam in honore humanitatis non attendenda.

In honore humanitatis non attenditur diverſitas diſpoſitionum & inclinationum atque reclinationum naturalium. Etenim in honore humanitatis homo ſaltem ſpectatur quatenus homo eſt (§. 759. *part. 6. Jur. nat.*), conſequenter non attenditur niſi perfectio eſſentialis ac dependens inde præſtantia præ creaturis ceteris omnium hominum communis (§. 484.). Quamvis itaque conſtet, homines qua individua differre diſpoſitionibus, inclinationibus & reclinationibus naturalibus, id quod uberius declaravimus in parte ſecunda Ethicæ; hæc tamen differentia in honore humanitatis non attenditur, quemadmodum nec ejusdem ratio habetur in amore univerſali (§. 619. *part. 1. Jur. nat.*), ex quo honor humanitatis fluit (§. 482.).

Diſpoſitiones, itemque inclinationes atque reclinationes naturales difficillime cognoſcuntur. Diſpoſitiones naturales non agnoſcuntur niſi ex habitu, ad quem exercitio fuerunt evectæ (§. 430. *Pſych. empir.*), habitum vero probant facta inde profecta, ex quibus nimirum intelligitur, quænam vi ejusdem præſtari poſſint. In habitu autem non adeo facile eſt diſtingvere ea, quæ naturæ debentur, & per conſequens ad diſpoſitiones naturales referenda, ab illis, quæ fortunæ occaſionem evehendi diſpoſitionem naturalem ad habitum ſubminiſtranti

&

& induſtriæ in acquirendo habitu adhibitæ debentur. Et quamvis facilius hæc a ſe invicem diſcernere poſſit in ſeipſo, qui acumine ſufficiente pollet, quam in alio; modeſtiæ tamen convenit, ne de iis loquatur aliis, ne ſeipſum laudare, vel laudem appetere videatur, cumque judicium, quo ea diſcernuntur, plerumque non omni exceptione majus ſit, ideoque verendum, ne plus ſibi tribuat, quam par eſt, humilitati conſentaneum eſt, ut judicium de induſtria noſtra aliis relinquamus, nos vero habitus acquiſitos tanquam Dei beneficium agnoſcamus (§. 497. *part.* 4. *Eth.*), ut honor & laus omnis tribuatur Deo (§. 493. *part.* 4. *Eth.*), datori omnis boni, quod habet homo (§. 42. *part.* 3. *Eth.*). De inclinationibus & reclinationibus naturalibus prolixe egimus in parte ſecunda Ethicæ, quæ ſatis docent, quam difficilis foret inquiſitio, ſi in individuis perſcrutandæ forent. Cumque inclinationes naturales conſiſtant in generali determinatione appetitus ad aliquid appetendum (§. 895. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), reclinationes vero in generali determinatione averſationis ad aliquid averſandum (§. 896. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), conſuetudo autem altera natura ſit, ita ut homines ſibi naturale eſſe arbitrentur, quod conſuetudine contraxerunt; quid in inclinationibus & reclinationibus conſuetudini ſit tribuendum, quid naturæ, non facile diſcernitur. Non eſt quod excipias ſpectandas hic ſaltem eſſe inclinationes & reclinationes communes, quæ in hominibus omnibus ſunt eædem. Etenim hæ ad perfectionem eſſentialem pertinent, ob quam homo habetur homo, nec de iis loquitur propoſitio præſens. Lex naturæ nos non obligat ad ea conſequenda, quæ in poteſtate noſtra non ſunt (§. 176. *part.* 1. *Jur. nat.*), & minime omnium, ſi ea forent nullius uſus. Ut hominem agnoſcamus tanquam æque hominem, quem natura nobis æqualem fecit, uſum habet in praxi officiorum non ſolum erga alios, ſed etiam erga nos ipſos, ideoque hoc ſufficit ad honorem humanitatis homini qua homini exhibendum; differentia vero diſpoſitionum & inclinationum atque reclinationum naturalium

lium ad glorificationem Dei facit, & hic ſufficit in genere agnoſci, Deum pro ſapientia & bonitate ſua diſpoſitiones & inclinationes naturales diverſimode diſtribuiſſe, ac propterea honorem ac laudem omnem Deo deberi, ad quam collineare debemus laudem omnem hominibus tributam, ſicuti humilis laudem ſibi tributam Deo reddit (*not.* §. 496. *part.* 4. *Eth.*).

§. 488.

Quotuplex ſit honor.

Diſtingvendus eſt in Philoſophia morali honor, quem alteri exhibere tenemur ob virtutes intellectuales & morales, ac inde profecta facta, quibus bene meretur de hominibus aliis, ab honore; quem aliis tenemur exhibere ob dignitatem civilem. Illum *Honorem naturalem* appellamus, quia ad eundem alteri exhibendum obligamur naturaliter, ſeu lege naturali; hunc vero *civilem*, quia ad eundem obligamur alteri lege civili, vel conſuetudine, quæ legis vicem ſubit. Ille rationem habet ſufficientem & veritate nititur; hic vero ab arbitrio hominum dependet & eorum nititur opinione. Equidem cum dignitates civiles non conferendæ ſint niſi meritis (§. 766. *part.* 8. *Jur. nat.*) & honor civilis ſit exhibendus propter merita in Remp. (§. 761. *part.* 8. *Jur. nat.*), honor civilis non differre videtur a naturali, cui maxime conſentaneum eſt, ut merita in Remp. ſuſpiciamus; qui tamen ita ſentiunt, quid ſit honor civilis non ſatis capiunt. Honor enim civilis conſiſtit in actibus, qui arbitrarie determinantur honoris exhibendi cauſa (§. 762. *part.* 8. *Jur. nat.*), atque in titulis & præcedentia conſiſtunt (§. 764. *part.* 8. *Jur. nat.*), quibus moribus Gentium acceſſere alia non ubivis Gentium eadem: aſt quatenus merita alicujus agnoſcuntur, & eidem honor in veritate exhibetur, hic non civilis, ſed naturalis eſt, a civili dividendus, nec cum eo confundendus. Quæ vero de honore dicta ſunt; eadem quoque de *Laude* tenenda.

Hono-

Digitized by Google

Honorem & laudem naturalem eſſe virtutis, in dubium vocare nequit qui agnoſcit utriusque cum lege naturæ convenientiam, cum omnis actio legi naturæ conſentanea ad virtutem ſit adſcribenda: aſt de civili idem non æquè patere videtur, qui lege poſitiva & conſuetudine hominum introducitur, præſertim cum merita in Remp. ſuſpicere ad honorem atque laudem naturalem referatur. Etenim cives leges civiles obſervare debent (§. 1084. *part.* 8. *Jur. nat.*), & in conſuetudinibus tantum dare opinoni, quantum illæſis officiis dari poteſt, prudentia jubet, quam ipſa lex naturæ urget (§. 258. *part.* 1. *Jur. nat.*), præſertim cum vel tibi, vel aliis noceas, ſi a conſuetudine, in qua ſaltem reprehendenda eſt vanitas, ſolus longe refugere velis. Si enim honori ac laudi civili demas merita in Remp. quod relinquitur inane ac vanum eſt (§. 504. *part.* 4. *Eth.*). Vanitatem tollit naturalis, ſi ad civilem accedit, ut eam nanciſcatur formam, quam a lege naturæ habet. Quodſi hæc ſatis ponderentur, non difficile erit judicatu, in quantum honor & laus civilis virtutem participent.

§. 489.

Quo usque comitas non ſit extendenda.

Quoniam honor naturalis ob virtutes intellectuales & morales indeque manantia merita de aliis exhibendus (§. 488.), hoc vero fieri nequit, niſi virtutes intellectuales & morales alterius nobis ſint perſpectæ, quod per ſe patet, atque nemo obligetur ultra id, quod ipſi impoſſibile (§. 109. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *comitati minime adverſatur, ſi quis alteri præter honorem humanitatis*, omni homini exhibendum (§. 480.), *& civilem ipſi debitum* (*not.* §. 488.), *honorem nullum laudemque nullam tribuit propter ea, quæ ignorat, aut quæ non intelligit, ipſi autem non invidet honorem ac laudem, quam tribuunt alii ſive intelligentes, ſive qui echo eorum ſunt, eamque ſive meritam, ſive immeritam.*

Eruditi, quos vel inſcios vana vexat ambitio, comitatem in nimium extendere ſolent. Cum fieri minime poſſit, ut quis

in omni ſcientiarum genere ac omni eruditionis parte excellat; alius hac ſcientia, vel eruditionis parte, alius alia præſtat, neque omnes induſtria ſua ſe æque utiles præbent generi humano, nec æqualia ſunt ipſorum in Remp. merita. Quamobrem nec fieri poteſt, ut unusquisque ab omnibus exiſtimetur, quantum exiſtimatur ab iis, qui in eodem ſcientiæ genere, vel eruditionis parte ſtudium ſuum collocant. Vulgare autem eruditorum vitium eſt, ut unusquisque ſuam amet Dianam, ac propterea ſe alios antecellere ſibi perſuadeat, conſequenter putet, ab omnibus ſibi deberi honorem ac laudem, quam ipſi tribuunt ſui ſimiles, ſive pro merito, ſive ultra meritum, prouti ſuaſerit amor mutuus, aut unus exiſtimat & laudat alterum, ut ab eo viciſſim tanti exiſtimetur, quanti ipſum facit, & ab eo laudetur. Quodſi ergo contingat, ſe tanti non exiſtimari ab aliis, quanti ab omnibus exiſtimari volebant, qui tamen exiſtimant plurimum alios, quibus ſe longe ſuperiores putant; quaſi de injuria ſibi facta conqueruntur & neglectum exiſtimationis, quam a non intelligentibus prætendere abſurdum eſt, & exiſtimationem aliorum, de quorum merito ſtatuere poſſunt, qui eos magni faciunt, in contemtum ſui perperam vertunt. Quodſi vero quidam fuerint, qui ſecum ſaltem habitant, de aliis parum ſolliciti, aut alios prorſus contemtui habentes; vel ſe ab omnibus tanti fieri, quanti ipſos faciunt ſui ſimiles, aut aſſentatores atque adulatores, putant, & neſcio quo animo generoſo ſibi blandientes contemtu vindicant honorem ac laudem ſibi minime tributam. Nemo eſt qui neſciat, quam pauci ſint, qui de Geometria ſublimiori & Analyſi infiniteſimali, ſeu infinite parvorum judicare valent, quantam vel mentis aciem & ingenii requirat, vel quænam ejus ſit utilitas. Multo minus igitur ſtatuere poſſunt de progreſſibus, quos hic, vel iſte Algebraiſta, aut Geometra fecit in arte ſua. Et ubi audiunt non ſolum, Geometras calculos ſuos exercere in hypotheſibus ſaltem poſſibilibus, non vero naturæ, verum etiam iis, qui ad miraculum usque in calculo excellere dicuntur, ab aliis intelligentibus objici, quod calcu-

lum

Digitized by Google

lum ſuum exerceant de rebus, quarum nullam habent notionem, quod in gratiam calculi aſſumant hypotheſes obſervationibus & communi experientiæ e diametro adverſas, quod ab omni ævo communiter receptas opiniones pro novis inventis venditent, quod errores dudum exploſos & obvios quaſi ab orco revocent, quod intellectu facilia & ab aliis dilucide explicata & demonſtrata calculis perplexis intricent & intellectu difficilia reddant, rationi prorſus adverſa calculo ſuo producant & rationem ſub obedientia calculi captivandam eſſe contendant, & quænam alia ſunt ejusdem farinæ; fieri ſane nequit, ut præclare de Algebra & Algebraiſtis, Geometriæ ſublimioris cultoribus, ſentiant. Quodſi porro ultra ſphæram ſuam progredientes & judicium de rebus aliis, quas non intelligunt, ſibi ſumentes miſere vapulent; de ipſorum acumine admodum honorifice ſentire nequeunt. Hæc cum ita ſe habeant, ecquis ſanæ mentis ſibi perſuadebit, eos comitatem in ſe deſiderari pati, ſi honorem ac laudem hominis arte calculandi præſtantis & inter Algebraiſtas præcipuum quendam locum merentis inſuper habeant & alios, quorum merita magis evidentia ipſisque ſatis perſpecta ſunt, magni pro merito faciunt. Lex naturæ nemini dat jus prætendendi ab altero, quod in poteſtate ſua non habet, cum ad idem neminem obliget (§. 109. *part. 1. Phil. pract. univ.* & §. 23. *part. 1. Jur. nat.*). Abſonum itaque foret ad comitatem requirere, quæ lex naturæ eidem ſubducit.

§. 490.

An comitatis ſit aliquem honorare, vel laudare ob bona corporis & fortunæ.

Comitatis non eſt honorare ac laudare aliquem ob bona corporis, vel fortunæ. Etenim comitatis eſt unicuique honorem meritum laudemque meritam tribuere (§. 475.). Sed bona corporis & fortunæ honorem ac laudem minime pariunt (§. 518. *part. 4. Eth.*). Comitatis igitur non eſt honorare ac laudare aliquem ob bona corporis, vel fortunæ.

Oſtendimus jam alias, abſurdum eſſe ob bona corporis, vel fortunæ honorem atque laudem appetere (§. 519. *part.* 4. *Eth.*). Honor & laus ſupponit meritum, in quo jus imperfectum ad honorem atque laudem conſiſtit, & fundatur obligatio honorem ac laudem tribuendi. Iſtiusmodi autem meritum in præſenti deficit (*not.* §. 518. & *not.* §. 519. *part.* 4. *Eth.*). Aeſtimare bona corporis & fortunæ, quæ in altero conſpicua ſunt, ut iisdem delectemur, non idem eſt ac laudare alterum & honore dignum judicare. Cum varia ſint corporis & fortunæ bona, in nonnullis ſatis apertum eſt, quod aſſeritur: ecquis enim opinatur, laudari alterum, ſi verba fiunt de ſanitate corporis, qua gaudet, aut de favore patronorum & claritudine amicorum. Et quis non ridebit, ſi dicatur alicui deberi honorem propter ſanitatem, aut favorem patronorum? Quod vero in aliis idem non perſpiciatur, præconceptis opinionibus tribuendum, inde originem trahentibus, quod, dum ea in altero obſervamus, eadem nobis placent, ideoque amorem perſonæ concitant (§. 645. *Pſych. empir.*), a qua dividere nondum didicimus ea, quæ ipſi inhærent. Inquirere itaque negligimus in rationem, ob quam hæc corporis, vel fortunæ bona perſonæ conveniant, & num propterea perſonæ ſtatuendum ſit aliquod pretium, ut cenſeatur honore vel laude digna. Laudare benignitatem naturæ ac fortunæ, quæ bona iſta contulit, non eſt laudare perſonam, in quam ea collata ſunt. Nonne ideo audias bonis iſtis indignos judicari, qui virtutibus deſtituuntur, aut vitiis dediti ſunt? Ecquis vero ſanæ mentis dixerit, quamvis virtute careat, vitiisque conſpurcatus ſit hic, vel iſte; eum tamen merito eſſe laudandum, ac honorem ipſi deberi, quia opulentus eſt, vel dives. Abſurditatis ratio manifeſta eſt ex iis, quæ de merito honoris ac laudis alibi dicta relegenda modo commendavimus. Fortunatum eſſe & naturam benignam experiri non idem eſt ac laudem & honorem mereri. Neque vero dubium movere debent, quæ de honore humanitatis demonſtrata & uberius explicata fuerunt. Is enim requiritur, ne deficiat amor univerſalis, cujus obligatio

gatio ex hominis qua hominis eſſentia atque natura fluit, aut infirmetur.

§. 491.

An ob dotes animæ naturales aliquis mereatur laudem.

Ob dotes animæ naturales nemo laudem meretur. Etenim in honore humanitatis non attenduntur diverſæ diſpoſitiones & inclinationes ac reclinationes naturales (§. 487.), conſequenter dotes animæ naturales, utpote in iis conſiſtentes. Quoniam itaque exiſtimatio & honoris, & laudis fundamentum eſt (§. 538. 541. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter ob quod nemini debetur honor, ob idem quoque nemo meretur laudem; ob dotes animæ naturales nemo laudem meretur.

Idem oſtendi poteſt eodem modo, quo propoſitionem præcedentem demonſtravimus (§. 490.), modo notes, eodem modo demonſtrari poſſe, dotes animæ naturales nullum honorem ac laudem parere, quo idem demonſtravimus de bonis corporis & fortunæ (§. 518. *part. 4. Eth.*).

Bona corporis & dotes animæ naturales in eundem cenſum veniunt, cum hæ non minus quam iſta naturæ in totum debeantur, ſeu Deo naturæ autori. De iis igitur, quæ homo aliunde accepit, gloriari nequit, ac ſi non accepiſſet. Quando de honore ac laude ſermo eſt, non quæritur, num melior ſit tua conditio, quam alterius; ſed num feceris, quæ quia bene ac recte facta ſunt laudem atque honorem merentur. Dotes naturales poteſtati ſuæ ſubjiciunt, quæ in poteſtate aliorum non ſunt, qui iisdem deſtituuntur. Aſt non laudaris, quod non feceris, quæ facere poteras: ecquis enim encomium ſcribet negligentiæ, niſi per ironiam, ut manifeſtior ſit abſurditas? Cui plura in poteſtate ſunt, is ad plura præſtanda obligatur (§. 179. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque vitio vertitur negligentia, ſi non plura præſtiterit, quam alter.

§. 492.

Cuinam debeatur laus ob bona corporis & fortunæ atque dotes naturales animæ.

Ob bona corporis & fortunæ atque dotes naturales laus omnis unice debetur Deo. Quæ enim natura habemus bona, vel fortuna in nos contulit, conſequenter dotes naturales animæ & bona corporis atque bona fortunæ accepta ferenda, Deo naturæ autori (§. 822. *part. 1. Theol. nat.*) & ad cujus providentiam fortuna ex parte ipſius nulla (§. 542. *part. 1. Theol. nat.*), pertinet (§. 932. *part. 1. Theol. nat.*), in totum tribuenda (§. 473. *part. 3. Eth.*). Quamobrem ſi prædicantur bona corporis & fortunæ atque dotes naturales, ea extolluntur, quæ Deus ſolus fecit, conſequenter eidem quoque omnis laus debetur (§. 551. *part. 1. Jur. nat.*).

Qui ob bona corporis & fortunæ atque dotes naturales laudem appetit, is ſibi arrogat, quod Deo debetur. Et qui ea de cauſa te laudat, Deo ſurripit quod ſuum eſt tibique tribuit, qui tamen non vult, ut officium aliquod ſibi debitum præſtetur homini cuidam (§. 1261. *part. 1. Jur. nat.*). Inconſiderans iſtiusmodi laudator in Deum injurius eſt, culpa minime condonanda ei, qui Deum agnoſcere poterat atque debebat. Comitas cum virtus ſit (§. 475.), quam ſint iſtiusmodi laudes ab ea alienæ, abunde perſpicitur. Abſit tamen ne recenſionem & prædicationem illorum bonorum cum laude poſſidentis confundas. Quodſi enim Deus bonorum dator laudandus, neceſſe eſt ut bona iſta commemorentur & extollantur, ut ex iis bonitas Dei intelligatur, ob quam laudandus. Turpiſſima omnino adulatio eſt laudem divinam convertere in laudem hominis, cui ne minimum quidem ejus debetur. Equidem cum bona fortunæ dicantur, quibus ſtatus externus hominis perficitur (§. 556. *Pſych. empir.*), & in iis acquirendis ac conſervandis aliquæ etiam eſſe poſſunt hominis partes; non tamen inde ſequitur, ut ob ea ſit laudandus. Dividenda enim ſunt facta hominis ad acquiſitionem & conſervationem

bono-

Digitized by Google

bonorum concurrentia ab ipſis bonis, nec qui propter illa laudatur, propter hæc laudari cenſendus. Perpendendum hic quoque eſt, non confundenda eſſe ea, quæ hominem faciunt meliorem, cum his, quæ conditionem ejus meliorem reddunt. Nulla conſequentia eſt: Conditio mea tua melior eſt. Ergo ego te melior ſum.

§. 493.

Cujusnam ſit laudare alios ob corporis & fortunæ bona dotesque animæ naturales.

Adulatoris eſt ob bona corporis & fortunæ vel etiam dotes naturales laudare alios. Etenim laudes ob bona corporis & fortunæ (§. 518. *part. 4. Eth.*) & dotes animæ naturales tributæ immeritæ ſunt (§. 491.). Quoniam itaque adulatoris eſt alios immeritis laudibus cumulare (§. 892. *part. 1. Jur. nat.*); ejus quoque eſt ob bona corporis & fortunæ, vel etiam dotes naturales laudare alios.

Propoſitio inverti nequit, ut propterea ſtatim adulator dicatur, qui ob bona corporis & fortunæ, vel etiam dotes naturales laudat alios. Ut enim adulator ſis, neceſſe eſt ut noris, te cumulare alterum laudibus immeritis (§. 892. *part. 1. Jur. nat.*), favorem nimirum ejus aucupans, quem iſtiusmodi laudibus delectari noſti: fieri autem poteſt, ut ob præjudicatam opinionem nullo adulandi animo hoc facias, cum ea tantum poſſit, ut ſine ratione valeat turbæ autoritas. Laus in ſe ſpectata ad adulationem adſcribenda, quamvis reſpectu laudantis ad eam referenda non ſit. Laudans tamen non omni culpa vacat, ſi noſſe poterat, quemadmodum debebat, laudem iſtam eſſe immeritam, cum ignorantia vincibilis, qua laborat (§. 735. *part. 1. Phil. pract. univ.*), culpa ſit (§. 717. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & committenti ea imputetur (§. 549. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Atque hinc quoque apparet, cur comitati repugnet, laudare alterum ob bona corporis & fortunæ, vel etiam dotes naturales.

Digitized by Google

§. 494.

Quando iſtiusmodi laudes ſint adulationis ſignum.

Si quis ob bona corporis & fortunæ, vel etiam dotes naturales alterum laudat, propterea quod novit, has laudes alteri placere, quamvis earum nullitatem agnoſcat; adulator eſt. **Quodſi enim** quis agnoſcit, ob bona corporis & fortunæ, vel etiam dotes naturales neminem laudem mereri, ob ea tamen alterum laudat, propterea quod novit, hanc laudem ipſi placere; is ſciens ac volens eum laudibus immeritis cumulat. Quoniam itaque adulator eſt qui alios laudibus immeritis cumulat, quos eas non mereri probe novit (§. 892. *part. 1. Jur nat.*); ſi quis ob bona corporis & fortunæ, vel etiam dotes naturales alterum laudat, propterea quod novit, has laudes alteri placere, quamvis earum nullitatem agnoſcat, adulator eſt.

Qui alterum immeritis laudibus cumulat, propterea quod novit, has laudes ipſi placere, cum moribus acceptis alteri placere ſtudeat, adulatione ſua favorem alterius aucupatur (§. 382. *part. 2. Eth.*), qui cum tendat ad præferendum eum, cui favemus, aliis, quos amamus, in felicitate promovenda (§. 383. *part. 2. Eth.*), adulator laudibus iſtiusmodi utilitatis ſuæ cauſa benevolentiam alterius mercatur. Decipitur itaque laudis immeritæ cupidus credulitate ſua, dum quod maxime vult id maxime credit.

§. 495.

Vitium comitati in exceſſu oppoſitum.

Adulatio eſt vitium comitati oppoſitum. Qui enim alterum adulatur; eum immeritis laudibus cumulat (§. 892. *part. 1. Jur. nat.*): qui vero comes eſt, tantum tribuit laudis, quantum meretur (§. 890. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum comitas virtus ſit (§. 891. *part. 1. Jur. nat.*), adulatio vero vitium (§. 893. *part. 1. Jur. nat.*); adulatio vitium eſt comitati oppoſitum.

Oppo-

Opponitur adulatio comitati tanquam vitium in exceſſu: cum enim adulator ſciens ac volens alteri tribuat laudes immeritas & honores immeritos, cum comitatis ſit tantum tribuere laudis atque honoris alteri, quantum meretur; in exceſſu utique peccat. Exceſſus vero etiam ſpectatur in laudibus meritis, quatenus in nimium extenduntur: omne enim nimium immeritum eſt. Atque hic exceſſus potiſſimum ſpectatur in laudibus, quibus adulatores favorem eorum aucupantur, qui merito non deſtituuntur. Exceſſui huic affinis eſt is, quo meritum laudati producitur ad immerita propter affinitatem quandam. Ita ſi quis purum putum Algebraiſtam, formularum intricatarum conditorem, appellat Demonſtratorem rigidiſſimum, & ea, quæ perplexis ſuis calculis producit, quamvis a ratione abhorreant, rigoroſiſſime demonſtrata eſſe prædicat, laudem meritam ultra ſuos terminos extendit. Si enim eſſet demonſtrator rigidus, in hypotheſi, cui calculum ſuperſtruit, non aſſumeret, niſi quæ demonſtraſſet. Quæ enim ex hypotheſi nondum demonſtrata legitimo licet & operoſiſſimo calculo deducuntur, hypothetice ſaltem vera ſunt, ut nihil abſurdius affirmari poſſit, quam ſi quis contendat, ea pro veris eſſe habenda calculi fide, etſi ab omni ratione aliena deprehendantur. Habent ſe hypotheſes in gratiam calculi aſſumtæ inſtar præmiſſarum, ex quibus infertur concluſio, ut ideo hic valeant communes Logicorum regulæ, non eſſe plus certitudinis in concluſione, quam fuerat in præmiſſis, & conditionalem nihil ponere.

§. 496.

Qui adulationem vitare vult, ſollicite inquirere debet, quantum laudis is mereatur, quem laudare vult. Qui enim adulationem vitare vult, ſibi cavere debet, ne laudibus immeritis cumulet eum, quem laudare vult, ſeu ne in aliis laudandis modum excedat (§. 892. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem noſſe debet, quantum laudis mereatur is, quem laudare vult. Neceſſe igitur

Medium vitandi adulationem.

igitur eſt ut ſollicite inquirat, quantum laudis is mereatur.

Uſui hic ſunt, quæ modo de exceſſu in laudandis aliis committendo annotavimus (*not.* §. 495.). Non nego difficilem eſſe æſtimationem laudis meritæ: aſt comitas minime laudandi neceſſitatem imponit, ſi æſtimatio non fuerit in poteſtate (§. 489.). Valet hic inprimis, quod dixit *Cicero:* Nolo laudare, ne videar adulari.

§. 497.

Motivum adulationis. *Adulatores utilitatis ſuæ cauſa alios adulantur.* Adulatores enim ſcientes ac voluntes immeritis laudibus ac honoribus alios cumulant (§. 892. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum adeſſe debeat aliqua ratio, cur hoc faciant (§. 889. *Pſych. empir.*), lege autem naturæ prohibeatur adulatio (§. 893. *part. 1. Jur. nat.*), quæ unicuique ſaltem honorem, quem meretur, exhiberi laudemque meritam tribui jubet (§. 648. *part. 1. Jur. nat.*); nemo honoribus ac laudibus immeritis alios ſciens ac volens cumulare poteſt eo animo, ut ſatisfaciat obligationi ſuæ. Quoniam itaque motiva conſiſtunt in repræſentatione boni cujusdam (§. 890. *Pſych. empir.*); neceſſe eſt, ut adulator ab altero vel boni cujusdam particeps fiat, vel aliquod bonum ab eo ſperet, conſequenter alterum adulatur utilitatis cujusdam ſuæ cauſa (§. 262. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Adulator habet animum immeritas laudes honoremque immeritum tribuendi alteri, quem adulatur. Parum itaque ſollicitus eſt, utrum mereatur, nec ne. Quamvis ergo contingat, ut honorem meritum exhibeat alteri, vel laudem meritam tribuat; non tamen eandem ſpectat tanquam meritam, ſed ſaltem rationem habet voluptatis, quam alter inde percipit. Reſpectu tribuentis perinde eſt, ac ſi non mereretur, cum meritum non ingrediatur motivum tribuendi. Et vix

cave-

caveri poterit, ne honor ac laus ultra meritum extendatur. Immo quia non attenditur obligatio unicuique exhibendi honorem meritum laudemque meritam tribuendi; haud obſcure hinc colligitur fore, ut ab honorando & laudando altero prorſus ſeſe abſtineret, niſi utilitas quædam ſua contrarium ipſi perſuaderet. Ceterum cum diverſa ſint hominum de eo, quod bonum eſt, judicia, quemadmodum ex iis apparet, quæ de bonorum diverſitate juxta hominum præſertim opinionem in parte ſecunda Ethicæ docuimus, & obvia experientia confirmat; rationes quoque particulares adulationis plurimum variant. Ita conſtat, eſſe complures, qui laudant alios, ut viciſſim ab iis laudentur adulatione ſua laudem captantes, qua ad famam graſſantur, alios adulari alios ventri & gulæ inſerviendi cauſa, alios ad adulationem adduci ſpe promotionis ad officium quoddam publicum, vel fortunas ſuas augendi gratia. Quamobrem nec eadem eſt omnis adulationis turpitudo, ut ſubinde faciliorem habeat excuſationem, ſi rationem habeat magis honeſtam, veluti ſi quis invitus adulatur hominem ambitioſum, arrogantem, faſtoſum atque ſuperbum, ne fortunas ſuas ſubvertat. Deploranda omnino conditio eſt, ſi quis ad eam neceſſitatem redigitur, ut, dum ſatisfacere vult officio erga ſeipſum, ab omni vitio purgare nequeat officium erga alios. Honeſtati tamen ac prudentiæ in hoc caſu magis conveniret, verbis ambiguis temperare laudem, ambiguitate ab avaro laudis non animadvertenda, qui verba interpretatur in favorem ſui, quemadmodum ea intelligi vult, non vero quemadmodum debet. Etenim ſi ambignitas in loquendo medium eſt imprimis conſequendi finem, ad quem conſequendum obligati ſumus, eadem uti licet (§. 204. *part. 3. Jur. nat.*).

§. 498.

Quoniam adulatores utilitatis ſuæ cauſa alios adulantur (§. 497.), aſſentatores autem ſimiliter utilitatis ſuæ cauſa aſſentantur aliis (§. 205.); *aſſentatores & adulatores in eo conveniunt,* *In quonam aſſentatores & adulatores*

res conveniant. *niunt, ut nullam habeant rationem veritatis, ſed ſaltem utilitatis ſuæ cauſa ſtudeant placere alteri.* Nimirum *tam adulator, quam aſſentator benevolentiam alterius captat, ut ſe utilem ſibi in eo, quod appetit, præbeat.*

Qui omnia utilitate ſua metiuntur, ad aſſentandum & adulandum proni ſunt. Cum utilitas non ſit ratio ſufficiens juris (§. 265. *part. 1. Phil. pract. univ.*); veram originem juris naturæ non perſpicit aſſentator & adulator, qui ſibi licitum putat, quod utilitati ſuæ inſervit. Animum a virtute itaque alienum habet, quid revera ſit virtus nondum edoctus (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), aut ejus amore nondum imbutus. Hinc etiam videas homines in Jure naturæ ac philoſophia morali hoſpites ac alienos aſſentatoribus & adulatoribus ſe ſociare, turpitudinem vitii, qua famam ſuam contaminant, cujus tamen ſtudioſiſſimi ſunt, non agnoſcentes.

§. 499.

Quando adulator fiat aſſentator. *Si quis alterum adulatur, eidem quoque aſſentatur, quando is ob dicta quædam, vel facta ſua laudem appetit.* Qui enim alterum adulatur, laudibus immeritis eum cumulat, quamvis probe gnarus eas ipſi non debere (§. 892. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter lubentiſſime eidem tribuit laudem, quam maxime appetit. Quodſi ergo novit, eum ob dicta, vel facta quædam ſua laudem appetere, quaſi ea meritum laudis ac gloriæ loquantur, de iiſdem ad voluntatem ipſius loquitur, eademque in laudem ipſius vertit. Quamobrem cum eadem ſit ratio, quæ adulatorem ad adulandum & aſſentatorem ad aſſentandum permovet (§. 498.), & alteri aſſentetur, qui dicta, vel facta alterius captandæ utilitatis gratia approbat (§. 205.); ſi quis alterum adulatur, eidem quoque aſſentatur, quando is ob dicta quædam, vel facta ſua laudem appetit.

Quam-

Digitized by Google

Quamvis aſſentatio facillime accedat ad adulationem, cum utriusque motivum idem ſit, ideoque ſaltem requiratur, ut alter ob dicta, vel facta quædam ſua potiſſimum laudari velit; dantur tamen quoque adulatores ſine aſſentatione. Ecquis enim eſt, qui neſciat, multos laudibus ſummis alios ad cœlum usque extollere, quamvis nulla eorum facta ipſis nota ſint, quæ in laudem vertere poſſint, aut quæ ab aliis prædicari velint, non aliud agentes, quam ut laudandi animum & exiſtimationem ſuam alteri declarent, utut nullo fundamento nixam? Ac propterea aſſentationem ab adulatione diſtingvere voluimus (*not.* §. 205.).

§. 500.

Quod aſſentator exaggeret id, quod ad voluntatem alterius dicit.

Aſſentatio ſemper auget id, quod is, cujus ad voluntatem dicitur, vult eſſe magnum. Aſſentator enim nullam rationem habet veritatis, ſed ſaltem loquitur ad voluptatem ejus, ad cujus voluntatem dicit, quod loquitur (§. 205.), placendi nimirum ſtudio (§. 542. *Pſych. empir.*). Quoniam igitur alter vult, ut id, quod ad voluntatem ipſius dicitur, ſit magnum, ideoque aſſentator perſuaſiſſimus eſt, ſe alteri tanto majorem voluptatem creaturum & per conſequens fore, ut ipſi tanto magis placeat (§. *cit.*), quanto altius extollit id, quod is magnum eſſe vult; in eo exaggerando omnes nervos contendit. Aſſentatio igitur ſemper auget id, quod is, cujus ad voluntatem dicitur, vult eſſe magnum.

Aſſentator ſervilem habet animum (§. 213.), ideoque propriam abdicans voluntatem a voluntate alterius pendet, quam ſuam facit, quemadmodum ſervus ad voluntatem domini, non ſuam actiones ſuas componere cogitur (§. 1116. *part.* 7. *Jur. nat.*). Quodſi ergo accedat ſtudium placendi, quod ab aſſentatione nunquam abeſt, quamvis pro varietate utilitatis, qua ad aſſentandum permovetur aſſentator, varios admittat gradus (§. 205.); voluntati alterius abundantius ſatisfacere conatur.

tur. Quid ergo mirum, ſi omnes laudes, quas conquirere poteſt, profundit? Aſſentationes iſtiusmodi non raræ ſunt inter eruditos, quæ ad adulationem accedunt. Amant enim homines ambitioſi & faſtoſi aſſentationem & adulationem (§. 207.), ambitionem vero & faſtum eſſe communia eruditorum vitia in vulgus notum eſt. Quodſi ergo quis affectet inventoris gloriam, & commentum quoddam ſuum pro arduo invento venditari velit; aſſentatores, qui ipſum adulantur, ſolidiſſimis rationibus evictum eſſe aſſerunt, quod principiis precariis, vel non ſatis intellectis, ac infeliciter applicatis ſuperſtructum, immo cujus ne ipſi quidem, neque prætenſus inventor notionem ſatis diſtinctam, immo haud raro nullam habent. Dicunt, inventum eſſe prorſus divinum, quale nondum vidit orbis eruditus. Extollunt idem ſuper inventa aliorum, quibus viri ſummi ſempiternam gloriam ſibi pepererunt, aut, ſi modeſtius loqui videri velint, illud nulli horum cedere affirmant. Cumque nec ipſi, nec is, ad cujus voluntatem loquuntur, probare poſſint, quod hic pro invento præclaro haberi vult, eſſe verum, multo minus tam arduum eſſe, quantum videri volunt; utrumque gratis ſumendum eſſe contendunt, & ementita autoritate dictis abſonis & tumidis fidem facere conantur, ut hebetioribus caliginem offundant & imperitis nimiumque credulis fumum vendant. Apparet itaque, quomodo aſſentatio augeat id, quod is, ad cujus voluntatem dicitur, vult eſſe magnum. Efferimus propoſitionem præſentem verbis *Ciceronis*, ut appareat, jam dudum obſervatum eſſe hunc aſſentatorum morem: noſtrum vero erat oſtendere, cur alius eſſe nequeat. Notandum vero, aſſentationem non intra verborum ambitum contineri, ſed ad alios quoque actus externos, vultum nimirum & geſtus procedere. Ita ſi quis velit ea, quæ dicit, aliis ſuſpicienda & admiranda eſſe; aſſentatores porrectis auribus & aperto vel tantiſper ore quaſi attoniti verba loquentis excipiunt, & inclinato capite manibusque leviter elevatis, mox iterum demiſſis approbationem, oculis in ſublime elatis admirationem

Digitized by Google

nem & ore aliiſque geſtibus ad venerationem compoſitis exiſtimationem produnt. Quodſi plures fuerint præſentes, inter ſe aſpicientes ſibi mutuo annuunt, ut unanimi ipſorum conſenſu tanto ſecurius perſuadeant ei, cui aſſentantur, verba ab ipſo prolata eſſe cedro digna. Omittimus jam ea, quæ adulatio ad aſſentationem accedens ſuperaddit, & quæ diverſa perſonæ, cui aſſentandum, conditio vel permittit, vel jubet.

§. 501.

Quando id faciat quam lubentiſſime.

Quoniam aſſentatio ſemper auget id, quod is, cujus ad voluntatem dicitur, vult eſſe magnum (§. 500.); *ſi aſſentator in eo, quod ad voluntatem alterius dicitur, ipſemet ſe eidem parem, vel eodem prorſus ſuperiorem agnoſcit*, cum & ipſe propter id magnus haberi velit, *in illo exaggerando tanto lubentius nervos contendit.*

Aſſentator ſui ſimilem laudans ſeipſum laudat, laudeque delectatur, quatenus ſibi perſuadet, fore ut alii iisdem laudibus, vel etiam majoribus ſe cumulent. Iſtiusmodi autem aſſentatores cum exigua, vel etiam nulla merita, niſi commentitia, ſupra præclara virorum ſummorum merita extollant, cum contemtu aliorum etiam ſe meliorum ad nominis gloriam graſſantur. Quodſi ergo contingat, ut aliis imponatur neceſſitas contemtum ſuum vindicandi, deturque occaſio nævos eorum detegendi, quibus detectis modulo ſe ſuo eos metiri docent alii; aſſentationi & adulationi meritas dant pœnas. Torquetur enim ipſorum animus multis moleſtiis, a quibus immunes eſſe poterant, niſi alios impudenter laudando laudes proprias imprudenter ebuccinare voluiſſent. Vitia hoc habent, ut ab initio ſint dulcia, poſtea vero ſiant amara. Quodſi ergo plura concurrant, quemadmodum in præſenti caſu accidit, in quo faſtus & ſuperbia ſi non aſſentationem ſuadent, attamen eandem facilitant atque augent, mirum non eſt, ſi aſſentatio tandem efficiatur amariſſima, præſertim ſi præterea impudentia, inconſiderantia & imprudentia, ut alia taceamus,

mus, ſimul accedant. Seipſos noſcere nondum didicerunt, qui tantam turpitudinem ſibimet ipſi infligunt, ut aliis deridendi propinentur. Quemadmodum noſcentia ſui virtutum tam intellectualium, quam moralium ſtudium acre efficit; ita ejus neglectus non minus virtutes intellectuales arcet, quam vitiis fores latas pandit, & miſerrima eſt iſtiusmodi hominum, qui ſeipſos noſcere negligunt, conditio, quod nævos & vitia ſua non agnoſcant, immo ne icti quidem ſapiant, ut de iis emendandis ſerio cogitent.

§. 502.

Vitium comitati in defectu oppoſitum.

Superbia eſt vitium comitati in defectu oppoſitum. Superbus enim ſupra alios ſeſe effert (§. 888. *part.* 1. *Jur. nat.*), & per conſequens majoris fieri vult aliis. Quoniam itaque alios minoris facit, quam facere debebat, laudem quoque meritam iis non tribuit. Enimvero comis tantum unicuique laudem tribuit, quantum meretur, & per conſequens neminem vilipendet, nec ſeſe ſupra alios effert (§. 890. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum comitas ſit virtus (§. 890. *part.* 1. *Jur. nat.*), ſuperbia vero vitium (§. 889. *part.* 1. *Jur. nat.*); ſuperbia vitium eſt, comitati in defectu oppoſitum.

Superbiam eſſe vitium, vulgo agnoſcitur, cum ſuperbus multis modis diſpliceat aliis: aſt cui virtuti opponatur, non æque agnoſcunt, propterea quod plerique comitatis nullam, ſuperbiæ nonniſi confuſam habent notionem, illam plerumque cum urbanitate, ſeu civilitate confundentes, hanc ex vana affectatione præſtantiæ cujusdam æſtimantes. Quamobrem etiam accidit, ut ſuperbi ſibi non videantur, qui maxime ſunt. Variæ admodum ſunt rationes, ob quas unus ſe ſupra alios effert, iisque præſtare videri vult. Ita eruditi Dianam ſuam ſupra modum amantes ceteros ab ejus cultu alienos vili pendunt, alii, qui in aliquo ſcientiarum, vel eruditionis genere eminent, aut ſibi eminere videntur, vel volunt,

lunt, ut videantur aliis, quos in eodem inferiores judicant, præ ſe contemnunt, minime tamen agnoſcunt, ſe eſſe ſuperbos. Accedit etiam ſuperbia ad pietatem vel tacite, cujus exempla præbent Neophariſæi, qui cum rationem damnent tanquam pietati maxime inimicam, vitia a virtute ægre dividunt.

§. 503.

Superbia humilitati repugnat.

Superbus humilis eſſe nequit & contra. Etenim qui ſuperbus eſt, ſe ſupra alios effert & majoris fieri vult aliis (§. 888. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter de perfectione propria non judicat, quemadmodum debebat, facta ſua, ex quibus perfectionem propriam agnoſcit, minime ſpectans tanquam debita, nec ea, quæ circa eandem ſibi tribuenda, diſcernens ab iis, quæ fortunæ debentur, quemadmodum lege naturæ præcipitur (§. 577. *part. 1. Jur. nat.*), multo minus conſiderans ſe, quicquid boni habet, id in totum Deo datori omnis boni accepta ferre debere (§. 1208. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero qui humilis eſt verum de perfectione propria ferens judicium appetitum circa exiſtimationem ſui moderatur (§. 581. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque non plus perfectionis, nec circa eandem plus ſibi tribuit, quam veritati conſentaneum (§. 575. *part. 1. Jur. nat.*), ſollicite diſcernens, quæ fortunæ debentur ab iis, quæ ſibi debet (§. 574. *part. 1. Jur. nat.*), & quicquid boni habet, id omne Deo datori acceptum ferens (§. 1208. *part. 4. Jur. nat.*). Patet itaque ſuperbum humilem eſſe non poſſe, nec humilem eſſe poſſe ſuperbum.

Forſan non deerunt, qui exiſtimaturi ſunt, ſuperbiam tanquam vitium humilitati opponi. Enimvero cum ſuperbia tantummodo pugnet cum humilitate, quatenus ſuperbus immodice de ſe ſentit, non vero attendatur, quod ſe propterea ſupra alios efferat; ideo humilitati non ſuperbia, ſed faſtus

Digitized by Google

opponitur, tanquam vitium, quo quis plus ſibi tribuit perfe-ctionis, quam revera convenit, & circa eandem plus ſibi ſeſe debere videtur, quam veritati conſentaneum (§. 583. *part.* 1. *Jur. nat.*). Datur inter vitia nexus quidam, vi cujus unum ex altero facile ſequitur, isque in nonnullis indivulſus, ita ut poſito uno ſimul ponatur alterum; non tamen propterea eadem ſimul eidem virtuti opponuntur. Actiones enim vitiorum virtuti cuidam oppoſitorum illarum contrariæ eſſe debent, quæ ſunt virtutis.

§. 504.

Nexus ſuperbiæ cum faſtu.

Omnis ſuperbus faſtoſus eſt. Superbus enim ſe ſupra alios effert & majoris fieri vult aliis (§. 888. *part.* 1. *Jur. nat.*), ideoque de ſe non ſentit, quemadmodum debebat, vel falſum ferens de perfectione ſua judicium, quatenus exiſtimari vult ob ea, quæ exiſtimationem minime pariunt, vel perfectionem, qua gaudet, augens, vel circa eandem ſibi tribuens, quæ ſibi tribuere non debebat, omnium minime autem, quicquid boni habet, id in totum Deo datori omnis boni acceptum ferens. Enimvero qui ita de ſe ſentit faſtoſus eſt (§. 583. *part.* 1. *Jur. nat.*). Omnis itaque ſuperbus faſtoſus eſt.

Non licet propoſitionem convertere, ut omnis quoque faſtoſus dicatur ſuperbus. Quamvis enim faſtus ad ſuperbiam facile ducat, non tamen hoc ſemper contingit. Fieri nimirum poteſt, ut quis ſibi videatur, qui non eſt, vel etiam pro certo habeat, ſe alios perfectione ſua, qualiscunque tandem ſit, ſive vera, ſive apparens, antecellere, ſed acquieſcat in eo, ut ſibimet ipſi placeat, non tamen propterea ſe ſupra alios efferat eosque vili pendat. Erit igitur faſtoſus (§. 583. *part.* 1. *Jur. nat.*), non tamen ſuperbus (§. 888. *part.* 4. *Jur. nat*). Faſtoſus idemque ſuperbus eſt homo eruditus, qui ulteriores cum fecerit progreſſus, dum aliorum inventa longius produxit, ſeſe ſupra inventores effert & abjecte de iis ſen-

Digitized by Google

ſentit, minime conſiderans ſe nihil eorum, quæ fecit, facturum fuiſſe, niſi inventis aliorum uti potuiſſet eademque a fideli magiſtro edoctus fuiſſet, & falſo ſibi perſuadens ſe inventores & magiſtrum ideo acumine atque ingenii vi vincere, quia in ea incidit, ad quæ illis pervenire non fuerat datum. Prodit acuminis defectum, quod minime perſpicit, quantum aliena ſibi profuerint ad invenienda ſua & quantum in his debeat fideli inſtitutioni, quam fortunæ debet, multo minus pervidens, quo acumine & qua ingenii vi inventum fuerit erutum, de quo ipſe ne per ſomnium quidem cogitaſſet, niſi ætas ſua in ea incidiſſet tempora, quibus in apricum productum & ad inſigne faſtigium evectum fuerat. Dudum veſania iſta in ridiculo habita: natum enim hinc proverbium, nanum gigantis humeris inſiſtentem longius proſpicere. Agnoſcunt nanum, nec giganti æquiparant, qui omnia vero pretio æſtimant. Quamobrem ubi vident nanum ſeſe ſupra gigantem efferentem, eidem acclamant, quod in proverbio eſt: Nanus cum ſis, cede. Quoniam homini naturale eſt, ut quæ opinione ſua abſurda ſunt, riſum moveant (§. 743. *Pſych. empir.*); ſi ſuperbia ſua aliis ſe deridendum propinat, cum gloria ſua frui poſſet laude merita contentus, id ſibi imputet juſtas ſuperbiæ dans pœnas.

§. 505.

Superbus aliis invidet honorem ac laudem. Etenim ſuperbus ſeſe ſupra alios effert & majoris fieri vult aliis (§. 888. *part. 1. Jur. nat.*). Quodſi ergo videt alios honorem ac famam habere, qua ipſe caret, aut quam ſolus habere mallet; cum reſpectu ſui hoc malum judicet, tædium inde percipit (§. 569. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque invidia conſiſtit in tædio ex felicitate alterius percepto (§. 705. *Pſych. empir.*), honoris vero atque laudis cupidum famæque ſtudioſum honorem atque laudem ad felicitatem referre conſtat; ſuperbus honorem ac laudem aliis invidet. *Invidia ſuperbi.*

Naſcun-

Naſcuntur inde ſuperborum querelæ de honore ac laude aliis tributa, ſibi denegata, quaſi tribuatur non merentibus, ſed merentibus denegetur. Quamvis vero non omnes adeo inſaniant, ut eas apertis verbis proferant; intra ſe tamen fixas produnt, qui bene meritos, quorum quamvis dudum mortuorum fama illuſtris adhuc ſuperſtes eſt, dente canino rodunt, aut ſaltem in literis ad amicos eas non diſſimulant. Accidit etiam, ut querelæ iſtæ ipſis inſcientibus ſpe concepta imminuendi famam inviſam occludantur.

§. 506.

Quod ſuperbi aliorum laudi detrahant, exiſtimationem & famam lædant.

Quoniam ſuperbus aliis invidet honorem ac laudem (§. 505.), qui vero alteri invidet, quod bonum exiſtimat, eum bono, quo potitus eſt, indignum judicat (§. 712. *Pſych. empir.*), atque pronus eſt ad privandum alterum bono, quo fruitur, aut impediendum, quo minus obtineat, quod in ipſum conferendum (§. 716. *Pſych. empir.*); *ſuperbus honori ac laudi aliorum detrahere ſtudet* (§. 870. *part. 1. Jur. nat.*), *immo honorem & exiſtimationem atque famam alterius lædere, aut prorſus lacerare non veretur* (§. 867. *part. 1. Jur. nat.*).

Cum in honore, laude atque fama plurimum detur opinioni, quæ admodum variat; plura occurrunt exempla honori ac laudi aliorum detrahentium & honorem, exiſtimationem atque famam aliorum lædentium & lacerantium, quam putatur. Opinionum enim diverſitas diverſos peperit modos aliorum honorem ac laudem lædendi & lacerandi, eidemque detrahendi. Huc ſane referendi quoque ſunt nani, qui humeris gigantis inſiſtentes hunc contemnunt, propterea quod longius proſpiciunt (*not.* §. 504.). Nolumus proferre caſus particulares alios, cum ubivis non ſolum inter eruditos, verum etiam in infima usque plebe obvia ſint exempla. Habent enim eruditi, quos ſuperbia vexat, cum imperita plebe ea in re mores communes, immo plebeji mores in ipſis haud raro maxime conſpicui ſunt. Neque eſt quod mireris, cum faſtus

Digitized by Google

faſtus & ſuperbia ſint vitia eruditis admodum familiaria. Omnium vero maxime ſuperbiam & faſtum una cum ſtultitia produnt, ſi viros ſummos poſt fata conviriis laceſſunt, quæ absque ulla injuria in ipſos retorquentur, quamvis non alia appareat ratio, quam quod ad eandem nominis celebritatem, quam illi magno ſuo merito conſecuti ſunt, ne quidem adſpirare poſſunt, niſi prorſus deſipiant.

§. 507.

Quod alios merita laude ſuperbus ſpolient.

Similiter quoniam ſuperbus aliis invidet honorem ac laudem (§. 505.), invidus autem pronus eſt ad privandum alterum bono, quo gaudet (§. 716. *Pſych. empir.*); *ſuperbus alios merita laude ſpoliare conatur.*

Spolium hoc ſemper intenditur, quamvis malitiam infinitam terminent vires, quas quod excedit audere nequit ſuperbus. Omnium evidentiſſime hoc patet, quando exultat, ubi contingit, alterius laudem quacunque de cauſa deleri, aut ſaltem ita obſuſcari, ut pro nulla haberi poſſit. Et quoniam invidia ſuperbia concluſa cupiditatem ſpolii concitat, quæ hic de ſuperbo demonſtrantur de invidia in genere valent, qualecunque tandem ſit bonum, quod invidetur, & quæcunque fuerit invidiæ cauſa. Cum invidia naſcatur ex odio (§. 707. *Pſych. empir.*), invidus non ſemper ſuperbus eſt.

§. 508.

De amore adulationum & aſſentationum.

Superbus amat adulationem & aſſentationem. Qui enim ſuperbus eſt, ſe ſupra alios effert & majoris fieri vult aliis (§. 588. *part. 1. Jur. nat.*). Invidet aliis honorem ac laudem (§. 505.), & vult ut eidem detrahatur, immo exiſtimatio, honor & fama aliorum lædatur ac laceretur (§. 506.), eosque laude merita ſpoliare conatur (§. 507.). Quamobrem cum aſſentatores nullam habeant rationem veritatis, ſed ſaltem loquantur ad voluntatem & voluptatem (§. 205.), adula-

tores autem omni laude eum cumulent, quamvis maxime immerita (§. 892. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque faciant, quod maxime appetit; ex aſſentatione & adulatione voluptatem percipit (§. 156. *part. 2. Eth.*). Amat itaque adulationem & aſſentationem (§. 654. *Pſych. empir.*).

Poterat idem brevius oſtendi hoc modo. Omnis ſuperbus faſtoſus eſt (§. 504.). Sed faſtoſi amant adulationem & aſſentationem (§. 207.). Ergo etiam ſuperbus adulationem & aſſentationem amat.

Qui ſuperbo omnium optime ſe commendare vult, cum adulatione aſſentationem conjungere tenetur. Aſſentatio enim ſuperbo magis arridet, quam adulatio nuda Superbus vult, ut ſupra alios extollatur, nec parem ferre poteſt, multo minus ſe ſuperiorem (§. 888. *part. 1. Jur. nat.*). Aſſentator loquitur ad voluptatem & voluntatem ipſius (§. 205.) & auget id, quod ad voluntatem ipſius dictum ipſe vult eſſe magnum (§. 500.). Abundantius itaque explet cupiditatem gloriæ, qua flagrat & ardet ſuperbus, conſequenter talem ſe ipſi præbet, quales ut ſe præbeant omnes in votis maxime habet. Facile patet, aſſentatorem animum potiſſimum attendere ad id, quod ſuperbus ad voluntatem ſuam dictum vult eſſe magnum, & ad eos, quibus ſuperior haberi cupit. Neque enim ſufficit, ut augeat, quod vult eſſe magnum, verum etiam neceſſe eſt, ut in eo ſupra alios omnes evehatur, quos propterea magni faciunt, vel fecerunt alii. Demus exemplum. Si ſuperbus glorietur invento quodam ſuo; non ſufficit, ut id venditetur pro divino, quale orbis hactenus non vidit, & in quo inveſtigando induſtriam ſuam fruſtra defatigarunt viri ſummi nominis celebritatem adepti, ut ejus maxima prædicetur utilitas, qua ſcientiæ ad ſummum perfectionis gradum evehuntur, & novam quandam formam induunt; ſed comparandum quoque eſt commentum opinionis cum preclaris inventis herois cujusdam litterarii, cujus nomen ubivis terrarum

rum merito celebratur, & palma ipſi eripienda atque homini ſuperbo tradenda. Quo nimirum impudentior fuerit aſſentator, homo ſervilis animi, minime ingenui (§. 213.), eo quoque gratior eſt & aſſentatio laude quadam remuneratur, quæ in ſuperbum reflectitur. Iſtiusmodi enim laudem extorquet laus propria, quam affectat ſuperbus, ut hæc firmior videatur & imperitis facilius imponatur. Accendit hæc laus ardorem aſſentandi & ſic ſuperbus largius conſequitur quod cupiebat; aſſentator autem haud raro veram, quam habet, laudem perdit, jam per ſe intelligentibus ac bonis omnibus exoſus, quorum judicio nititur vera gloria (§. 47. *Jur. Gent.*). Quodſi quis ſuperbiat dignitatibus civilibus ac divitiis; non ſufficit dicere, quod nemo idem vitæ genus ſecutus ad tantam dignitatem tantasque opes pervenerit; ſed neceſſe eſt, ut nominentur viri, qui in eo vitæ genere eminuerunt & adhuc eminent, quibus tamen non eadem contigit, ut cum turba loquamur, felicitas. Ceterum hic quoque notandum eſt, quod de ambitioſis & faſtoſis ſupra annotavimus (*not.* §. 207.), ſuperbos non tam aſſentatores, quam aſſentationes amare. Clariſſime hoc perſpicitur ex laude, quam ſuperbus reddit aſſentatori id, quod ipſe vult eſſe magnum, exaggeranti, quæ cum in ſuperbum reflectatur, aſſentatori non redderetur, niſi ejus intereſſet, ut redderet. Ita inventa exaggeranti non tribueretur laus perſpicaciæ, niſi augeret, quod ſuperbus magnum eſſe vult.

§. 509.

Superbus alios contemnit, etiam ſe meliores. Etenim ſeſe effert ſupra alios (§. 888. *part. 1. Jur. nat.*); aliis invidet honorem ac laudem (§. 505.), & quantum in ſe eſt merita quoque laude ſpoliare conatur (§. 507.), immo non veretur aliorum laudi detrahere, & exiſtimationem atque famam lædere, aut prorſus lacerare (§. 506.). Quamobrem cum alterum contemnat, qui actibus externis declarat, alium honore ac *Superbus aliorum contemtor.*

laude indignum eſſe (§. 787. part. 1. Jur. nat.); ſuperbus alios contemnit, etiam ſe meliores.

Prodit ſuperbus maxime vitium, quo laborat, aliorum contemtu, & ſuperbia ſtatim in omnium oculos incurrit, ſi contemnit ſe longe meliores, quorum conſpicua ſunt merita, qui ex parte ipſius vel nulla ſunt, vel admodum modica. Quoniam vero non omnes eadem re ſuperbiunt, contemtus quoque variat. Ita Phariſæus pietate ſuperbiens contemnebat alios, quos ſibi pares non agnoſcebat, ac inprimis publicanum, qui in iis deficiebat, ob quæ ſeſe ſupra alios efferebat. Ita qui ſcientia, vel eruditione ſua ſuperbit, contemnit ceteros omnes, qui non ea ſcientia imbuti ſunt, vel eadem eruditione præſtant. Algebraiſta, quamvis parum utilem Reip. ac humano generi ſe præſtet, idiotas appellat viros, qui ſcientia & eruditione ſua præclare de genere humano merentur & utilem Reip. operam præſtant, quaſi vero humano generi bene conſultum foret, ſi omnes, qui ad litterarum ſtudia animum appellunt, ætatem omnem in intricatis calculis conſumerent, vel ſolius oſtentationis cauſa. Litterator contemnit Philoſophos, ridet Geometras & Aſtronomos, dives contemnit non modo pauperes, ſed minus etiam opulentos, dignitate civili præditus eadem carentem, quamvis alioquin ejusdem ſecum, immo melioris quoque conditionis. Invidia quoque ſuperbum adducit, ut alium contemnat, propterea quod carere cogitur, quo alter gaudet.

§. 510.

Gradus iſtius contemtus.

Quoniam ſuperbus alios contemnit, etiam ſe meliores (§. 509.), ſuperbia autem ſicuti vitia cetera omnia ſuos habet gradus; *contemtus* quoque *nunc major, nunc minor eſt, prouti majora, vel minora incrementa cepit ſuperbia.*

Probe hoc notandum eſt, ut contemtus in caſibus particularibus agnoſcatur, præſertim cum ſuperbus homo, ſi idem fuerit

ſuerit callidus, latenter alios contemnat, conquiſitis argumentis probabilibus, quibus aliorum merita extenuat, & vitia, quæ ipſis imputat, aliorum credulitati absque ulla ſuſpicione contrarii tanto facilius perſuadeat, ita ut vel excuſet, quæ famæ contemnendi ignominiam afflant. Accedit ad contemtum ſimulatio, quæ ideo detegenda, ut animus contemnendi pateat. Sæpius jam monuimus in caſibus particularibus caute procedendum eſſe, ne fallat de vitiis pariter ac de virtutibus aliorum judicium, eaque fini commendavimus analyſin moralem exemplorum, qualem in uſum publicum omnium optime dare poterant illi, quibus impoſita eſt neceſſitas famam ſuam adverſus eos defendendi, qui injurias dixerunt.

§. 511.

Qui gloria ſuperbit, injuriam interpretatur, quicquid eidem adverſum ab altero commiſſum opinatur. Quoniam enim ſuperbus ſeſe ſupra alios affert (§. 888. *part. 1. Jur. nat.*), ſi gloria ſuperbit, utique videri vult, ut eadem antecellat alios. Quodſi ergo alius quid committat, quod gloriæ ſuæ adverſum opinatur; eum jus ad gloriam ſibi competens violaſſe arbitratur. Quamobrem cum violatio omnis juris injuria ſit (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*); qui gloria ſuperbit, injuriam interpretatur, quicquid eidem adverſum ab altero commiſſum opinatur.

Quando ſuperbus factum alterius injuriam interpretatur.

Homines vitio dediti non veritati, ſed opinioni ſuæ accommodant judicia. Ideo qui gloria ſuperbit, de eadem non ſtatuit ex veritate, ſed ex opinione, quam de gloria fovet, & ſe gloriam mereri arbitratur, quamvis revera nullam mereatur, nec veram gloriam unquam conſecuturus ob id, ob quod magnam mereri arbitratur, & maximam eidem adjudicat aſſentator (§. 500.). Inglorius ubi invenit aſſentatorem & adulatorem laudis, quam affectat, ebuccinatorem, cujus autoritatem tantum apud omnes valere putat, quantum apud ſe, de gloria conſequenda non amplius dubitat, ſed plenus fiducia

jam habere exiſtimat (§. 804. *Pſych. empir.*). Quodſi ergo quis quidpiam committat, quod ei adverſum judicat; eum gloriæ ſuæ inſidiari arbitratur, ideoque eundem prædoni aſſimilat, cui raptores gloriæ omnino ſimiles ſunt, utpote rapientes alteri, quod ſuum eſt, aut quod ſuum fieri poterat & debebat. Aſt ſuperbus fingit rapinam, ubi nulla adeſt, & injuriam ſomniat, ubi nulla comparet. Quamprimum a veritate receditur, id quod in omni vitio fieri ſolet, omnia confunduntur, vera miſcentur falſis, & falſa cum veris: ſimul influunt in appetitum & averſationem, ut recte agere ſibi & aliis videatur, qui facit quod rectum non eſt. Dolendum vero homines eruditos, quorum eſt rationem revocare ad veritatem, morum veritatem inſuper habere, cum tamen vera laus uni virtuti debeatur, quemadmodum dudum inculcavit *Cicero*: neque enim virtutes intellectuales, quæ dicuntur, virtutis nomen participant niſi a virtute morali.

§. 512.

De vindicta ejus, qui gloria ſuperbit. Quoniam qui gloria ſuperbit injuriam interpretratur, quicquid eidem adverſum ab altero commiſſum eſſe arbitratur (§. 511.), opinione autem injuriæ ira concitatur (§. 420. *part. 2. Eth.*), quæ ad vindictam tendit (§. 422. *part. 2. Eth.*); *ſi gloria ſuperbiens putat, alterum feciſſe, quod famæ ſuæ adverſum eſt, vindictæ cupiditate flagrat*, conſequenter cum vindictæ cupidus tædium, ſeu dolorem ejus appetat, a quo ſe offenſum opinatur (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*), *tædium alteri creare ſtudet, quantum in poteſtate eſt.*

Superbia occæcat mentem, ne videat verum, nec ſuadet aliud, niſi quod a virtute alienum. Fallit igitur judicium, quod de injuria ſibi facta fert ſuperbus, & talpa cæcior cum lynce oculatior ſibi videatur, videt id quod nemo alius videre poteſt. Confidit judicio ſuo, ſi adulator ipſi aſſentatur, cujus perſpicaciam parum idoneus æſtimator ad ea porrigit, ad

quæ

Digitized by Google

quæ non extenditur. Modi vindicandi injuriam plurimum variant pro conditione perſonarum aliiſque circumſtantiis. Quemadmodum autem ſuperbus cœcus eſt in æſtimanda injuria, ita quoque in eadem vindicanda cœcutire ſolet, ut in ſcyllam incidat charybdin vitaturus.

§. 513.

Ad ſuperbiam adſcribi nequit, ſi quis diſceptare noluerit cum hominibus imperitis, præſertim moribus inconditis præditis, ſi dignitati ac ætati ipſius minime conveniat litigare cum aliis, ſi quis nemini ſua obtrudit, & ſi quæ aliæ ſunt honeſtæ cauſæ, cur controverſias detrectet. Cum enim ſuperbus ſeſe ſupra alios efferat (§. 888. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque alios vili pendat; ſiquis alios præ ſe contemnit, ſuperbia inde recte colligitur: aſt ubi iſtiusmodi contemtus abeſt, ſed alia ſunt motiva ab eodem prorſus aliena, cur quis hoc non faciat, id ad ſuperbiam adſcribi nequit. Enimvero ſi quis controverſias detrectet cum hominibus imperitis, præſertim ubi inconditis moribus fuerint præditi, ſi dignitati ac ætati ipſius minime conveniat litigare cum aliis, ſi quis ſua nemini obtrudit, conſequenter perinde ipſi fuerit, ſive alius ea approbet, ſive improbet, aut aliæ ipſi fuerint honeſtæ cauſæ, cur a controverſiis abſtineat; is alios minime contemnit, ſi vel maxime contemnat ea, quæ dicuntur (§. 787. *part. 1. Jur. nat.*), cum facta a perſonis ſint dividenda, nec verum de qualitatibus perſonæ judicium in contemtum perſonæ convertendum ſit. Patet itaque ad ſuperbiam adſcribi minime poſſe, ſi quis ob cauſas in hypotheſi propoſitionis præſentis enumeratas, vel juſtas alias detrectet controverſias.

Quando controverſiarum detrectatio non ſit ſuperbiæ ſignum.

Non deſunt illuſtria magnorum in Rep. litteraria virorum, quibus propoſitio præſens illuſtrari poterat. *Newtonus*, vir magno ſuo merito ſummus, nihil repoſuit ad ea, quæ a non-

nullis

nullis in controverſiam adducebantur ab ipſis conterraneis ſuis, multo minus curabat, quæ in locis exteris parum idonei judices de inventis aut opinionibus ipſius dicebant. Abſonum vero foret inde inferre, quod fuerit ſuperbus. Similiter *Leibnitius*, qui in omni ſcientiarum & eruditionis genere, exemplo ſane rariſſimo, excelluit, quamvis non uno ſpecimine docuerit, ſe non habere animum a controverſiis alienum, ſi eæ faciant ad profectum ſcientiarum, nunquam tamen in arenam deſcendere voluit cum hominibus imperitis, aut cenſuris præcocibus gloriolam affectantibus. Hoc vero tribuendum non eſſe ſuperbiæ, vel inde patet, quod aliorum, quorum vires ipſi perſpectæ erant, induſtriam excitavit ad inventa ſua perficienda, immo ubi quædam invenerat, eos ad tentandum vires ſuas adhortatus eſt, ut eandem ſecum inventoris laudem participarent, progreſſusque ulteriores publice laudavit & ſua cum fœnore ſe recepiſſe profeſſus eſt. Immo gratus quoque prædicavit, quibus doctoribus tam vivis, quam mortuis profecerit, quamvis nemini de eo conſtaret, &, quemadmodum ex ſola Theodicæa diſcimus, aliis ultro laudem meritam tribuit. Sunt autem cauſæ complures, cur quis aliorum objectiones parum curet. Aliquas ſaltem recenſuimus in hypotheſi propoſitionis præſentis: demonſtratio autem ceteras in caſibus particularibus manifeſtat. Nititur enim hoc principio generali, quod ipſa ſuperbiæ notio inſinuat, ad ſuperbiam adſcribendam non eſſe detrectationem controverſiæ, niſi ortum trahat ex contemtu aliorum. Quemadmodum vero nihil eſt tam conforme rationi, quo non abutantur homines de prætextu ſolliciti; ita quoque fieri poteſt, ut ſuperbiæ in detrectandis controverſiis juſtas cauſas obtendant. Aſt ſi quis in caſibus particularibus circumſtantias accurate ponderet, haud quaquam difficile erit ſimulationem detegere. Ceterum hoc quoque obſervandum eſt vi libertatis naturalis, quæ hominem in actionibus ſuis independentem facit a voluntate alterius (§. 152. *part. 1. Jur. nat.*), unius cujusque arbitrio relinquendum eſſe, utrum ad objectiones reſpondere velit,

velit, nec ne, & quodnam earum ſtatuat pretium. Abſurdum itaque eſt, ſi quis ſe contemni queratur, ubi alter ſerram contentionis cum ipſo reciprocare nolit. Equidem in Rep. litteraria nulla habetur ratio dignitatum civilium, ſed ſolius veritatis, quæ a dignitate civili minime dependet, & hactenus eruditi omnes æquales ſunt; hoc tamen non obſtat, quo minus in caſibus particularibus dignitati alicujus parum conveniat litigare cum aliis & cur ſubinde alii quoque nomini ejus parcere debeant.

§. 514.

Qui ad officium publicum evectus ſuperbit, abſurdus eſt. Etenim in Rep. officium aliquod publicum nemini conferri debet, niſi qui habilis eſt (§. 890. *part. 8. Jur. nat.*), nec id ambire licet niſi ei qui habilis eſt (§. 895. *part. 8. Jur. nat.*), neque eodem dignus eſt, niſi qui habilis fuerit (§. 896. *part. 8. Jur. nat.*), conſequenter cui non ſolum ſunt vires ſufficientes, ut eodem recte fungatur, verum etiam conſtans & perpetua voluntas eſt eodem recte fungendi (§. 889. *part. 4. Jur. nat.*). Quoniam itaque civis quilibet actiones ſuas dirigere debet ad ſalutem Reip. (§. 1084. *part. 8. Jur. nat.*), & in iis ſpectare, ut proſit civibus (§. 1085. *part. 8. Jur. nat.*), immo Reip. obligetur ad bonum publicum promovendum (§. 28. *part. 8. Jur. nat.*); qui ad officium quoddam publicum evectus, eodem recte fungi debet in utilitatem Reip. & ad hoc ſeſe obligavit, cum id in ipſum conferretur (§. 901. *part. 8. Jur. nat.*). Quodſi ergo officio ſuo rite fungatur, laudem quidem ac honorem meretur ab aliis (§. 761. *part. 8. Jur. nat.*), ipſe tamen quod facit aliter ſpectare nequit tanquam debitum. Fecit nimirum id, ad quod Reip. jam obligatione generali devinctus erat, & ad quod ſe inſuper obligatione ſpeciali obſtrinxit. Quemadmodum vero abſurdum eſt glo-

De abſurditate ſuperbiæ, ſi quis ad munus præclarum evehitur.

riari de eo, quod fecerimus, quæ non ſine juſtâ animadverſione omitti poterant; ita multo magis abſurdum eſt ſeſe efferre ſupra alios, quod ad hoc, vel iſtud faciendum obligati ſumus. Quamobrem cum hoc faciat, qui propterea ſuperbit, quod ad officium quoddam publicum evectus fuerit (§. 888. *part. 8. Jur. nat.*); abſurdus utique is eſt.

Qui ad officium publicum evehitur, animum ſemper attendere tenetur ad ea, quæ ipſi facienda ſunt, ut eodem cum laude fungatur, atque habilitatis ſuæ convincatur. Fructus eſt acquieſcentia in ſeipſo (§. 749. *Pſych. empir.*) & veri nominis gloria (§. 769. *Pſych. empir.*), quæ illam alit. Eodem vero accenditur ardor officio ſuo ita fungendi, ne ulla ex parte in ſe deſiderari patiatur induſtriam ſuam, idemque felicitatis noſtræ pars eſt, cum conſiſtat in vera voluptate, qua animus perfunditur. Enimvero ſi quis inde animum avertit, & dignitatem ſaltem reſpicit, quæ officio publico tanquam præmium meriti in Remp. adhæret (§. 768. *part. 8. Jur. nat.*), & voluptatem, quam percipit, cum iſta commutat, immo adminiſtrationem officii inſtar oneris conſiderans ex ea moleſtiam capiit; ecquis eum æqua lance omnia ponderans non dixerit abſurdum? Quemadmodum vero vitium unum gignit alia, ita quoque ſuperbia iſta aliorum vitiorum genetrix eſt. Proveniunt inde luxus, defraudationes, oſtentatio, contemtus aliorum etiam ſe meliorum & quæ ſunt alias ejusdem farinæ. Produnt ſuperbi ſuperbiam ſuam vultu, inceſſu, veſtitu aliisque rebus ad pompam compoſitis, quaſi omnes eum, qui ſibi magnus videtur, conſpicientes ſplendore ipſius perculſi neſcio in quam venerabundam admirationem rapi debeant, dum riſum movet naſutioribus & ſe exoſum reddit peritis ac bonis. Haud fallax vero plerumque ſignum eſt ridicula iſtiusmodi ſuperbia exiguorum meritorum, cum arguat judicii defectum, virtutis & morum cultiorum carentiam. Sunt etiam ut plurimum hac labe infecti, quos fortuna cœca præter omnem ſpem & expectationem ad dignitatem evexit, quam rite æſtimare non didicerunt.

§. 505.

§. 515.

Nudis titulis ſuperbire, ſtultitia ſumma eſt. Tituli alii denotant dignitates civiles, &, ſi nudi fuerint, nulli officio publico adhærent; alii vero conſuetudine privatorum hominum introducti ad ſignificandum, quod magni alium faciamus, atque horum prima origo plerumque eſt adulatio, nec quicquam per ſe ſignificant, niſi quod opinione turbæ is, cui tribuitur, majoris exiſtimetur, aut par aliis. Qui titulis nudis ſuperbiunt, propter eos ſeſe ſupra alios efferunt, & ſe ſuperioribus pares eſſe exiſtimant. Quodſi vero quæſiveris, quænam ſint eorum merita, ob quæ aliis præferendi; nulla adeſſe apparet, cur magni fieri velint ab aliis, pro ratione unice ſtat eorum voluntas. Stultitiæ eſt per præcipitantiam ſtatuere de mediis (§. 458. *part. 4. Eth.*). Qui titulis ſuperbit tanquam finem intendit, ut magnus videatur aliis, & medium eligit titulos, qui vel per ſe nihil ſignificant, vel reſpectu ipſius termini inanes ſunt, conſequenter ob nihil magnus haberi vult, ideoque major præcipitantia in eligendo medio ne fingi quidem poteſt. Nudis itaque titulis ſuperbire ſtultitia ſumma eſt.

De iis, qui nudis titulis ſuperbiunt.

Veræ exiſtimationi veroque honori nihil magis adverſatur, quam ſuperbia, quam nudi tituli alunt, multorum malorum fomes. Titulomania noſtro ſeculo Germanos inprimis vexat, ſive ſpectes eos, qui præcellentiam quandam civilem denotant, ſive illos, quos turbæ opinio ad honorandum alios invexit. Nemo ſtatu ſuo contentus eſt, ſed majorem dignitatem affectat, quam eidem convenit, & ubi titulum quendam venalem haud raro ære alieno emit, ſibi jam videtur is, qui officio fungitur, cui adhærens dignitas iſto titulo effertur. Ceterorum vero titulorum adeo avidi ſunt, ut vix vocabula reperire liceat, quibus ambitionem ipſorum ſaties. Quamvis in aliis imitentur Gallos, in hoc tamen a moribus ipſorum

quam longiſſime recedunt. Superbia vero iſta luxum peperit, quo non ſolum opes ſuas profundunt, ſed æs quoque alienum turpiter conſumunt peſtes Reip. de qua bene mereri debebant, ut titulis iſtis ſe redderent dignos (§. 764. 768. *part. 8. Jur. nat.*). Aſt potius omnes ſuas cogitationes in defraudationes convertunt, quam ut ſolliciti ſint, quomodo de Rep. bene mereantur.

§. 516.

De abſurditate veſtitu ſuperbientium.

Veſtitu ſuperbire ridiculum eſt. Qui veſtitu ſuperbit, ſe alios antecellere opinatur, quod ſplendidiore ac ſumtuoſiore veſte indutus incedat (§. 888. *part. 1. Jur. nat.*), quaſi alii inde colligere debeant, quod vel dignitate emineat, vel divitiis abundet, vel neſcio qua præcellentia gaudeat. Enimvero cum facta ex virtutibus intellectualibus & moralibus profecta hominem exiſtimatione, honore ac laude dignum probent (§. 552. *part. 1. Jur. nat.*); quid abſurdius fingi poteſt, quam velle, ut veſtitus ſplendidus & ſumtuoſus probare debeat meritum exiſtimationis, honoris atque laudis? Quoniam itaque ea riſum movent, quæ opinione noſtra abſurda ſunt (§. 743. *Pſych. empir.*); veſtitu ſuperbire omnino ridiculum eſt.

Equidem non multo acumine opus eſt, ut abſurditatem hominum veſtitu ſuperbientium videas; non tamen ideo eandem ſilentio præterire fas eſt. Sufficit dari adeo multos, qui in re manifeſta cœcutiunt, &, cum plerique homines vivant ad ſimilitudinem aliorum, alios exemplo ſuo ad eandem ſtultitiam adducunt. Fœminæ, quarum imbecille eſt judicium, & quibus non alius relictus videtur modus præcellentiam ſuam oſtentandi, ridicula hæc ſuperbia familiaris eſt, iisdemque facilius condonanda, quam viris, quibus ſeſe factis ſuis commendandi occaſio nunquam deeſt, in quocunque tandem vitæ genere perſonam ſibi impoſitam recte gerere debent, & quorum eſt ad ſaniorem mentem revocare fœminas, ut abſurdita-

Digitized by Google

ditatem agnoſcant. Omnium minime vero tam inſulſa opinio ferenda in viris, qui, cum officio publico fungantur, operam dare debent, ut præclaris meritis emineant & alios antecellant, ſi propter dignitatem, quæ officio adhæret, ſuperbientes (§. 514.), ſuperbiæ ſuæ abſurditatem hac ſtoliditate augent. Plurimum autem refert eam agnoſci, cum ſuperbia tunc comitem habeat luxum, opum tam propriarum, quam proh dolor! alienarum depopulatorem. Triſtia indies exempla docent, quantum noceat ſtolida hæc ſuperbia, noſtris diebus indies magis magisque invaleſcente luxu. Notandum vero eſt, aliud eſſe veſtitu ſuperbire, aliud vero veſtitum accommodare ad opinionem communem, quam ut inviti ſequamur neceſſitas quædam urget. Cavetur enim in hoc caſu, ne ſumtus excedant modum facultatum ſuarum, & ne æs alienum vanitatis cauſa contrahatur. Veſtitu ſuperbiens prodit ſuperbiam ſuam vultu, geſtu, inceſſu, verbis & factis, & veſtitu ſumtuoſiore antecellere ſtudet alios imitatus luxum eorum, qui dignitate ſupra ipſum eminent, ut facile a quovis agnoſcatur. Magna autem in hiſce differentia eſt, cum pro morum diverſitate, tum pro varietate circumſtantiarum. Stultitia hominum in infinitum variat, ut in eodem vitio ſibi mutuo reddantur diſſimiles. Ceterum quæ de veſtitu diximus, de rebus quoque ſumtuoſis aliis ad oſtentationem compoſitis intelliguntur.

§. 517.

Cur ſuperbi Deo & hominibus exoſi ſint.

Superbi Deo ac hominibus exoſi ſunt. Duo hic diſtingvendi ſunt caſus. Aut enim homo ſuperbus ſeſe effert ſupra alios ob quædam animi, corporis vel fortunæ bona, aut ob alia, quæ opinione turbæ præcellentiam quandam ſignificant, quales ſunt tituli & veſtitus ſumtuoſus. Quoniam homo, quicquid natura habet boni & quicquid quomodocunque acquirit, Deo datori in totum acceptum ferre (§. 1208. *part.* 1. *Jur. nat.*) & propterea Deum celebrare debet (§. 1209. *part.*

1. Jur. nat.); ſi ſeſe propter bona animi, vel corporis, aut fortunæ extollit, honorem ac laudem Deo competentem ſibi arrogat: id quod voluntati divinæ adverſatur (§. 1261. *part. 1. Jur. nat.*). Qui præcedentiam affectat, quæ in ſe nulla eſt, ſed turbæ opinione ſaltem videtur quod non eſt; de vera laude, qua ſe dignum reddere debet (§. 546. *part. 1. Jur. nat.*), parum cogitat, denuo contra voluntatem divinam (§. 284. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Et quoniam ſtatu ſuo contentus non eſt, ſed ſibimet ipſi imponere vult perſonam, quam ſi non gerat, tamen mentiatur, Deo autem competit jus nobis imponendi perſonam, quam in hoc mundo gerere debemus (§. 413. *part. 3. Eth.*); in jus Dei involat, conſequenter in ipſum injurius eſt (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum Deo odium tribuatur, quatenus Deus averſatur, quod ſibi diſplicet in homine (§. 239. 221. *part. 2. Theol. nat.*); ſuperbos in utroque caſu odio habet, conſequenter cum exoſus dicatur, quem alter odio habet, ſuperbi Deo exoſi ſunt. *Quod erat unum.*

Quodſi jam porro ſuperbiam alicujus referamus ad homines alios; illi aut in bono profecerunt, aut parum adhuc profecerunt, aut prorſus vitiis ſunt dediti. Qui in bono profecerunt, exiſtimationem veram laudemque veram, qua nos dignos reddere debemus (§. 545. 546. *part. 1. Jur. nat.*), a ſpuria diſcernunt, qua in vanitatem abutuntur ſuperbi, quæque ipſis maxime diſplicet (§. 569. 542. *Pſych. empir.*). Cumque vitium odio habeant (§. 368. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ſuperbiam quoque oderunt (§. 502.), & quia humilitate delectantur (§. 581. *part. 1. Jur. nat.* & §. 351. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ſuperbia, quæ eidem repugnat (§. 503.), ipſis diſplicet. Quoniam vero ſuperbus alios vili pendet atque contemnit (§. 888. *part. 1. Jur. nat.*), & per ſe patet, contemtum ſui

ſui nemini placere, maxime autem diſplicere iis, qui in virtute parum adhuc profecerunt, aut prorſus vitiis dediti ſunt, odium autem concitatur, quando in altero obſervamus, quod nobis diſplicet (§. 674. *Pſych. empir.);* ſuperbus odium omnium non modo bonorum, verum etiam malorum, & eorum, qui in virtute nondum multum profecerunt, in ſe concitat. Quoniam itaque nobis exoſus eſt is, quem odio habemus; ſuperbus omnis hominibus exoſus eſt. *Quod erat alterum.*

Quantum Deo diſpliceat ſuperbia, cum ſcriptura ſacra abunde docet, tum fata ſuperborum, quæ ad providentiam divinam referenda (§. 930. *part. 1. Theol. nat.*), idem confirmant. Dudum obſervatum eſt, ſuperbos tolli in altum, ut lapſu graviore ruant. Exempla plurima occurrunt in Annalibus & obvia experientia nova indies in medium profert. Ita videas eruditos ſuperbos, qui ſupra omnes ſeſe efferunt omnesque alios contemnunt, famæ, quam affectant, maxime ſecuri, ubi firmiter ſibi perſuaſerunt, ſe in altum adeo ſublatos eſſe, ut nemo ne hiſcere quidem contra ipſos audeat, ita depexos dari, ut ne umbra quidem gloriolæ ipſis relinquatur ipſique communis fabula fiant. Videas ſimiliter ſuperbos, qui luxu præcellentiam affectant, ære alieno oppreſſos, a quo liberari nequeunt, vel in carcerem mœſtum detrudi, vel ad mendicitatem redactos miſero ſolamine in fugam conſternari. Quam exoſi hominibus ſint ſuperbi, omnium optime cernitur, quando ſuperbiæ ſuæ meritas dant pœnas: ab omnibus nimirum deridentur, nec quisquam eſt, qui ipſorum caſum doleat. Quodſi ſuperbus non prorſus deſiperet, ad vitandam ſuperbiam, quæ modo dicta ſunt, abunde ſufficerent. Sed animum avertunt ſuperbi a venturis, quæ proſpicere poterant, aut fortuna ſecunda nimium confidunt, ut ſe a lapſu ſatis tutos exiſtiment. Et quemadmodum ſuperbia, quanto major fuerit, tanto majorem judicii defectum arguit; ita non eſt quod miremur, ſi inſulſis opinionibus eandem cedant eaque audeant, quæ lapſum graviorem accelerant.

§. 518.

§. 518.

Remedium adverſus ſuperbiam dilectio Dei.

Qui Deum diligit, ſuperbiam fugit. Etenim qui Deum diligit, is facere non vult, quæ Deo diſplicent (§. 248. *part.* 3. *Eth.*), ſed ea facere ſtudet, quæ Deo placent (§. 241. *part.* 3. *Eth.*). Quamobrem cum ſuperbus Deo exoſus ſit (§. 517.), ideoque ſuperbia Deo diſpliceat (§. 676. *Pſych. empir.*); qui Deum diligit, ſuperbiam fugit.

Charitas Dei optimum adverſus ſuperbiam præſidium eſt, modo conſideres, Deum ſuperbiam odio habere. Equidem id jam in genere inde patet, quod lege naturæ, ad quam ſervandam Deus hominem obligat (§. 276. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), prohibeatur ſuperbia (§. 889. *part.* 1. *Jur. nat.*); non tamen inconſultum eſt, ut animus attendatur ad rationes ſpeciales in demonſtratione propoſitionis præcedentis in medium adductas: has enim ſi probe ponderes, quam prægnantes ſit rationes, cur Deus odio habeat ſuperbiam, clariſſime perſpicies & turpitudinem hujus vitii penitius inſpicies, atque hoc non modo dilectionem Dei firmabit, verum etiam ſuperbiam tibi exoſam reddet. Erit itaque dilectio Dei remedium efficacius adverſus ſuperbiam. Dilectio Dei cum ſuperbia minime conſiſtit. Quodſi ergo quis ſuperbus eſt, is Deum nondum diligere didicit, conſequenter animus ejus amore Dei vacuus eſt (§. 243. *part.* 3. *Eth.*), cumque Deum nondum amet, eum quoque nondum agnoſcit (§. 240. *part.* 3. *Eth.*), ſit ita quod hiſtorica quadam notitia inſtructus ſit, quæ ad agnitionem Dei minime ſufficit (§. 7. *part.* 3. *Eth.*).

§. 519.

Remedium adverſus ſuperbiam inimicitiæ vitatio.

Qui neminem ſibi inimicum reddere vult, ſuperbiam fugit. Etenim qui neminem ſibi inimicum reddere vult, ea fugit, quæ aliorum in ſe odium concitant (§. 626. *part.* 1. *Jur. nat.*). Superbus hominibus exoſus eſt (§. 517.), ideoque eorum odium in ſe concitat. Qui ergo neminem ſibi inimicum reddere vult, ſuperbiam fugit.

Super-

Superbi aut non perpendunt, ſe aliorum in ſe odia concitare, aut ea parum curant, quia ſibi perſuadent, alios ſibi nocere non poſſe: quantum vero fallantur, non ſine damno ſuo, ſed nimis ſero experiuntur. Probe igitur perpendere debent, inimicum omnem eſſe periculoſum (§. 216.), immo inimicitias miſeriam humanam parere hominesque infelices reddere (§. 241.). Superbus multos ſibi reddit inimicos, omnes nimirum, quos contemnit, &, ſi qui ſunt, quorum non intereſt, utrum is ſupra alios nonnullos ſe efferat, an minus, eorum tamen animos a ſe alienat, ut ad odium diſponantur. Cum imprudentiæ ſit alios ſibi inimicos reddere (§. 219.); imprudentiſſimus eſt ſuperbus, qui multos ſibi inimicos reddit. Quantus ſit inimicorum numerus, clariſſime perſpicitur, quando ſuperbus juſtas dat ſuperbiæ cauſas (*not.* §. 517.). Ut ergo ex alieno caſu diſcas, quid vites, exempla probe conſideranda, inprimis quæ experientia propria nobis ſuggerit. Quodſi ſuperbus ex ſuo caſu ſapere nequit, ejus morbus inſanabilis eſt. Maneat igitur infelix culpa ſua & animum torqueat moleſtiis, quamdiu vixerit: ridebunt ſaniores importunas de miſeria humana querelas hominis, qui miſeriæ ſuæ faber eſt, nec agnoſcere vult, vitia hominem reddere infelicem, nec ab infelicitate ſe liberari poſſe, niſi vitiis nuncium mittat & virtuti ſtudeat, quantumcunque ipſi faveat fortuna, quam in felicitatem ſuam vertere non didicit philoſophiæ veræ imperitus & a diſciplina Chriſti alienus.

§. 520.

Ad evitandam ſuperbiam conducit, ut ſollicite expendamus rationem, quæ nos ad ſuperbiam invitat, atque conſideremus, quod propter eam nos ſupra alios efferre non debeamus. Quoniam enim ſuperbus ſeſe ſupra alios affert, iisque major videri vult (§. 888. *part.* 1. *Jur. nat.*), neceſſe eſt ut detur aliqua ratio, ob quam melior videri vult aliis. Enimvero cum variæ ſint hominum opiniones de eo, quo alius alio præſtare cenſetur,

Remedium adverſus ſuperbiam inimicitiæ vitatio.

ſuperbia autem non tollatur, niſi agnoſcatur, qualis ſit ratio iſta, & quod minime ſufficiens ſit, ut quis ſeſe ſupra alios efferat, aliosque præ ſe contemnat; qui ſuperbiam vitare vult, ſollicite expendere tenetur rationem, quæ ipſum ad ſuperbiam invitat, atque conſiderare, quod propter eam ſeſe ſupra alios efferre nequeat.

Inſitus eſt homini natura ſenſus quidam æqualitatis naturalis omnium hominum, quem ſi fontem ſuperbiæ dixeris, a vero non aberraveris, modo notetur, inferri inde, quæ minime ſequuntur, propterea quod diſtincte non cognoſcatur. Naſcitur enim hinc opinio, quaſi alii non ſint te meliores, conſequenter non vis eſſe altero inferior. Ea igitur affectas, quæ te ipſi reddunt parem. Enimvero ſi videris eſſe adhuc alios te ſuperiores, ubi alteri par videris, mox quoque ipſis par eſſe cupis. Atque hinc ſuperbia continuo capit incrementa, contemtusque inferiorum accedit, quatenus eorum ſtatum averſatus nullum ipſi pretium ſtatuis. Aſt cum impoſſibilia, quæ agnoſcuntur, nemo appetat; ideo quoque ſuperbia reſtringitur ad certas rationes particulares, ob quas aliquis ſuperior eſſe vult, aut ſaltem non inferior aliis. Quoniam vero non deſunt ſe inferiores, contemtus eorum accedit, qui facile extenditur in contemtum illorum, qui re quadam alia præcellunt. Quoniam itaque diverſæ admodum ſunt rationes, ob quas homines ſuperbiunt; ſi ſuperbiæ abſurditatem agnoſcere volueris, neceſſe eſt ut in rationem ſuperbiæ inquiras atque conſideres, ob eandem, qualiscunque tandem fuerit, neminem ſe ſupra alios efferre poſſe, neque eadem in re inferiores contemnendos eſſe. Facile apparet, quantus aperiretur dicendorum campus, ſi rationes particulares diſcutere deberemus. Aſt huic diſcuſſioni ſuperſedere poſſumus in præſenti, cum principiorum moralium, quæ tradidimus, gnarus rationum inſufficientiam in caſu dato haud difficulter aſſequetur. Ponamus hominem eruditum excellere in aliquo ſcientiarum genere. Conſiderare is tenetur,

ſe

ſe ad tantam ſcientiam non perventurum fuiſſe, niſi fuiſſent alii, qui operam ſuam collocaſſent in iis, quæ ipſi ad ſua invenienda profuerunt, & venturos in poſterum alios, qui ad ulteriora progreſſi ipſum antecellunt. Conſiderandum præterea eſt, alios eſſe, qui in alia ſcientiarum, eruditionis aut artium genere ſe antecellunt, ac perpendendum, quinam utiliorem humano generi & Reip. operam præſtet. Tandem ſemper aſcendendum eſt ad Deum datorem omnis boni, ut pateat, nos nihil habere, quod non aliunde acceperimus, & de quo per conſequens gloriari abſurdum ſit. Si quis titulis ſuperbit, eorum conſideranda vanitas, ac probe perpendendum, niſi eidem reſpondeant merita, eos non laudem, ſed ignominiam potius parere. Si quis ſuperbit divitiis, ad animum revocanda eſt fortunæ inconſtantia, quæ ex divite facit pauperem, & inquirendum, utrum divitiis recte utamur, nec ne. Perpendendum quoque, nullam eſſe conſequentiam: Ego ſum te ditior. Ergo melior. In omni caſu inprimis conſiderandum, num perſonam nobis impoſitam recte geramus, &, ubi hoc fieri agnoſcimus, quod fecimus ſpectandum tanquam debitum, ubi contrarium apparet, cum nondum fecerimus, quod debebamus, ratio profecto nulla eſt, cur nos ſupra alios efferamus, nec habemus, de quo gloriari poſſimus. Superbia, quæ ſuperbum occœcat, aliorum oculos aperit & viſus aciem intendit, ut videant, quæ is videre nequit, & in contemtum ejus vertant. Quæ hic ſpeciminis loco ruditer ſaltem delineavimus, ſufficiunt ad excitandam attentionem eorum, qui abſurditatem ſuperbiæ in caſu particulari agnoſcere voluerint, eruntque tanto acutiores, quanto majore animi contentione verſati fuerint in analyſi morali exemplorum ſæpius jam commendata, nunquam ſatis inculcanda.

§. 521.

De honore civili metiendo.

Honos, qui in titulis aliisque actibus conſiſtit, quibus ſignificatus exiſtimationis arbitrio hominum tributus eſt, moribus receptis metiendus. Habent ſe hi tituli ceterique actus quemadmodum

 voca-

vocabula, quibus ſignificatum impoſuit arbitrium hominum. Quemadmodum itaque in ſermone obſervandus eſt communis loquendi uſus, ut ab aliis intelligaris; ita quoque in illis morem receptum ſequi fas eſt, ut alii intelligant, nos ipſis lubentiſſime traubuere honorem, quem debemus. Tribuens non alium intelligit, quam quem is meretur, ſatisfacturus officio ſuo (§. 648. *part. 1. Jur. nat.*); quomodo alter eundem interpretetur, vi libertatis naturalis ipſius judicio relinquit (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*). Honor itaque, qui in titulis aliisque actibus conſiſtit, quibus ſignificatus exiſtimationis arbitrio hominum tributus eſt, moribus receptis æſtimandus.

Meritum honoris ac laudis æſtimare difficillimum eſt, immo cum pro conditione perſonarum plurimum variet, nec fieri poteſt, ut quis omnium merita æſtimare, multo minus exacte ponderare poſſit. Moribus itaque gentium recte introducti ſunt tituli, aliique actus, quibus ſignificatus exiſtimationis tributus. Aſt hic ſignificatus non ita determinatus eſt, ſicuti vocabulorum, quibus res certæ reſpondent per ea ſignificatæ; ſed ſaltem vagus quidam, quo major, vel minor exiſtimatio indicatur, non vero certa quædam ac determinata merita indicantur, quorum notionem habet honorem deferens. Quodſi ergo fuerit comis, civili modo alterum honorans ſignificare nequit niſi animum tribuendi alteri honorem, quem meretur, ignarus licet, quantum mereatur. Quamobrem honoratus, qui ſuo ſe modulo metiri debet, eundem interpretari tenetur de eo, quem meretur: quod ubi fecerit, verendum non eſt, ne honor exhibitus ipſum reddat faſtoſum (§. 583. *part. 1. Jur. nat.*), neve ſuperbum (§. 888. *part. 1. Jur. nat.*). Hoc pacto ratio regit honorem civilem & a vanitate liberat, quæ abuſui convenit, conſequenter nec vanitati litat honorans, nec honoratus. Ille ſatisfacit officio ſuo, quantum in poteſtate eſt, cum ad ulteriora obligari non poſſit; nec hic quicquam committit, quod officio cuidam ſuo

con-

contrariatur, ſibique cavet, ne temeraria opinione ad vitia deflectat. Quodſi quæ modo dicta ſunt ſatis perpenderentur, ſubito ceſſaret titulomania, ac tituli deſinerent eſſe venales, honorque civilis non defraudaretur pretio ſuo.

CAPUT VII.

De Veracitate, Taciturnitate & Urbanitate.

§. 522.

Veracitas dirigit ſermonem legi naturæ convenienter. Etenim homo obligatur ad animi ſui ſenſa alteri ſignificanda, conſequenter ad moraliter verum loquendum (§. 150. *part. 3. Jur. nat.*), quando ſine veriloquio officio cuidam naturali, vel obligationi cuidam, qua alteri in ſingulari tenetur, ſatisfieri nequit (§. 159. *part. 3. Jur. nat.*). Qui moraliter verum loquitur, quando alteri animi ſui ſenſa indicare tenetur, verax eſt (§. 181. *part. 3. Jur. nat.*). Veracitas itaque dirigit ſermonem legi naturæ convenienter. *Quidnam ſit veracitati proprium.*

Lex naturæ dirigit omnes actiones humanas, ideoque etiam ſermonem, de quo alia præcipit, alia prohibet, quemadmodum integro capite oſtendimus (§. 148. & *ſeqq. part. 3. Jur. nat.*). Neceſſitatem hujus directionis jam alias evicimus (*not.* §. 181. *part. 3. Jur. nat.*), ut ſuperflua foret ejus repetitio. Quemadmodum vero habitus dirigendi actiones ſuas legi naturæ convenienter virtus eſt (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque peculiaris virtus requiritur pro quolibet actionum humanarum genere, de quibus peculiaria præcipit lex naturæ; ita quoque peculiaris quædam virtus eſt, quæ ſermonem dirigit. Atque hæc virtus Veracitas dicitur, a nonnullis etiam Veritas, quo nomine evitandæ ambiguitatis cauſa nos

uti nolle alias jam monuimus (*not.* §. 181. *part. 3. Jur. nat.*). Etenim veritas ineſt ſermoni veracis, cum ea denotet convenientiam ſermonis ſeu verborum cum cogitationibus noſtris (§. 150. *part. 3. Jur. nat.*); veracitas vero eſt animus, aut, ſi mavis conſtans & perpetua voluntas moraliter verum loquendi, quando alteri animi tui ſenſa ſignificare teneris (§. 159. *part. 3. Jur. nat.*). Aliud igitur eſt ſermonem tuum eſſe moraliter verum; aliud vero te habere animum moraliter verum loquendi, ut ſatisfacias obligationi tuæ.

§. 523.

Quænam addiſcenda, ut ſimus veraces.

Qui verax eſſe vult, cognoſcere tenetur, in quonam veritas moralis conſiſtat, & quandonam obligatus ſit moraliter verum loqui. Etenim veracitas exigit, ut moraliter verum loquaris, quotiescunque alteri animi tui ſenſa alteri indicare teneris (§. 159. *part. 3. Eth.*). Quoniam itaque moraliter verum loqui nequeas, niſi ſcias, quid ſit moraliter verum loqui, quod per ſe patet; ideo neceſſe eſt, ut cognoſcas, in quonam veritas moralis conſiſtat. *Quod erat unum.*

Enimvero cum nemo pro lubitu ſuo a te exigere poſſit, ut animi tui ſenſa ipſi ſignifices & dum hoc facis moraliter verum loquaris, neque ſemper arbitrii tui ſit, utrum alteri animi tui ſenſa aperire velis, nec ne; ideo neceſſe quoque eſt, ut tibi conſtet, num alter jure quodam a te exigere poſſit, ut de eo, quod quærit, animi tui ſenſa ipſi aperias, ideoque eidem ad moraliter verum dicendum obligatus ſis (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*). *Quod erat alterum.*

Nimirum non confundenda eſt veritas moralis cum veritate logica, cum logice falſum eſſe poſſit, quod moraliter verum eſt (§. 151. *part. 3. Jur. nat.*), neque ſemper fieri poteſt, ut verum logice dicas, quando ad moraliter verum dicendum obligatus es. Quando judex teſtem adhortatur, ut dicat verum, & teſtis jurato promittit, ſe veritatem dicturum; nec is vult,

ut

ut veritatem logicam dicat, nec is promittit ſe dicturum, quod logice verum eſt. Fieri nimirum poteſt, ut putet logice verum eſſe, quod tamen non eſt, veluti hoc ita factum eſſe, quemadmodum narrat, cum tamen revera ita factum non fuerit, quæcunque tandem ſit erroris ſui cauſa. Quodſi ergo contrarium ejus poſtea deprehendatur verum & ipſemet agnoſcat errorem; non tamen dici poteſt, eum falſum dixiſſe, multo minus ei perjurium imputandum. Quamvis hæc ſatis manifeſta ſint, ut ſupervacaneum videri poſſit verba de iis facere; occurrunt tamen caſus, in quibus confuſio veritatis logicæ & moralis temeraria parit de aliis judicia, vel nonnullorum etiam conſcientiam efficit ſcrupuloſam. Obligatio vero dicendi alteri verum ignorari nequit, ne limites veracitatis & taciturnitatis confundantur, nec limites veracitatis extendantur in detrimentum officiorum aliorum: id quod fieri nequit, niſi læſis virtutibus aliis in vitia quædam incautus incidas.

§. 524.

Quomodo cognoſcatur, quando ad moraliter verum loquendum obligati ſimus.

Quoniam qui verax eſſe vult, cognoſcere tenetur, quandonam obligatus ſit moraliter verum loqui (§. 523.), in Jure autem naturæ demonſtravimus, quandonam ad veriloquium obligemur (§. 159. & *ſeqq. part. 3. Jur. nat.*), quandonam ab eo abſtinendum (§. 167. & *ſeqq. part. 3. Jur. nat.*); *Qui verax eſſe vult, ex Jure naturæ addiſcere tenetur, quandonam veriloquium ſit præceptum, quandonam illicitum.* In præſenti ſufficit notaſſe, *veriloquium eſſe neceſſarium, quod exigit officium quoddam erga ſe ipſum vel alios, illicitum vero fieri, ſi officio cuidam erga ſe ipſum, vel alios repugnat.*

Patet hinc, ſi quis virtutes ceteras colit, quibus afficiorum erga ſeipſum, vel alios praxis continetur, ei in dato caſu obſcurum eſſe non poſſe, utrum alteri verum dicere debeat, nec ne. Quodſi quis alteri obligatus non eſt ad dicendum verum; tum neceſſe eſt, ut veritatem vel reticeat, vel falſum dicat.

Pri-

Digitized by Google

Prius pertinet ad taciturnitatem, quemadmodum poſthac videbimus; poſterius autem ad veracitatem, ſi dicendi neceſſitas nobis fuerit impoſita, officio nimirum quodam erga nos ipſum, vel alios urgente falſiloquium, dum arcet veriloquium. Evidens vero eſt taciturnitatem juxta veracitatem eſſe colendam, ne quicquam contra hanc committamus.

§. 525.

Quando verax logice verum loquatur.

Si veritatem logicam ſcit qui verax eſt, logice verum quoque loquitur. Verax enim moraliter verum loquitur (§. 181. *part. 3. Jur. nat.*). Sed qui moraliter verum loquitur, ejus verba cum cogitationibus ipſius conveniunt, nimirum ſi affirmat hoc eſſe verum, id etiam pro vero habet; ſi ait, ſe hoc velle, vel nolle, id etiam revera vult, vel non vult (§. 150. *part. 3. Jur. nat.*). Quoniam itaque logice verum eſt, ſi quod affirmas fuerit, quod negas non ſit (§. 505. *Log.*); ſi verax veritatem logicam ſcit, logice quoque verum loquitur.

In veracitate attenditur veritas moralis, quæ quidem a veritate logica diſtingvitur, cum eadem tamen conſiſtere poteſt. Veritas moralis conſiſtit in convenientia verborum cum cogitationibus (§. 150. *part. 3. Jur. nat.*), veritas autem logica in convenientia cogitationum cum objecto, ſeu re, de qua dicitur (§. 505. *Log.*). Quodſi ergo cogitationes tuæ conveniant cum re, de qua dicitur, verba, quæ conveniunt cum cogitationibus tuis, ſignificant quoque ea, quæ conveniunt rei, de qua dicitur. Quamobrem dum moraliter verum loqueris, logice quoque verum eſt, quod dicitur. Veritas itaque moralis non diſſentit a logica, niſi quando per errorem pro vero habes, quod falſum eſt, aut pro falſo, quod eſt verum. Notandum vero, ea, quæ dicuntur, duplici modo conſiderari poſſe, vel prout referuntur ad dicentem, vel prout referuntur ad rem, de qua dicitur. Quodſi moraliter verum loquaris, dum dicis te ita ſentire, vel hoc velle, aut nolle; revera quoque ita ſentis, vel hoc vis, aut non vis (§. 150. *part. 3. Jur. nat*), ideo-

Digitized by Google

ideoque logice verum eſt te ita ſentire, vel hoc velle, aut nolle. Aſt cum fieri poſſit, ut eſſe putes quod non eſt, aut non eſſe, quod eſt; logice falſum eſt, quod moraliter verum eſt (§. 151. *part. 3. Jur. nat.*). In ſermone igitur veritas logica ſubjectiva diſtingvenda ab objectiva, atque illa eſt, ob quam, quod dicitur, moraliter verum dicatur, ſive reſpectu objecti verum fuerit, ſive falſum.

§. 526.

Quoniam unusquisque ſibi conſcius eſt ejus, quod vult, aut non vult, nec fieri poteſt, ut ſe velle putet, quod non vult, aut nolle, quod vult, ſi vero veritatem logicam ſcit qui verax eſt, logice verum loquitur (§. 505.); *ſi qui verax eſt dicit ſe hoc velle, vel nolle, revera quoque hoc vult, vel non vult, ideoque logice verum loquitur* (§. 525. *Log.*), conſequenter cum in promiſſis promiſſor promiſſario declaret voluntatem ſuam, quid nempe huic dare vel facere velit (§. 361. *part 3 Jur. nat.*), *ſi verax quædam promittit, logice quoque verum dicit*, ſcilicet quod in præſenti habeat animum dandi, vel faciendi, quod ſe daturum, vel facturum dicit, logice verum eſt.

De veritate logica cum morali coincidente in declaratione animi ſui.

In declaratione animi ſui veritas logica a morali nunquam dividitur. Quodſi logice falſum eſt, te hoc velle, vel nolle moraliter quoque verum non loqueris, quando te velle, vel nolle dicis. Veracitas itaque maxime requiritur in promiſſis, qui unicus modus eſt, quo homines ſeſe ſibi invicem obligari poſſunt (§. 393. *part. 3. Jur. nat.*), conſequenter quo obligationes contrahuntur, ſine quibus res humanæ conſiſtere nequeunt.

§. 527.

Quoniam unusquisque ſibi quidem conſcius eſt ejus, quod de re quadam cogitat, non vero inde ſequitur, ut res

De veritate logica cum morali non

coincidente in declarandis actibus facultatis cognoſcendi. revera ſe ita habeat, quemadmodum putat, moraliter autem verum eſt, ſi quod dicitur cum cogitationibus dicentis convenit (§. 150. *part. 3. Jur. nat.*), non vero ſimul logice verum, niſi veraci veritas logica fuerit perſpecta (§. 525.); *quamvis verax ſis, non tamen inde ſequitur, ut res revera ſe habeat, quemadmodum dicis*, conſequenter *veritas logica aliunde adhuc probanda, aut, ſi probatio deficit, ob rationes alias præſumenda.*

Narras alteri factum aliquod, quod tibi narratum ab alio & quod pro vero habes. Quodſi affirmes, hoc verum eſſe; quamvis de veracitate tua nullum ſuperſit dubium, non tamen aliud hinc colligitur, quam te habere factum pro vero. Utrum vero verum ſit, nec ne, & num omnia ita ſeſe habeant, quemadmodum a te narrantur, aliunde adhuc probandum eſt. Quodſi in iis, quæ ad facultatem cognoſcitivam ſpectant, ſufficeret veritas moralis, ut quod dicitur etiam logice ſit verum, omnes errores, qui defenduntur, forent veri: quod quam ſit abſurdum, nemo eſt qui non videat. Non ſolum plurimæ dantur rationes, cur in univerſalium cognitione a vero aberretur; ſed dantur etiam haud paucæ, cur idem contingat in ſingularium, ſeu factorum cognitione (§. 615. 617. *Log.*).

§. 528.

De abſurditate eorum, qui ſe offendi putant, ſi narrationi non habetur fides. Cum ex eo, quod verax ſis, minime ſequatur, ut res revera ſe habeat, quemadmodum dicis (§. 527.); *ſi quis credere nolit, quæ narras, veracitatem tuam in dubium minime vocat*, ideoque *multo minus te pro mendace habet* (§. 182. *part. 3. Jur. nat.*), conſequenter *ratio nulla eſt, cur hoc ægre feras, ac propterea te offenſum putes* (§. 936. *part. 1. Jur. nat.*). Patet etiam, *abſurdum eſſe, ut veracitate tua confiſus prætendere velis, quod narras, pro vero haberi.*

Abſurditas hæc quamvis ſatis manifeſta ſit, dantur tamen haud pauci, qui ægerrime ferunt, ſi narrantibus non creda-

tur, aut quod narratur, vel in dubitationem adducatur, vel pro falſo declaretur. Omnium autem abſurdiſſimi ſunt, qui ſe injuria affici contendunt, ſi alii pro vero habere nolunt, quod ipſi ſtatuunt, nulla tamen ratione ſolida probare poſſunt, immo ne quidem ipſi ſatis intelligunt, quod aliis pro vero obtrudunt: quod quamvis captu non adeo difficile ſit, non inconſultum tamen videtur addere propoſitionem ſequentem.

§. 529.

Veracitas non verſatur circa veritates univerſales, ſed ſaltem circa ſingulares, ſive facta & non facta. Ut enim verax ſis, non aliud requiritur, quam ut pro vero habeas, quod te pro vero habere dicis, aut ut velis, vel nolis, quod te velle, vel nolle dicis (§. 150. *part. 3. Jur. nat.*). Enimvero ſi de veritate logica quæſtio fuerit, illud verum agnoſcitur, quod demonſtrari poteſt ſive directe, ſive indirecte (§. 544. 557. *Log.*), ideoque propterea verum non eſt, quod verum eſſe id putes. Veritates igitur univerſales non ſunt objectum veracitatis. *Quod erat unum.* *De objecto veracitatis.*

Enimvero cum præter ſingularia & univerſalia non dentur entia alia (§. 227. 230. *Ontol.*), veracitas autem circa veritates univerſales non verſatur, *per demonſtrata n. 1.* neceſſe eſt eam ſaltem verſari circa veritates ſingulares, quæ ad facta, & non facta revocari conſtat, cum tuum etiam judicium de re quadam univerſali tanquam actus intellectus ad facta referatur. *Quod erat alterum.*

Non eſt, quod excipias veracitati repugnare, ſi, qui confiteri debet, quænam ſit ipſius de hac, vel iſta re ſententia, hanc ſuam eſſe dicit, quæ non eſt. Etenim non quæritur, num hæc, vel iſta ſententia ſit vera, ſed quamnam pro vera habeat. Quæſtio igitur eſt de judicio ipſius, qui actus intellectus eſt in numerum ſingularium referendus, quæ demonſtrari neque-

Xxxx 2 unt,

Digitized by Google

unt, conſequenter ubi in ſenſum non incurrunt, nonniſi credi poſſunt. Quamobrem nimis tyronem ſapit, ſi quis ſibi perſuadet, commentum quoddam ſuum eſſe verum, quod in Acta alicujus ſocietatis ſcientiarum fuerit relatum. Ponamus enim, quod tamen poni nequit, ſocietatem quandam pro vero habere, quod pro vero haberi vult opinionis commentor, non alia hic ſpectatur veritas, quam moralis, nimirum quale ſit judicium ſocietatis de opinione iſta, inde autem colligi nequit veritas logica, quæ tam diu dubia manet, donec rationibus ſolidis fuerit evicta, ſalva autoritate ſocietatis, cujus veracitas in dubium minime revocatur. Sententiam aliquam eſſe veram & a ſocietate quadam pro vera haberi manifeſto differunt. Abſurdum itaque eſt veritati illius obtendere autoritatem ſocietatis, quæ, dum partes ſuſcipit commentoris, opinionem ejus ſuam faciens, ad probandam ſententiam ſuam perinde tenetur, ac commentor tenebatur, ſi pro vera haberi debet. Qui propter autoritatem alterius, quicunque tandem is ſit, ſententiam aliquam amplectitur, is dicere nequit eam eſſe veram, ſed ab alio quodam haberi pro vero, cujus ſcientia confidit. Quamobrem qui opinionis ſuæ commentum defenſurus provocat ad autoritatem aliorum, eo ipſo confitetur, ſeipſum neſcire, utrum verum, an falſum ſit, quod ſtatuit, ſed pro vero habere, quia approbant alii. Patet itaque credibilia a ſcibilibus eſſe diſtingvenda, quorum iſta ad veracitatem, quæ virtus moralis eſt, hæc ad ſcientiam, quæ virtus intellectualis eſt, ſpectant. Notandum vero eſt, veritates univerſales dici propoſitiones omnes, quæ demonſtrari poſſunt, conſequenter omnia ſcibilia. Quamobrem ſi dicatur, Terram moveri circa ſolem, id veritati univerſali æquipollet, quatenus nimirum is non ſenſui obvius eſt, ſed ex aliis obſervatis inferendus, ut in numerum ſcibilium referatur, & objectum ſcientiæ, non hiſtoriæ ſit.

§. 530.

§. 530.

Omnis aſſentatio veracitati repugnat. Etenim aſſentator alterius dicta & facta utilitatis captandæ cauſa approbat (§. 205.), conſequentur aliter loquitur, aliter ſentit. Quamobrem cum moraliter verum non loquatur, qui aliter loquitur, quam ſentit (§. 150. *part* 3. *Jur. nat.*); moraliter verum non loquitur, ſed potius moraliter falſum (§. 152. *part.* 3. *Jur. nat.*). Et quoniam utilitatis ſaltem ſuæ cauſa id agit, ut alter in errore perſiſtat, aut ſi de factis ſermo fuerit, in vitiis perſeveret, nemo autem id agere debet, ut alter in errore perſiſtat (§. 709. *part.* 1. *Jur. nat.*) & in vitio perſeveret (§. 713. *part.* 1. *Jur. nat.*), nec ſola utilitas ratio ſufficiens juris eſt (§. 265. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), immo nec ad finem quamvis licitum conſequendum uti licet mediis illicitis (§. 443. *part.* 1. *Eth.*); aſſentator moraliter falſum loquitur, cum nulla officii violatio aut obligatio contracta, cui aliter ſatisfieri nequit, neceſſitatem falſiloquii imponit, nec falſum non dicendo jus ullum alterius violatur. Quamobrem cum in hoc caſu falſiloquium non ſit licitum (§. 172. *part.* 3. *Jur. nat.*); omnem aſſentationem veracitati repugnare evidens eſt. *De aſſentatione veracitati adverſa.*

Aſſentator loquitur ad voluntatem & voluptatem alterius (§. 205.). Omnis itaque aſſentatio falſiloquium eſt (§. 156. *part.* 3. *Jur. nat.*). Qui omne falſiloquium pro mendacio habent, conſequenter ſalva veracitate falſiloquium dici poſſe negant; inde ſtatim inferunt, aſſentationem omnem veracitati repugnare. Enimvero cum nos oſtenderimus, dari caſus, in quibus falſiloquium licitum eſt (§. 172. *part.* 3. *Jur. nat.*); nobis adhuc oſtendendum erat, aſſentationem non eſſe caſum falſiloquii liciti. Quodſi dicas fieri poſſe, ut aſſentator quoque approbet quæ vera & recta ſunt; duo diſtingvendi ſunt caſus, aut aſſentator novit, quod vera & recta ſint, aut non novit. Si vera & recta approbat ex animi ſui ſententia, lau-

dem meritam eidem tribuit, ideoque in hoc non aſſentatur, ſi vel maxime aſſentetur in aliis. Quodſi vero in hoc etiam caſu ſaltem loquatur ad voluntatem & voluptatem alterius, non ipſa veritate permotus, ſed utilitate quadam ſua; cum animum laudem meritam tribuendi non habeat, quam parum curaret, niſi ſua intereſſet ut laudaret alterum; laudatio in aſſentationem degenerat. Cumque aſſentatores augeant id, quod is, cujus ad voluntatem dicitur, vult eſſe magnum (§. 500.); aſſentatores hoc etiam modo a veracitate diſcedunt. Si vera & recta approbant, quæ talia eſſe ignorant, evidens eſt quod non loquantur niſi ad voluntatem alterius, veritatis nullam rationem habentes, ideoque multo minus ab aſſentatione abſolvuntur. Virtus nulla alteri contraria, ſed una inter omnes concordia. Quicquid igitur virtuti contrariatur, id ad vitium adſcribendum. Patet hoc ex nuda definitionum virtutis ac vitii collatione (§. 321. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem etiam hinc patet, aſſentationem in numero vitiorum eſſe.

§. 531.

Medium vitandi aſſentationem. Quoniam omnis aſſentatio veracitati repugnat (§. 530.), conſequenter fieri non poteſt, ut qui verax eſt aſſentatorem agat; *ſi quis aſſentationem fugere velit, veracitati ſtudere tenetur.*

Non opus demum eſt, ut ſollicite inquiramus, quid nobis ſit agendum, ut ab aſſentatione nos abſtineamus. Cum enim veracitati operam dare debeamus, & ad hanc plana atque facilis via ſit, omne ſtudium convertendum in hanc virtutem, quæ non permittet, ut aſſentatio ulla ratione nobis ſeſe commendet, ideoque ab eo erimus alieni.

§. 532.

De veracitate ad ſermonem vicarium extenſa. *Ad veracitatem pertinet, ſi aliis quoque ſignis, quam verbis animi noſtri ſenſa ſignificamus.* Signa enim quæcunque, quibus eadem, quæ verbis, alteri indigitari poſſunt, verbis æquipollent

lent (§. 241. *part. 3. Jur. nat.*), conſequenter perinde eſt, ſive verbis, ſive ſignis quibuscunque aliis, alteri animi noſtri ſenſa indigitemus. Quamobrem cum verax moraliter verum loquatur, hoc eſt, verba cum cogitationibus ſuis convenientia profert (§. 150. *part. 3. Jur. nat.*), quia alteri animi ſui ſenſa indicare tenetur (§. 181. *part. 3. Jur. nat.*); ad veracitatem pertinet, ſi aliis quoque ſignis, quam verbis animi noſtri ſenſa ſignificamus.

Sermo proprie conſiſtit in verborum recitatione, quibus alteri ea, quæ cogitamus, ſignificamus. Quoniam vero verborum ſignificatus arbitrarius, idem ſignificatus, qui verbis impoſitus, ſignis quoque aliis imponi poteſt: quo facto, ſigna iſta ſubeunt vicem verborum, & eorum uſus ſermo vicarius eſt. Quodſi fingamus, homines eſſe natura mutos & inveniſſe alia ſigna ad cogitationes ſuas alteri ſignificandum apta; hoc non obſtante, veracitas foret virtus, nec in ea quicquam mutaretur. Obligationis naturalis, qua ea nititur, ratio non quærenda in ſermone, ſed in neceſſitate alteri ſignificandi animi ſui ſenſa (§. 159. *part. 3. Jur. nat.*), quæ eadem manet, quocunque tandem modo ea ſignificantur. Exemplum iſtiusmodi ſermonis vicarii eſt, quo Jonathan Davidi indicavit propoſitum Saulis ipſum interficiendi, 1. Sam. XX. Ipſa ſcriptura ſermo vicarius eſt: ſane litteræ, ex quibus componuntur vocabula ſcripta, ſigna prorſus diverſa ſunt a voce articuloſa, qua efferuntur verba.

§. 533.

Quomodo ſermo rite concipiendus.

Sermo talis non intelligitur niſi reſpectu ejus, ad quem dirigitur, reſpectu aliorum non cenſendus eſt niſi ſonus quidam ſine mente. Per ſe conſtat, ſermonem eſſe medium, quo alteri cogitationes noſtras ſignificamus, nec alio fine homines ſermone uti. Quamobrem ſi ſermo ad aliquem dirigitur, id ſaltem intenditur, ut ipſi animi noſtri ſenſa ſignificemus, non vero aliis, conſe-

quen-

quenter ſufficit, ut ipſe ſaltem eadem intelligat, ideoque verba reſpectu ſaltem ipſius habere debent ſignificatum ad cogitationes noſtras indicandum aptum. Quoniam itaque parum curamus, utrum alius, qui forte nos loquentes audit, mentem noſtram intelligat, nec ne; reſpectu ipſius loquentes ſaltem ſermonem conſideramus tanquam ſonum, qui ad nihil ſignificandum deſtinatus eſt. Sermo igitur talis non intelligitur niſi reſpectu ejus, ad quem dirigitur, reſpectu aliorum non cenſendus eſt niſi ſonus quidam ſine mente.

Equidem ſi in ſermone utamur verbis in ſignificatu communi uſui loquendi conformi, omnes intelligunt, quid dicamus, qui nos loquentes audiunt; id tamen propoſitioni præſenti non obſtat, in qua ſaltem oſtenditur, qualis ſit ſermo ex intentione loquentis: id quod multiplicem uſum habet. Ita hinc definiendum, utrum quis perſpicue, an obſcure *loquatur*. Inde etiam decidendum, num ita loqui liceat cum altero, ut, ſi tertium ſermonem noſtrum audire contingat, ille concipiat ſenſum a mente noſtra prorſus alienum. Huc etiam referendi caſus ambiguæ locutionis, ut alia taceamus.

§. 534.

An veracitati repuguet ex compacto ita loqui cum altero, ut contrarium ejus, quod dicitur, ſit intelligendum.

Quoniam ſermo talis non intelligitur, niſi reſpectu ejus, ad quem dirigitur, reſpectu ceterorum vero conſiderandus eſt tanquam ſonus quidam ſine mente (§. 533.), verax autem ſermonem ſuum ſaltem dirigit ad eum, cui animi ſui ſenſa ſignificare obligatur (§. 181. *part. 3. Jur. nat.*); *veracitati non repugnat, ut cum eo, ad quem ſermo noſter dirigitur, conveniamus, contrarium ejus, quod dicitur, eſſe intelligendum.*

Facile intelligitur, conventionis hujus non aliam eſſe rationem, quam ut caveatur, ne, ſi tertius quidam verba noſtra percipiat, mentem noſtram intelligat. Occurrunt enim caſus, in quibus hac cautione opus eſt, ſi cuidam animi noſtri ſenſa

ſenſa aperire velimus, inprimis ſi abſenti per litteras quædam ſignificanda, quæ ſcire ipſius intereſt. Oſtendimus jam alias, ſermonem noſtrum falſiloquium non eſſe, ſi falſum dicendo, vel ambigue loquendo is, cui loquimur, non concipiat mentem ab ea, quam habemus, diverſam, etiamſi hoc faciat tertius, ad quem ſermo non dirigitur (§. 223. *part. 3. Jur. nat.*), multoque minus mendacium (§. 224. 182. *part. 3. Jur. nat.*). Si veriloquium omne eſſet licitum, falſiloquium omne illicitum, veracitas nihil difficultatis haberet: aſt quoniam falſiloquia quædam licita ſunt, ideoque veracitati minime repugnant, immo potius eidem ſeſe commendant, veriloquia vero quædam illicita, utpote taciturnitati adverſa, aut virtutibus aliis contraria, accurate diſcernendum, quandonam vera loqui liceat, quandonam vero veriloquium improbetur. Nihil autem difficultatis ſupererit, ſi quis teneat ea, quæ de obligatione circa ſermonem prolixe demonſtravimus (§. 148. & *ſeqq. part. 3. Jur. nat.*). Alibi igitur ſufficienter expoſita hic repetenda non ſunt. Coincidit conventio de ſermone in ſenſu contrario intelligendo cum compacto de ſermone vicario, quod paulo ante memoravimus (*not.* §. 532.). Sermo autem iſte vicarius longe plurimis modis variari poteſt, quos circumſtantiæ datæ ingenioſis facile ſuppeditant. Veniunt in hunc cenſum cryptographiæ, quibus principia generalia inſunt ad alios ſermones vicarios producenda.

§. 535.

An veracitati contrarietur pro logice vero venditare, quod num ſit nos ignorare novimus.

Veracitati minime convenit, ut quis pro logice vero venditet, quod num logice verum ſit ſe ignorare novit. Quodſi enim quis noverit ſe ignorare, num logice verum ſit, quod pro logice vero venditat; ejus verba cum cogitationibus ſuis minime conveniunt, cum ex ejus verbis is, ad quem ſermo dirigitur, inde colligat, ipſum hoc, quod dicit, habere pro logice vero. Moraliter igitur verum non loquitur (§. 150. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum non ſupponatur, officium ali-

quod erga ſe ipſum, vel erga alios, aut etiam erga Deum exigere, ut moraliter falſum loquatur; alium in errorem adducere vult temere, nulla certe legitima cauſa. Enimvero nemo hominum aliorum animis errorem inſinuare debet (§. 708. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem nec licet pro logice vero venditare, quod num logice verum ſit nos ignorare novimus, ideoque moraliter falſum loqui in hoc caſu illicitum, conſequenter ſi de eo ſermo incidit, de eo tanquam nobis certo loqui minime debemus. Jam vero veracitas exigit, ut moraliter verum loquamur, quotiescunque alteri animi noſtri ſenſa indicare tenemur (§. 181. *part. 3. Jur. nat.*). Veracitati itaque minime convenit, ut quis pro logice vero venditet, quod num logice verum ſit ſe ignorare novit.

Moraliter verum nos minime loqui, ſi pro logice vero venditemus, quod num ſit nos ignorare novimus, palam eſt, neque in eo hærebit, qui ſaltem novit, quid moraliter verum dicatur. Enimvero cum non omne falſiloquium ſit illicitum, non eadem facilitate intelligitur, utrum iſtiusmodi locutiones veracitati contrarientur, nec ne. Quamobrem oſtendendum erat, eas per ſe veracitati minime convenire, niſi per modum exceptionis in colliſione veriloquii cum officiis quibusdam efficiantur licitæ: qui caſus omnino rariſſimus eſt. Rationes autem, cur quis pro logice vero venditet, quod num verum ſit ſe ignorare novit, duplices ſunt. Aut enim vult videri, quod ſciat, quæ neſcit, aut vult, ut alii autoritate ejus commoti pro vero habeant, quod ipſis perſuadere intendit. Hujus autem intentionis pro diverſitate circumſtantiarum variæ admodum eſſe poſſunt rationes. In caſu priore erroneam de ſe opinionem ingignere vult aliis, exiſtimationis ſui cauſa; in poſteriore alios in errorem adducere vult, quod ipſius intereſt quacunque de cauſa, ut alii errorem amplectantur. Quamvis enim fieri poſſit, ut verum ſit, quod pro vero venditatur; cum tamen is, qui id pro vero venditat, hoc ignoret, & ſe

hoc

Digitized by Google

hoc ignorare noverit, animum utique habet alteri errorem inſinuandi. Idem hic obtinet, quod de peccato conſcientia dubia agentis demonſtratum (*not.* §. 448. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Peccant hoc modo homines in Rep. litteraria novi ambitione (§. 570. *part. 1. Jur. nat.*) faſtuque ſeducti (§. 583. *part. 1. Jur. nat.*), & qui in Academiis noſtris importune ſeſe docentium numero ingerunt, aut cœca fortuna eidem adſcribuntur. Huc etiam pertinent aſſentatores, qui ad voluntatem & voluptatem aliorum loqui ſolent (§. 205.) & ſemper augere id, quod is, cujus ad voluntatem dicitur, vult eſſe magnum (§. 500.). Conſtat autem vulgo non agnoſci, quod ad vitium adſcribendum ſit, ſi quis pro vero venditet, quod num verum ſit ſe ignorare novit, aut quod ſaltem aliorum autoritate confiſus pro vero ſumit. Quamobrem cum veracitas primaria quædam virtus ſit; neceſſe omnino erat, ut id oſtenderetur, ut conſtet, quomodo ab omni labe immunis ſervetur & vitia, quæ incautis id perſuadent, intimius perſpiciantur. Qui veritatis amorem cum virtutis ſtudio conjungit, in omnimodam hujus rectitudinem omni ſollicitudine inquirit, ut intimius perſpiciat pulchritudinem, quæ eam maxime delectabilem facit & ardorem in eadem proficiendi incendit.

§. 536.

Quomodo ſe gerat verax in narrandis factis, quorum teſtis oculatus non eſt.

Quoniam qui verax eſt pro logice vero non venditat, quod num logice verum ſit ſe ignorare novit (§. 535.), quando autem de facto nobis aliter non conſtat, niſi ex relatione aliorum, cujus veritatem ſive logicam, ſive moralem ſatis perſpicere non poſſumus, veritatem logicam facti ignoramus; *Qui verax eſt, facta ab alio ſibi narrata nonniſi fide eorum recenſet, a quibus ea audivit*, conſequenter *ſi quis ea aliter narret, eidem non contradicit, fide apud autores relicta.*

Quam difficile ſit judicium de certitudine fidei, conſequenter de veritate logica factorum, de quibus nobis aliunde non con-

conſtat niſi ex relatione aliorum, præſertim ſi ad circumſtantias particulares deſcendas, ſatis patet ex iis, quæ de fidei certitudine demonſtravimus (§. 613. & *ſeqq. Log.*). Clarius vero adhuc eluceſceret hæc difficultas, ſi quæ ad fidem pertinent in Logica probabilium pro dignitate diſcuſſa proſtarent. Fides reſpicit veritatem logicam, quamvis ſupponat veritatem moralem (§. 613. *Log.* & §. 150. *part. 3. Jur. nat.*). Difficultatis hujus memor eſſe debet, qui verax eſſe vult, ideoque non deproperare judicium de veritate logica facti, quod ſibi narratum, factum quoque nudum dividere a circumſtantiis, quarum ſingulæ ſingula judicia peculiaria requirunt, quando de veritate ferendum judicium, idemque reſolvere in facta peculiaria, ſi fuerit compoſitum, ut, quod uno nomine effertur, multorum quidam complexus ſit, & judicium narrantis de facto non confundere cum facto ipſo: illud nimirum terminis generalibus enunciat, quod ad certam ſpeciem pertinet, veluti ſi quis adverſarium ſuum adeo depexum dediſſe dicitur, ut dum vivat ſemper meminerit ipſius, vel ſi quis fœdiſſima convitia vomuiſſe fertur. Quamvis veracitas potiſſimum requirat veritatem moralem (§. 181. *part. 3. Jur. nat.*); ab ea tamen non dividitur amor veritatis logicæ. Immo ſi in veritate morali nihil deſiderari debet, nec ea ullam labem contrahere culpa quadam dicentis; verax ſollicite perpendere tenetur, quidnam ſit in eo, quod putat, logice verum, aut quod logice verum putat: neque enim alias verba cum cogitationibus ejus exacte conveniunt, quemadmodum exigit veritas moralis (§. 150. *part. 3. Jur. nat.*). Apparet itaque, quænam ſollicitudo teneat animum veracis, ut hoc nomine maxime ſit dignus. Abſit autem ut exiſtimes, nos virtutem in nimias ſubtilitates extendere: habent enim ea, quæ nimis ſubtilia videntur, indiſpenſabilem uſum, quando veracitas in virtutes alias influit. Nihil nimis ſubtile videri debet, quod naturæ virtutis convenit.

§. 537.

§. 537.

Vitium veracitati oppoſitum *Mendacitatem* appellare lubet. Vulgo *Mendacium* dicitur, quemadmodum jam monuimus (§. 182. *part. 3. Jur. nat.*), cum idem definiremus. Mendacii tamen nomine etiam venit actus mentiendi, ſeu potius qualitas ejus, quod dicit mendax. Vitandæ igitur ambiguitatis cauſa, conſultius videtur habitum mentiendi, qui proprie vitium dicitur (§. 521. *part. 1. Phil. pract. univ.*), mendacitatem appellare. *Mendacitas quid ſit.*

Non ſemper proſtant vocabula, quibus abſtracta indigitantur, neque in ſermone Latino genio hujus lingvæ convenienter nova formantur tanquam termini technici in philoſophiam admittendi, præſertim ſi quis vitare velit cenſuras Litteratorum caſtitatem lingvæ Latinæ tuentium, quam autoritate ſcriptorum claſſicorum metiuntur & magis cordi habent quam veritatem, cum ex adverſo philoſophus veritatem omnibus vocabulis præferat, verba rebus aptans tanquam ſigna ſignatis, non vero res vocabulis, quod ne commode quidem ſemper, nonnunquam ne prorſus quidem fieri poteſt. Mendacitas tamen vocabulum novum non eſt; ſed eodem jam uſus *Tertullianus*, neque etiam abhorret a genio lingvæ Latinæ, cum mendacitas eodem modo derivetur a mendace, quemadmodum mendicitas a mendico, & veracitas a verace, urbanitas ab urbano.

§. 538.

Mendacitas eſt vitium veracitati oppoſitum. Mendacitas enim vitium eſt, quo moraliter falſum loquitur, qui ad moraliter verum dicendum obligatus (§. 182. *part. 3. Jur. nat.*). Enimvero veracitas virtus eſt, qua quis moraliter verum loquitur, quando alteri animi ſui ſenſa indicare tenetur (§. 181. *part. 3. Jur. nat.*). Evidens itaque eſt mendacitatem eſſe vitium oppoſitum veracitati virtuti. *Quodnam vitium veracitati opponatur.*

Legi naturæ convenienter ſermonem dirigit non modo veracitas, verum etiam taciturnitas. Quamvis itaque illa verſatur circa actiones poſitivus legi naturæ convenientes, ideoque circa ſermonem actualem, & hæc principue circa negativas, quando ſcilicet non loquendum, ſed tacendum; vitium tamen huic oppoſitum garrulitas, vi eorum, quæ deinceps demonſtrabuntur, verſatur circa actiones poſitivas, ſeu ſermonem legi naturæ minus convenientem, quando ſcilicet loquimur, cum tacendum erat. Et quoniam quoque mendacitas verſatur circa ſermonem illicitum, falſiloquia nimirum lege naturali prohibita (§. 182. *part. 3. Jur. nat.*); ideo non eſt, quod miremur, ſi quædam dentur actiones poſitivæ, ſeu locutiones, quæ alio reſpectu ad mendacitatem, alio ad garrulitatem referuntur. Quodſi ergo modos illos diverſos conſiderandi eandem locutionem cognoſcere ſtudueris; ejusdem turpitudinem intimius perſpicies, quæ utique major eſt, ſi duorum vitiorum te ſimul reum effecerit. Quamvis enim non deſint, qui nimias ſubtilitates vocaturi ſunt ea, quarum obſervatio nimis moleſta ipſis videtur; eorum tamen judicium contemnere tenetur ſtrenuus virtutis cultor, vi eorum, quæ paulo ante monuimus (*not.* §. 536.).

§. 539.

De objecto mendacitatis. Quoniam mendacitas veracitati opponitur (§. 538), veracitas autem verſatur circa veriloquium, quod exigit lex naturæ, quando alteri animi noſtri ſenſa obligare tenemur (§. 181. 162. *part. 3. Jur. nat.*), & veriloquio falſiloquium opponitur (§. 154. 156. *part. 2. Jur. nat.*); *mendacitas verſatur circa falſiloquium, quod prohibet lex naturæ, quando alteri animi noſtri ſenſa indicare obligamur.* Et quemadmodum veraci, qui legi naturæ convenienter dirigit ſermonem ſuum (§. 522.), lege naturæ permiſſum eſt falſiloquium, ſi ſine eo officio cuidam erga ſeipſum, vel erga alios, aut obligationi contractæ ſatisfieri nequit (§. 172. *part. 1. Jur. nat.*); ita *mendax*, qui contra legem naturæ dirigit ſermonem ſuum (§. 322. *part. 1.*

Phil.

Phil. pract. univ.), *a veriloquio non abſtinet, etiamſi officio cuidam erga ſeipſum, vel erga alios, aut obligationi contractæ repugnet* (§. 167. 168. *part. 3. Jur. nat.*).

Cum habitus mentiendi ſit mendacitas (§. 537.), mendacia vero ſint falſiloquia pugnantia cum obligatione, qua tenemur alteri ad animi noſtri ſenſa ſignificanda (§. 182. *part. 3. Jur. nat.*); evidens quidem eſt, objectum mendacitatis eſſe falſiloquium illicitum: aſt non æque evidens videbitur, ad idem quoque referendum eſſe veriloquium in caſu illicito, præſertim cum id potius taciturnitati, quam veracitati adverſari videatur. Enimvero quando lex naturæ præcipit, ut a veriloquio abſtineamus, & nobis falſiloquium permittit; evidens eſt ſupponi caſum, in quo nobis impoſita eſt neceſſitas quædam loquendi, veluti ſi aggreſſor furibundus ſtricto gladio perſequitur fugientem & ex te quærit, quo fugerit: aſt taciturnitas ſupponit caſum, in quo ab arbitrio tuo dependet, utrum loqui velis, nec ne. Quando lex naturæ falſiloquium facit licitum, idem veriloquio æquiparatur, cum ſalva veracitate moraliter falſum loquamur: ex adverſo itaque veriloquium mendacio æquiparandum, quando lege naturali prohibetur, & ejus loco falſiloquium permittitur. Nihil in hiſce difficultatis eſt, modo ea nobis cognita & perſpecta fuerint, quæ de veriloquio & falſiloquio demonſtravimus in parte tertia Juris naturæ, & obſervetur, æſtimationem actionum moralem non eſſe confundendam cum phyſica. Veriloquium in ſe ſive phyſice ſpectatum falſiloquium eſſe nequit, vi principii contradictionis: aſt veriloquium moraliter ſpectatum, quatenus lege naturæ efficitur illicitum, æquipollet falſiloquio prohibito, ſeu mendacio. Quam paradoxum hoc forſan videbitur nonnullis, non tamen abhorret a notionibus communibus. Neque enim infrequens eſt, ut, ſi quis verum dicat reſpondens ad quæſitum, quando verum dicere non debebat, is ab alio objurgetur, eidemque contradicatur, & in locum veriloquii falſiloquium ſignificantius ſubſtituatur.

§. 540.

§. 540.

Veriloquium quousque extendatur. *Quotiescunque loquimur, etiamſi nulla ratione ſpeciali obligemur alteri animi noſtri ſenſa declarare, ſemper verum dicendum.* Etenim ſi nulla ratione ſpeciali obligemur alteri animi noſtri ſenſa declarare, nulla loquendi neceſſitas nobis impoſita eſt (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque in arbitrio noſtro poſitum eſt, utrum loqui, an tacere, utrum hoc dicere, vel reticere velimus, conſequenter caſus non exiſtit, in quo falſiloquium permiſſum (§. 172. *part. 3. Jur. nat.*). Quoniam itaque ſermo eſt inventus, ut alteri cogitationes noſtras ſignificare poſſimus, quod per ſe patet; quotiescunque cum altero loquimur, quando nulla loquendi neceſſitas nobis impoſita, animum habemus alteri aliquid ſignificandi, quod mente tenemus, & ipſum noſſe velle præſumimus. Per ſe porro patet, neminem velle, ut falſum ſibi dicatur, conſequenter eum, cui loqueris, ſupponere, quod verum dicas. Inutilis nimirum foret omnis ſermo, niſi tu haberes animum verum dicendi & alter vellet, ut verum dicas. Quamobrem quotiescunque loquimur, etiamſi nulla ratione ſpeciali obligemur alteri animi noſtri ſenſa declarare, ſemper verum dicendum.

Oſtenditur etiam hoc modo. Qui loquitur, nulla urgente neceſſitate, ut alteri animi ſui ſenſa declaret, tacere poteſt, ſi moraliter verum loqui nolit. Enimvero qui tacere poteſt, ei moraliter falſum loqui non licet (§. 184. *part. 3. Jur. nat.*), qui vero tacere non vult, cum poſſet, is moraliter verum loqui obligatur (§. 185. *part 3. Jur. nat.*). Semper igitur dicendum verum, quotiescunque loquimur, etiamſi nulla ratione ſpeciali obligemur alteri animi noſtri ſenſa declarare.

Dantur caſus, in quibus obligamur alteri animi noſtri ſenſa declarare, veluti in omnibus pactis & in promiſſis eorumque acceptatione, iisdemque in dationibus gratuitis, & omnibus aliis

Digitized by Google

aliis quibuscunque vitæ negotiis. In hiſce caſibus omnibus non modo phyſica neceſſitas moraliter verum loquendi patet, verum etiam moralis non minus manifeſta eſt, cum ſermo requiratur ad exercitium officiorum erga ſe invicem, ut homo homini ſe præbeat utilem. Dantur vero etiam caſus, in quibus non obligamur alteri ſignificare, quidnam mente teneamus, aut animo volvamus, veluti ſi alteri narramus, quid viderimus, vel audiverimus, aut quid facere velimus, vel nolimus. Atque tunc nulla ratio eſt, cur alteri falſum dicere debeamus. Quodſi enim tua interſit, ne verum dicas, tacere potes; ſi interſit alterius, ne id norit, tacere itidem potes, neque opus eſt in utroque caſu, ut dicas falſum, quod non permiſſum niſi per modum exceptionis in officiorum colliſione, quando v. gr. vel dicendum verum & non præcavendum alterius damnum, aut non avertendum periculum præſens, vel hoc faciendum & verum non dicendum, ſed falſum. Quodſi vis narrare alteri, quid videris vel audiveris, quid de hac, vel iſta re ſentias, quid facere nolis, vel velis; abſurdum utique eſt dicere falſum, nec concipi poteſt te id velle ſine animo illudendi, quem cum lege naturæ pugnare quivis facile intelligit, cum nemo velit ſibi illudi ab altero, ſed hoc ægre ferat. Quamvis itaque aliquando (id quod tamen rarius contingit) falſiloquium licitum ſit ac permittatur; manet tamen regula, verum ſemper eſſe dicendum, niſi unico iſto caſu excepto.

§. 541.

De voluntate veracis ſemper verum dicendi.

Quoniam ſemper verum dicendum, quotieſcunque loquimur, etiamſi nulla ratione ſpeciali obligemur alteri animi noſtri ſenſa declarare (§. 540.), qui vero verax eſt moraliter verum loquitur, quotieſcunque alteri animi ſui ſenſa indicare tenetur (§. 181. *part. 3. Jur. nat.*); *verax etiam moraliter verum loquitur, quando nulla ratione ſpeciali alteri obligatur dicere, quid cogitet, ſeu quid mente teneat, aut animo voluat.*

Aſt quoniam ſaltem moraliter verum loquitur, *ea quæ dicuntur, ad veritatem logicam non extendenda, niſi quando veritas logica a morali dividi nequit* (§. 526.).

Si verax narrat, quæ vidit, vel audivit, verum eſt, quod hoc viderit, vel audiverit: an vero omnia ſe ita habeant, quemadmodum narrat, vel num hoc revera factum ſit, quod narrari ab aliis audivit, inde colligi nequit, quod verba conveniant cum cogitationibus ſuis, nec ſint a mente ejus diverſa, conſequenter quod moraliter verum loquatur. Qui ergo dictis ejus fidem habet, non aliter ea accipit, quam quod narrans putet, rem ita ſeſe habere, quemadmodum narrat, vel quod hoc ab aliis audiverit. Quid credendum ſit, ex iis dijudicandum, quæ de certitudine fidei ex parte inprimis facultatis cognoſcitivæ tenenda. Hæc igitur probe tenenda ſunt, tum ne nimium credulus ſis, nocet enim haud raro credulitas, tum ne contra diſſentientes pertinaciter defendas, quod tibi narratum, tum ne veracitas narrantis ſuſpecta tibi fiat, ſi contrarium deprehendatur verum. Quamvis narrans contendat, logice verum eſſe quod dicit; inde tamen ſalva veracitate non aliud colligitur, quam quod pro certo habeat, verum eſſe quod dicit, nec quicquam de veritate ejus logica dubitet. Falluntur haud raro homines, nec ſe deceptos putant; non tamen propterea habent animum fallendi alios, ſeu falſa aliis perſuadendi. Ceterum etſi parum aut nihil referat, utrum quod dicit alter pro logice vero habeatur, nec ne; non tamen parum intereſſe exiſtimandum eſt, ſive moraliter verum, ſive falſum dicatur. Moralis enim veritas cum ad virtutem pertineat, ex utilitate ejus, quod pro vero habetur, æſtimanda non eſt. Etiam in minimis peccare haud quaquam leve eſt. Virtus omnis requirit voluntatis perpetuitatem (§. 328. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Perpetuitati autem repugnat, ut verum non dicas, quando verum dicere debes. Taceo, quod in minimis peccando contrahatur habitus peccandi, qui ad ea, quæ majoris ſunt momenti, continuo extenditur. Ideo dudum

obſer-

obſervatum eſt, malos in parvo incipere, in magno, immo maximo, niſi malitiæ obex ponatur, deſinere. Neque hoc mirum eſt, animus enim peccandi idem eſt tam in parvo, quam in magno, quamvis motivum & ejus efficacia variet. Atque hoc non minus de virtute quacunque alia, quam de veracitate tenendum. Semper eſſe debemus memores, virtutis cultori ne latum quidem ungvem unquam a lege naturæ diſcedendum eſſe.

§. 542.

Similiter quoniam ſemper verum dicendum quotiescunque loquimur, etiamſi nulla ratione ſpeciali obligamur alteri animi noſtri ſenſa declarare (§. 540), conſequenter quando tacere poteramus, qui vero moraliter falſum loquitur, cum tacere poſſet, mentitur (§. 186. *part. 3. Jur. nat.*); *omne falſiloquium mendacium eſt, quando quis cum altero loquitur, cui declarare nulla ratione ſpeciali obligatur, quid de re quadam novit, aut quid animo volvat*, conſequenter *omnis ſermo moraliter falſus mendacium eſt, quem vitare poteramus, aut declinare.* *De mendacio in ſermone communi.*

Colloquuntur homines in congreſſibus & converſatione & ferente occaſione quacunque, etiamſi nullum inter ipſos negotium geratur, ideoque cum neutrius intereſt ut norit, quid alter noverit, vel de re quadam ſentiat, aut quid animo volvat. Tunc nobis nullam impoſitam eſſe neceſſitatem de hac, vel iſta re, aut de eo, quod facere nobis propoſuimus, loquendi patet. Quodſi itaque veritatem alteri dicere nolimus, tacere poſſumus, immo etiam non uno modo declinare ſermonem, ſi vel maxime occaſio nos ad eundem invitet. Nulla igitur ratio eſt, cur falſum dicere teneamur, conſequenter cur velimus, ut alter pro vero habeat, quod non eſt (§. 179. 180. *part. 3. Jur. nat.*), ideoque eum fallere intendamus (§. 330. *part. 3. Jur. nat.*). Quamvis ſi quod dicitur exigui, vel nullius momenti appareat, ideoque parum referre videatur, utrum ab altero pro vero

 habea-

habeatur, nec ne; vi tamen imperſcrutabilis rerum nexus contingere poteſt, ut inde proveniant mala, & per conſequens fallendi animus pro re levicula non eſt habendus. Et revera quoque ſibi nocet, qui mendacia iſta tam parvi facit, cum mentiendi habitu contracto in rebus quoque arduis mendax ſit, & unicuique diſpliceant iſtiusmodi quoque mendacia. Confer ea, quæ ad propoſitionem præcedentem modo annotavimus (*not.* §. 541.).

§. 543.

An id pugnet cum obligatione noſtra. Denique quoniam verum ſemper dicere obligamur, quotiescunque loquimur, etiamſi nulla ratione ſpeciali alteri animi noſtri ſenſa declarare debemus (§. 540.); *falſiloquium pugnat cum obligatione noſtra, etiamſi ei, cum quo loquimur, nulla ratione ſpeciali obligemur, animi noſtri ſenſa declarare.* Immo cum nemo velit ſibi falſa dici, quod per ſe patet, & per conſequens quando quis cum altero loquitur, is utique velit, alterum dicere verum, hic vero ad dicendum verum naturaliter obligetur (§. cit.); *inter colloqnentes tacitum quoddam pactum intercedit de dicendo vero* (§. 791. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter *falſiloquium quoque cum obligatione contracta pugnat.*

Propoſitio præſens probe notanda, ne difficultas naſcatur ex eo, quod mendacium diximus falſiloquium pugnans cum obligatione, qua tenemur alteri ad animi noſtri ſenſa ſignificanda (§. 182. *part.* 3. *Jur. nat.*). Nimirum obligatio iſta naſcitur vel ex re, de qua verba fiunt, veluti ſi cum altero contrahendum, aut ſi famulus juſſa domini facere debet, vel ex ipſo propoſito cum altero colloquendi, aut ipſi ſponte ſua quidpiam dicendi. In caſu priori ſpecialis quædam obligatio eſt alteri animi ſui ſenſa declarandi; in poſteriori ſpecialis iſtiusmodi abeſt, cum tacere poſſes, aut reticere, quod dicis, adeſt tamen generalis, quæ in utroque caſu locum habet. Sane ubi nulla ſupponitur obligatio, ibi moraliter poſſibile eſt, quodcun-

cunque phyſice poſſibile, conſequenter in caſu ſermonis tam verum, quam falſum dicere æque licet, prouti libuerit. Quamvis vero ſubinde obligatio in abſcondito lateat, ut non ſtatim appareat; propterea tamen in dubium minime vocanda, multo minus præfracte neganda. Ceterum in eo caſu, quo falſiloquium licitum, veriloquium pugnat cum obligatione naturali (§. 166. 168. 172. *part. 3. Jur. nat.*), in ſe prorſus immutabili (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quæ ſemper anterior concipitur obligatione dicendi verum, conſequenter exceptionem facit, ut obligatio naturalis ceſſet, nec pacto tacito locum facit, ut aliqua contrahi poſſit. Patet itaque, quod in Jure naturæ omnia ſint conſona, modo intime perſpiciantur, nec judicia præcipitentur, quemadmodum facere ſolent qui carpendi animo aciem mentis, qua ſibi nondum ſatis acuti blandiuntur, oſtentare ſolent.

§. 544.

Quod omnis defraudator ſit mendax.

Qui faudem conſilii committit, mendax eſt. Qui enim fraudem conſilii committit, ſciens ac volens alteri damnum affert inſcio, cum quo ipſi negotium eſt (§. 147. *part. 5. Jur. nat.*), conſequenter cui ad dicendum verum obligabatur (§. 148. *part. 5. Jur. nat.*). Alterum nimirum defraudaturus aut falſum expreſſis verbis dicit, aut ipſo facto contrariam menti ſuæ opinionem inſinuat. Quamobrem cum omne falſiloquium mendacium ſit, quando alteri animi noſtri ſenſa indicare tenemur (§. 182. *part. 3. Jur. nat.*); qui fraudem conſilii committit mendax eſt.

Mentem noſtram aliis declarare poſſumus tam verbis, quam factis, ſive poſitivis, ſive privativis, & declaratio factis facta ſermoni aquipollet, conſequenter ſi facto vel non facto noſtro alteri inſinuamus opinionem menti noſtræ contrariam, vel animo, id falſiloquio æquipollet, neque enim ſermo talis habetur niſi quatenus aptus ad ſignificandum alteri cogitatio-

 nes

nes noſtras (*not.* §. 532.). Si tibi cum altero negotium eſt, eum non præſumis defraudatorem, ſed potius honeſtum, qui habet animum a defraudatione alienum. Sive igitur expreſſe falſa dicat defraudandi animo, ſive reticeat, quæ dicenda erant, aut quaſi bona fide tecum ſe agere ſimulet, unum idemque eſt, cum in utroque caſu te inducat in eam opinionem, quaſi bona fide tecum agat, ideoque menti ſuæ adverſam. Quare qui a mendacio abhorret, ejus quoque animus a defraudatione alienus: ex adverſo autem defraudator religioni ſibi minime ducit mentiri. Fraudes ſine mendacio non committuntur: quod cum experientia omnes homines doceat, ipſa fraus mendacio adſperſit turpitudinis labem, ob quam mendacium pro vitio maxime infami habeatur. Enimvero ut clarius intelligatur, quomodo omni fraudi inſit mendacium, exemplo uno, vel altero id declarandum. Si qui novit ſe æs alienum, quod contrahit, perſolvere non poſſe, & falſis perſuaſionibus utitur, ut ſibi credatur; expreſſis mendaciis *creditorem* defraudat ære ſuo. Quodſi ſaltem æs alienum, ex quo laborat, diſſimulat, diſſimulatio mendacium tacitum eſt. Accedit expreſſum, quando ſolutionem promittit, cum ſibi conſcius ſe ſolvendo non fore animum ſolvendi habere nequeat. Et quoniam quod quis per alium facit per ſe feciſſe putandus; a mendacio non abſolvitur, ſi aliorum opera utitur in ære alieno contrahendo, quamvis hi non ignorent fraudem, quam intendit obæratus. Immo cum hi ad fraudem concurrant lucri ſui cauſa, non modo fraudis fiunt participes, verum etiam mendaces ſunt, dum falſis perſuaſionibus alios inducunt ad credendum pecuniam, & tanto major eſt mendacitatis infamia, quod ſe mercede conduci patiantur, ut mentiantur *alios* defraudandi animo, qui fiduciam in honeſtate ipſorum collocant. Quamobrem quoque omnes boni infame iſtud hominum genus horrent, qui mendacium venale habent, ut fraudatoribus patrocinentur. Cumque mendacium fiat non ſolum verbis, ſed & factis; mendax quoque eſt fraudator, qui luxu opes ſimulat, ut tanto ſecurius pecunia ipſi credatur. Simi-

liter

Digitized by Google

licet qui gemmam adulterinam pro genuina ſciens vendit, mentitur. Expreſſum eſt mendacium, ſi emtori dicat eſſe genuinam, immo eandem laudat; tacitum vero, ſi adulterinam eſſe diſſimulat, emtore honeſtate ejus confidente nihilque fraudis ſuſpicante. Nunquam mendacium a fraude abeſt, ac ideo fraudatores & mendaces pari paſſu ambulare dicuntur.

§. 545.

De mendacio calumniatoris & convitiatoris.

Omnis calumniator mendax eſt & mendacem ſe probat convitiator, qui convitia vomens utitur vocabulis ad ſignificandum animum alterum ignominia afficiendi inventis aut ſtudioſe conquiſitis. Etenim calumniator alteri imputat imperfectiones, quibus minime laborat (§. 814. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque novit, quod de calumniatore ſupponitur, ſe verum non dicere, vel ſe quod dicit, probare non poſſe, nec quiſquam alium calumniari debet (§. 836. *part. 1. Jur. nat.*), omne autem falſiloquium illicitum mendacium eſt (§. 543.); calumniator omnis mendax eſt. *Quod erat unum.*

Qui convitia vomens utitur vocabulis ad ſignificandum animum alterum ignominia afficiendi inventis, eo ipſo indicat, ſe habere animum alteri imputandi imperfectiones, ſed ignorare, quales ipſi imputare debeat. Quoniam tamen vult dictis ſuis fidem haberi ab aliis, manifeſtum eſt verba ejus cum cogitationibus ſuis minime conſentire, conſequenter ipſum moraliter falſum loqui (§. 152. *part. 3. Jur. nat.*). Enimvero cum convitiis proſcindere neminem liceat (§. 833. *part. 1. Jur. nat.*), patet ut ante, convitiatorem ſe probare mendacem, ſi convitia vomens utatur vocabulis ad ſignificandum animum alterum ignominia afficiendi inventis, aut ſtudioſe conquiſitis. *Quod erat alterum.*

Calumnias eſſe mendacia, nemo diffitetur. Quodſi ergo calumniator animum calumniis intendit; mendax utique eſt. Enim-

Digitized by Google

Enimvero convitiatorem quoque eſſe mendacem, non omnes agnoſcunt; tum quia alteri objectare quoque poteſt vera, tum quia in verbis ad injuriandum alios ſaltem inventis, aut ſtudioſe conquiſitis non adeo manifeſta eſt calumnia, nec animum calumniandi diſſimulare videtur convitiator. Quodſi enim in verborum ſignificatum inquiras, ut inde de mente alterius judices; non aliud hinc exſculpes, quam quod convitiator dicere velit, quæ exiſtimationem & famam alterius lædunt, ſe tamen nihil ejus comminiſci poſſe. Verba igitur ejus ſatis manifeſto indicare videntur animum ejus, ut falſam de eo opinionem ex illis concipere non detur. Quamobrem ne mendacium fingi videatur, ubi nullum eſt; probe notandum, non ideo mendacium mutare ſpeciem, quod manifeſtum ſit alterum mentiri. Mentitur utique qui novit ſibi nihil conſtare de eo, quod famam alterius lædere poſſit, verbis tamen ſuis aliis ſiniſtram de altero opinionem inſinuare vult, conſequenter aliis perſuadere intendit infamiam ejus, cujus famam laceſſit. Et quamvis acutioribus vera animi ſui ſenſa abunde prodat, non tamen omnibus ea patent, ſed longe plurimi ſuſpicantur, quaſi dictis convitiatoris ſubſit aliquid veri. Non adeo arctis limitibus convitia coërcentur, quin convitiator a calumniis habeat animum prorſus alienum. Hinc etiam videas convitiis calumnias ut plurimum miſceri. Docent hoc altercationes non modo plebis inconditæ, ſed etiam eruditorum male moratorum, præſertim ſi malam cauſam argumentis ſolidis defendere neſciunt, ut mulierum ritu altercari, quam ſilere malint. Oſtendimus ſuperius, quanta ſit ſtultitia famam ſuam convitiis defendentis (*not.* §. 273.); ſed clarius adhuc elucescit ſtultitia, ſi conſiderentur mendacia, quæ convitiis inſunt, & quibus ideo famæ ſuæ maximam labem adſpergit, dum eandem defendere vult, cum mendacitas omnium conſenſu habeatur pro vitio hominem maxime infamante, ut ideo pauliſper naſutiores famam ſuam per alios convitiis defendi malint, quam per ſe, puerili tamen errore (§. 275.). Ceterum adhuc notandum eſt vocabulis ad ſigni[illegible] ſaltem

[illegible]

animum alterum ignominia afficiendi inventis, nihil certi autem, quod alteri ignominiæ eſſe poſſit, indicantibus, accenſenda quoque eſſe nomina, quibus imperfectiones quidem in communi loquendi uſu ſignificantur exiſtimationi ac famæ alterius adverſæ, ſed quæ non alia intentione adhibentur, quam illa, ſignificatu ſuo determinato ſpoliata, veluti cum fœmina honeſtatis notæ, aut in quam nulla cadit ſuſpicio, per convitium dicitur meretrix, aut proſtibulum. Mores enim altercantium omnibus abunde noti facile inſinuant, convitiatorem vocabulum non ſumere in ſignificatu recepto, ſed eo ſaltem uti tanquam apto ad exprimendum animum ignominia afficiendi partem adverſam.

§. 546.

Qui mentitur, aut emolumentum quoddam ſuum, aut detrimentum alterius intendit ſive ejus, cui loquitur, ſive tertii cujusdam. *Intentio mendacis.* Qui enim mentitur, moraliter falſum loquitur, quando alteri animi ſui ſenſa indicare obligatur (§. 182. *part. 3. Jur. nat.*), conſequenter moraliter verum loqui (§. 150. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum adeſſe debeat aliquod motivum, cur falſum loqui velit, verum dicere nolit (§. 889. *Pſych. empir.*), motiva autem nolitionis in repræſentatione boni cujusdam & motiva nolitionis in repræſentatione mali cujusdam conſiſtunt (§. 890. *Pſych. empir.*); qui mentitur, aut bonum quoddam conſequi, vel malum quoddam avertere a ſe intendit, aut malum quoddam inferre alteri, vel bono quodam, quod conſequi poterat, ipſum privare. Quamobrem aut emolumentum quoddam ſuum, aut detrimentum alterius ſive ejus, cui loquitur, ſive tertii cujusdam intendit.

Ita fraudator intendit lucrum ſuum (§. 147. *part. 5. Jur. nat.*), crimine poſtulatus vitationem pœnæ, & vindictæ cupidus ægre facere ei, a quo ſe offenſum putat, invidus impedire, ne alius quidam boni cujusdam fiat particeps.

Digitized by Google

Vulgo mendacium diſtingvitur in officioſum, pernicioſum & jocoſum. *Officioſum* appellatur, quod pro ſalute aut commodo alterius dicitur; *pernicioſum*, quod ex malitia in alterius detrimentum profertur; *jocoſum* denique, quod ideo tantum dicitur, ut delectationem inde capiat mendax. Facile apparet, per officioſum intelligendum eſſe falſiloquium licitum, quod eſt medium unicum ſatisfaciendi officio cuidam ſuo (§. 172. *part. 3. Jur. nat.*), quamvis non ſatis determinate definiatur, cum definitio videatur amplior ſuo definito, quia etiam extenditur ad eos caſus, in quibus contra officium commodo alterius conſulitur: quo pertinet mendacium vitandæ pœnæ cauſa dictum & falſum teſtimonium, ut malæ cauſæ amici conſulatur. Falſiloquium vero, quod licitum eſſe oſtendimus, & ſolum officioſi nomen meretur, ex numero mendaciorum eximendum. Mendacium pernicioſum reſtringitur ad detrimentum alterius, ideoque definitio *arctior* videtur ſuo definito, cum etiam extendatur ad eum caſum, ubi quis commodum ſuum intendit abſque detrimento alterius, veluti ſi quis mentitur, ut præmium quoddam aut beneficium conſequatur, in quem cenſum veniunt aſſentatores (§. 530.), aut commodum ſuum directe, detrimentum alterius nonniſi indirecte intendit, veluti ſi quis mendacium dicit de altero, quem ſibi obſtare putat, quo minus ad officium publicum, quod ambit, promoveatur. Denique mendacium jocoſum, quod dicitur, vix eſt, ut a pernicioſo dividatur. Cum enim qui mentitur voluptatem ex eo capiat, quod alii falſa perſuadere voluerit; alterius credulitatem, quæ famæ quoddam detrimentum eſt, deridendam propinat, aut animi quandam moleſtiam, quæ vel maxime gaudium fruſtratum excipit, alteri afferre intendit. Multo plures mendaciorum diſtinctiones affert *Auguſtinus;* ſed tam illis, quam hiſce omnibus carere poſſumus, modo omne falſiloquium pro illicito habendum eſſe notemus, præter illud, quod eſt medium unicum indiſpenſabilis cujusdam officii, quemadmodum in Jure naturæ oſtendimus, & quod ex numero mendaciorum

[illegible]

mendum. Equidem demonſtravimus, quod ſolius voluptatis percipiendæ gratia jocari liceat, ſi jocis nihil inſit, quod officio cuidam repugnet (§. 303. *part. 3. Jur. nat.*); non tamen inde inferre licet, mendacium jocoſum, quod dicitur, eſſe licitum. Falſiloquium enim licitum non eſt, niſi quatenus eſt medium unicum indiſpenſabilis cujusdam officii; joci autem ſaltem fiunt animi, aut temporis fallendi cauſa, ut nulla ſit neceſſitas falſum dicendi, præſertim cum falſiloquia influant in mendacitatem, quatenus exercitio, ſeu eorundem actuum repetitione (§. 195. *Pſych. empir.*), contrahitur habitus (§. 430. *Pſych. empir.*), ita ut qui per jocum falſum dicere adſueſcit tandem fiat mendax. Animum quod corrumpere poteſt, lege naturali minime permiſſum, qua voluntatem & noluntatem perficere obligamur (§. 273. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 547.

Mendax hominem nullius conſcientiæ ſe prodit, fidem omnem amittit, alios ſibi reddit inimicos, aut ſaltem eorum animum a ſe alienum facit, & alii commercium quoddam cum eo habere nolunt. *Motiva mendacitatem fugiendi.*

Mendax enim aliter cogitat, quam ſe cogitare dicit, quando alteri animi ſui ſenſa ſignificare obligabatur (§. 152. 182. *part. 3. Jur. nat.*), vel emolumenti ſui, vel deterimenti alterius cujusdam cauſa (§. 546.). Quamobrem cum mentiatur, circumſtantiis particularibus expenſis, contra conſcientiam practice practicam falſum dicit (§. 424. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & quia hoc facit non ut officio cuidam ſatisfaciat, ſed ut affectibus, veluti cupiditati habendi, vel ulciſcendi, aut amori, vel odio indulgeat, conſcientia ipſius ſerva eſt (§. 426. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero homo nullius conſcientiæ eſt, qui contra conſcientiam practice practicam agit, quia ſerva eſt (§. 437. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Mendax itaque homo nullius conſcientiæ eſt, ideoque mentiendo ſe talem prodit. *Quod erat primum.*

 Qui

Qui mentitur, falſum dicit, quando verum dicere debebat (§. 182. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem ſi quem mendacem eſſe conſtet, cum difficile ſit judicium, utrum verum jam dicat, an mentiatur, ideoque ſemper mendax præſumatur, donec contrarium manifeſto appareat; dictis ejus nunquam tuto haberi poteſt fides, Habetur itaque nullius fidei homo, ideoque omnem fidem amittit. *Quod erat ſecundum.*

Quodſi mendacium vergat in detrimentum aliorum, cum per ſe pateat, cuilibet diſplicere, quod in detrimentum ſui ſit, odium vero concitetur, ſi quod nobis diſplicet in altero obſervamus (§. 674. *Pſych. empir.*), mendax odium eorum incurrit. Quamobrem cum inimicus ſit, qui nos odit (§. 626. *part. 1. Jur. nat.*); mendax alios ſibi inimicos reddit. *Quod erat tertium.*

Quamvis vero non in omnium odium incurrant mendaces, ſed id potiſſimum fiat, ſi qui mendacium vergere in detrimentum ſuum experiantur, aut jam alias mendacia moleſtias ipſis creaverint; quoniam tamen mendacia nemini placere poſſunt, niſi quorum quodammodo intereſt, ut alius mentiatur, veluti ſi vergant in detrimentum ejus, cui ipſi male cupiunt, amor vero concitatur, ſi quid in altero obſervamus, quod nobis placet (§. 645. *Pſych. empir.*), mendacium amori obſtat, ideoque mendax animum aliorum a ſe alienat. *Quod erat quartum.*

Denique ſi quis mendax fuerit, ſemper verendum eſt, ne mentiatur, ut ideo dictis ejus fides tuto haberi nequeat. Quamobrem cum ipſi fidendum non ſit in ullo negotio, nec credendum quod narratur, propterea quod ſemper metuendum, ne fallamur (§. 330. *part. 3. Jur. nat.*); nemo quoque cum ipſo commercium quoddam habere volet. *Quod erat quintum.*

Sin-

Digitized by Google

Singula ſatis manifeſta ſunt a poſteriori & ſi rationes perquiſiveris, cur ea ex mendaciis conſequantur, eas quoque reddi percipies ab iis, qui mendacibus infeſti ſunt, aut mendacia reprehendunt. Nemo æquo animo ferre poteſt, ut quis ſibi, vel de ſe mentiatur. Nihil igitur magis naturale, quam ut mendacium in ſe ſpectatum improbetur, & nunc ſiniſtra judicia de mendace ſuſcitet, nunc inimicitias & odium gignat, nunc animum a mendace alienet, nunc eundem nobis inviſum reddat, ut rem nullam cum ipſo habere velimus, ſed ejus converſationem fugiamus, prouti diverſæ circumſtantiæ concurrunt. Mendaciſſimus ſane homo non vult, ut ſibi vel de ſe mentiatur. Repugnat mendacium omni ſocietati ac Reip. peſtis eſt, quemadmodum ſuo loco in Philoſophia civili diſertius expoſituri ſumus. Propoſitio itaque præſens motiva fugiendi mendacium ſuppeditat. Ut vero turpitudinem ejus intimius perſpiciamus, propoſitionem ſequentem addere lubet.

§. 548.

De turpitudine mendacii.

Mendacium contra naturam humanam eſt & hominem maxime dedecet. Etenim homines per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam obligantur perfectionem ſuam ſtatusque ſui conjunctis viribus promovere (§. 221. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Ut igitur ſibi invicem utiles eſſe poſſint, neceſſe eſt ut vitam ſocialem colant & ſibi invicem animi ſui ſenſa declarent. Quemadmodum itaque appetitus determinationi ad ſui conſervationem, perfectionem & multiplicationem naturaliter ineſt ejus determinatio ad appetendum ſocietatem & inſerviendum aliis (§. 39. *part. 2. Eth.*), & facultas averſandi naturaliter determinata eſt ad averſandum vitam ſolitariam & ad non nocendum aliis (§. 40. *part. 2. Eth.*); ita quoque homo inſtructus eſt organis loquelæ, ut ſit ſermonis capax & unus cum altero communicare poſſit cogitationes ſuas ſibique invicem valeant declarare animi ſui ſenſa. Quamobrem patet,

Digitized by Google

naturam ejusque autorem Deum (§. 822. part. 1. Theol. nat.), ſermone hominum non intendere finem alium, quam ut ſibi invicem cogitationes ſuas communicare animique ſui ſenſa declarare queant, ſeſe ſibi invicem utiles præbituri. Lex naturæ nos obligat ad determinandum actiones liberas per easdem rationes finales, per quas determinantur naturales, non vero per diverſas (§. 154. part. 1. Phil. pract. univ.), ideoque naturæ humanæ convenit, ut ſermone non aliter utamur, quam ad manifeſtandum alteri cogitationes noſtras & declarandum animi noſtri ſenſa, quemadmodum communis utilitas requiſiverit. Accedit, quod nomen divinum celebrare (§. 1205. part. 1. Jur. nat.), & orare debeamus (§. 1223. part. 1. Jur. nat.): id quod ſine ſermone fieri nequit (§. 1204. 1222. part. 1. Jur. nat.). Naturæ igitur humanæ convenit, ut ſermone utamur ad ſatisfaciendum officiis erga Deum, erga ſeipſum & erga alios (§. 224. 226. part. 1. Phil. pract. univ.). Enimvero mendax moraliter falſum loquitur, ideoque aliter cogitat, quam ſe cogitare dicit (§. 152. part. 3. Jur. nat.), quando alteri animi ſui ſenſa declarare obligatur (§. 182. part. 3. Jur. nat.). Mendacium ergo contra naturam humanam eſt. *Quod erat unum.*

Jam vero hominem dedecet, quod cuidam eorum diſconvenit, quæ ipſi inſunt, vel ineſſe debent (§. 195. part. 1. Phil. pract. univ.). Quamobrem cum mendacium ſit contra naturam humanam, ſeu eidem diſconveniat, *per demonſtrata n. 1.* hominem quoque maxime dedecet. *Quod erat alterum.*

Luculentiſſime hinc patet turpitudo mendacii: mendax enim naturam humanam exuit, dum ſermone aliter utitur, quam homo uti debet, cum videamus bruta naturæ ſuæ convenienter agentia non aliter uti voce variata, quam ipſis ſuffi-

cit ad indicandum appetitiones, vel averſiones ſuas, prout fert eorundem conditio. Mendax itaque monſtrum eſt, quale in omni animantium genere non ſimile occurrit, cum quo comparari poſſit, ut ideo cum maligno ſpiritu comparetur, qui mentiendo ſaluti humani generis inſidias ſtruit, nec deſint, qui eum terriculamentum quoddam humani generis appellant, a quo omnis ſibi metuunt merito tanquam ab occulta quadam peſte. Quodſi homines in univerſum omnes naturæ ſuæ convenienter viverent, mutuo amoris vinculo conjuncti; mendacium neſciretur, cui nullus foret locus. Vitia itaque mendacia pepererunt, conſequenter ex ſquallido hoc fonte profluere nequit niſi quod fœdiſſimum eſt. Hanc mendaciorum turpitudinem velim probe ponderent, qui mentiendo turpe lucrum quærunt, aut aliis nocere intendunt (§. 546.). Inprimis etiam conſiderent, quotquot inanis gloria vexat, quam abſurdum ſit per mendacium ad gloriam contendere, cum hominem nihil magis infamet quam mendacium. Sunt equidem qui exiſtimant, ſe calliditate ſua aliis imponere poſſe; ne mendacium animadvertatur: aſt cum talpa cœciores ex ſe judicant alios, acumine ſuo, quo tamen maxime deſtituuntur, confiſi; quod diſſimulare volunt maxime produnt. Quodſi non omnibus mendacium ſtatim appareat, vix unquam tamen deſunt, qui idem detegunt, ut ſimulator ineptus noſcatur. Et ubi analyſi morali actionum humanarum majorem operam dare conſueverint eruditi; latentia quoque mendacia non amplius latebunt, quacunque tandem arte occultentur, & ita obtinebitur, ut pudor vetet, quod honeſtas perſuadere nequit. Ceterum cum turpitudo mendacii motivum ſit fugiendi mendacium; idem quoque motivum eſt veracitatis, cum verax ſit, qui mendax non eſt.

§. 549.

Taciturnitas dirigit ſilentium legi naturæ convenienter. Homo obligatur alteri animi ſui ſenſa declarare, quando officium quoddam, vel obligatio quædam contracta id exigit (§. 159. *Quidnam ſit taciturnitatis proprium.*

part.

part. 3. Jur. nat.), & quoniam obligatio naturalis immutabilis (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nec a contracta quisquam ſe liberare poſſit (§. 674. *part. 3. Jur. nat.*); ſi officio cuidam, vel obligationi contractæ repugnet, ut alteri dicas, quid ſentias, vel quid velis, aut nolis, hoc dicere non licet. Ubi nulla adeſt ſpecialis obligatio alteri animi ſui ſenſa ſignificandi, aut reticendi; vi libertatis naturalis tibi relictum eſt, num loqui, an tacere malis (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*): quoniam tamen prudentes eſſe debemus (§. 258. *part. 1. Jur. nat.*), id faciendum, vel non faciendum, quod vi circumſtantiarum præſentium conſultius videtur (§. 257. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque taciturnus eſt, qui tacet, quando ad veritatem reticendum obligatur (§. 258. *part. 3. Jur. nat.*); taciturnitas dirigit ſilentium legi naturæ convenienter.

Lex naturæ dirigit omnes quoque actiones negativas, ideoque etiam ſilentium, perinde ac ſermonem (§. 522.). Datur igitur virtus ſilentii directrix (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), atque hæc ea eſt, quæ taciturnitas dicitur (§. 258. *part. 3. Jur. nat.*). Non ſufficit verum eſſe, quod dicis, ut loqui liceat: eſt enim quoque veriloquium haud raro illicitum (§. 167. 168. *part. 3. Jur. nat.*), atque tunc veritas diſſimulanda, vel reticenda (§. 169. & *ſeqq. part. 3. Jur. nat.*), conſequenter non loquendum, ſed tacendum, niſi quædam loquendi neceſſitas tibi fuerit impoſita. Non ſilendum, quando loquendum, nec loquendum, quando ſilendum.

§. 550.

Quandonam ſit tacendum. Quoniam taciturnitas dirigit ſilentium legi naturæ convenienter (§. 549.); *taciturnus non modo veritatem reticet, ſi verum dicere non poſſit, niſi faciat, quod officio cuidam vel obligationi contractæ repugnat, aut quod eſt contra jus perfectum, ſive imperfectum alterius* (§. 259. *part. 3. Jur. nat.*); *verum etiam in caſu dubio* (§. 262. *part.*

part. 3. *Jur. nat.*), immo ſi ad dicendum *animi ſui ſenſentiam nemini obligatus prævidet, aut ſaltem ſuſpicatur, alterum offenſum iri, ſi hoc, vel illud dicatur* (§. 263. 264. *part.* 3. *Jur. nat.*), *nec arcana ſua alteri temere committit* (§. 272. *part.* 3. *Jur. nat.*), *nec aliena prodit* (§. 273. 274. *part.* 3. *Jur. nat.*), *ſi vel maxime alteri factus fuerit inimicus* (§. 275. *part.* 3. *Jur. nat.*).

Qui hæc obſervat, facile ſibi cavebit, ne loquatur, quando tacendum, nec taceat, quando loquendum, nec ſi loquendum incautus effutiat ea, quæ reticenda erant. Patet vero hinc etiam, taciturnitatem latius patere, quam vulgo putatur. Plurimi enim ſibi perſuadent, taciturnitatis ſaltem eſſe non prodere arcana ſua, quando id vergit in detrimentum noſtrum, nec dictis ſuis offendere alios, quorum amicitia nobis utilis. Neque notionem ſatis diſtinctam arcanorum habent, minime perpendentes id omne arcanum eſſe, ad quod reticendum obligamur (§. 271. *part.* 3. *Jur. nat.*), vel arcana ad ea ſola reſtringentes, quæ ſub fide ſilentii ipſis ſunt commiſſa, vel eadem ex ſola ſua voluntate metientes. Et non abſimili modo de offenſa ex opinione ſua ſtatuunt, ut ideo quoque audias ſeſe excuſantes, quod non putaverint, alterum propterea offenſum iri, vel etiam contendentes, parum referre, quod hoc dixerint aliis. Neceſſe igitur eſt, ut conſideremus, quid ex eo, quod dicitur, ſequi poſſit cum reſpectu noſtri, tum reſpectu aliorum, & ulterius inquirendum, utrum id nobis, vel aliis quocunque modo damnoſum eſſe poſſit. Cum enim in caſu dubio tacendum ſit; ſola poſſibilitas abunde ſufficit, ut taceamus, præſertim quoniam nexum rerum minime prævidemus, ut exiſtere poſſit, quod omnium minime putabatur.

§. 551.

Quoniam ex officiis erga Deum, nos ipſos atque alios, atque obligatione contracta definiendum, utrum tacendum ſit, nec ne (§. 550.), qui vero ſollicite ſibi cavet, ne quid com- *Medium taciturnitatis.*

mittat, quod officiis repugnat, actiones ſuas legi naturæ convenienter determinat (§. 225. 226. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter virtuti pro virili ſtudet (§. 321. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *ſi quis virtutem colit, ipſa virtus obſtabit, ne quid dicat, quod reticendum*, cumque virtuoſus virtutem amet (§. 351. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), *ipſa quoque virtus taciturnitatem ei delectabilem faciet* (§. 654. *Pſych. empir.*).

Praxis taciturnitatis difficilis videtur, quia ſupponit omnia officia tam erga Deum, quam erga ſeipſum atque alios (§. 259. *part.* 3. *Jur. nat.*). Difficilis itaque eſt nonniſi ei, qui virtutem nondum colit. Qui vero ſincerus virtutis cultor eſt, officia iſta ignorare nequit, conſequenter difficultas evaneſcit. Quodſi objicias, non omnes, qui virtuti indefeſſam operam navant, ſemper ſcire, quid lex naturæ de hoc, vel iſto præcipiat, aut prohibeat; hoc in præſenti nullam attentionem meretur. Si quis enim id ignorat, caſus dubius exiſtit, in quo ſilendum (§. 550.). Si per errorem exiſtimet, legi naturæ non repugnare, quod eidem repugnat; ex conſcientia erronea peccabit, quemadmodum in aliis quoque virtutibus contingit. Hæc igitur objectio nihil valet adverſus taciturnitatem. Ceterum cum ex officiis quoque definiendum ſit, quando alteri ad dicendum verum obligemur (§. 159. *part.* 3. *Jur. nat.*); quæ de difficultate obſervandi taciturnitatem removenda demonſtravimus, ea etiam valent de veracitate. Neque vero etiam eſt, ut exiſtimes medium taciturnitatis, quod hic præſcribitur, eſſe nimis difficile, propterea quod requirit virtutis omnis ſtudium indefeſſum: ſi quis enim virtuti deditus non fuerit, is nec veracitatem, nec taciturnitatem curabit. Verum non dicit, niſi quando ſua intereſt, ut verum loquatur, nec religioni ſibi ducit mentiri, ſi quodammodo interſit, ut dicat falſum, & ex adverſo non tacebit, niſi damnum manifeſtum ſit, in quod incurrit, niſi tacuerit. Itaque nec veriloquium, nec ſilentium ad virtutem adſcribendum.

§. 552.

Digitized by Google

§. 552.

Qui taciturnus eſt, multa evitat damna, in quæ alias incidere poterat, dictis ſuis neminem ſibi reddit inimicum, nec inimicos irritat, & plurimorum amicitiam ſibi conciliat. Multa dantur negotia humana, in quibus conſultum eſt, ne ſciant alii, quid nobis propoſuerimus, ſeu facere velimus, niſi fine, quem intendimus, excidere velimus, aut ſaltem huic periculo nos exponere. Quamobrem cum tacendum ſit, ſi quod dicitur, nobis, vel aliis damnoſum eſt (§. 266. *part. 3. Jur. nat*), taciturnus autem reticet veritatem, quando ad eam reticendam obligatur (§. 258. *part. 3. Jur nat.*); idem multa evitat damna, in quæ alias incidere poterat. *Quod erat primum.* *Fructus taciturnitatis.*

Taciturnus in ſermone admodum circumſpectus eſt, ne quid dicat, quo alter offendi poſſit (§. 550.), conſequenter quod ipſi tædium creat (§. 936. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque diſplicet (§. 542. *Pſych. empir.*). Verendum igitur ei non eſt, ne dictis ſuis aliorum in ſe odium concitet (§. 674. *Pſych. empir.*), conſequenter dictis ſuis neminem ſibi inimicum reddit (§. 626. *part. 1. Jur. nat.*). *Quod erat ſecundum.*

Quodſi quis tibi fuerit inimicus, odio te proſequitur (§. 626. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter tædium tuum appetit (§. 669. *Pſych. empir.*), ideoque male tibi cupit. Quodſi ergo dicas, quæ ipſum offendunt, cupiditas vindictæ accenditur (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque irritatur. Quoniam itaque taciturnus ſibi cavet, ne quid dicat, quod alterum offendere poſſit (§. 550.), dictis ſuis inimicos non irritat. *Quod erat tertium.*

Denique quia taciturnus nihil dicit, quo alium quemcunque offendi poſſe ſuſpicatur, nec arcana aliorum prodit, ſi vel maxime evaſerint inimici (§. 550.); per ſe patet, id unicuique maxime placere. Aliorum igitur amorem in ſe

concitat (§. 645. *Pſych. empir.*), conſequenter eos ſibi amicos reddit (§. 625. *part. 1. Jur. nat.*). *Quod erat quartum.*

Dantur caſus plurimi, in quibus taciturnitas nos aliis commendat, nec dantur pauciores, in quibus eadem quoque prodeſt nobis ipſis. Nemo magis idoneus eſt, cum quo amicitiam colas intimam, quam taciturnus, qui abſque ullo tuo periculo arcana tua noſſe poteſt, atque hæc ipſa virtus amicitiæ maxime convenit & ad ſempiternitatem ejus facit. Quamobrem quoque in contrahenda familiaritate taciturnitatis inprimis habenda eſt ratio. Cum omnis inimicus ſit periculoſus (§. 216.), amicus vero velit id, quod nobis bonum eſt, non ſui, ſed noſtri cauſa (§. 172.); fructus taciturnitatis longe maximus eſt, tanto magis ſuſpiciendus, quod ſit perpetuus, nec fortunæ ſubjectus, totus pendens ab eo, quod eſt in poteſtate noſtra. Immo contingit etiam, ut taciturnitate nobis reconcilientur inimici, ut, ſi vel maxime non reddantur *amici*, inimicum tamen erga nos animum deponant. Ipſa igitur taciturnitas ſibimet pulcherrima merces eſt. Taciturnus nec ſibi nocet intempeſtive loquendo, nec aliis, tacendo prodeſt ſibi & aliis. Atque hoc efficaciſſimum motivum eſt taciturnitatem colendi, quod efficacia ſua non deſtituitur, niſi quis imprudentiſſimus fuerit (§. 776. *part. 1. Phil. pract. univ.*), idemque inconſideratus & improvidus (§. 760. 764. *part. 1. Phil. pract. univ.*), aut prorſus incurioſus (§. 778. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Ceterum huc quoque pertinet, quod multa dentur in Rep. officia publica, quæ taciturnitatem poſtulant. Sed de his dicendum in Philoſophia civili.

§. 553.

De taciturnitate ad ſilentium vicarium extenſa.

Ad taciturnitatem quoque pertinet, ne factis prodamus, quod reticendum. Qando enim factis ſignificamus, quod verbis indigitari ſolet, facta verbis æquipollent (§. 286. *part. 3. Jur. nat.*), conſequenter perinde eſt, ſive verbis, ſive factis alteri indices, quæ reticenda ſunt. Quoniam itaque taciturnitas diri-

dirigit ſilentium legi naturæ convenienter (§. 549.); ad eam quoque pertinet, ne factis prodamus, quod reticendum.

In eo caſu, quo facta ſubeunt in locum ſermonis, non facta ſubeunt in locum ſilentii. Quemadmodum itaque in illo facta ſermo vicarius ſunt; ita in hoc ſilentium vicarium ſunt non facta. Ponamus tua intereſſe, ne ſciant illi, quod ſis opulentus; perinde eſt, ſive nemini dicas, quantum pecuniæ habeas, ſive res immobiles magni pretii non emas.

§. 554.

Taciturnitati opponuntur garrulitas, futilitas & jactantia. Etenim garrulus multa temere loqui ſolet (§. 280. *part. 3. Jur. nat.*), conſequenter quia temere non loquendum (§. 278. *part. 3. Jur. nat.*), loquitur, quando erat ſilendum. Quoniam itaque taciturnitas dirigit ſilentium legi naturæ convenienter (§. 549.); garrulitas taciturnitati opponitur tanquam vitium virtuti (§. 258. 280. *part. 3. Jur. nat.*). *Quod erat primum.*

De garrulitate, futilitate & jactantia taciturnitati opposita.

Qui futilis eſt, tacenda ſilere nequit (§. 281. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum taciturnus taceat, quando ad veritatem reticendam obligatur (§. 258. *part. 3. Jur. nat.*); futilitas taciturnitati opponitur. *Quod erat ſecundum.*

Denique qui ſe jactat, exiſtimationis affectandæ cauſa multa de ſe ſive vera, ſive falſa dicit (§. 282. *part 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum nemo ſe jactare debeat (§. 283. *part. 3. Jur. nat.*); jactator loquitur, quando erat ſilendum, vel ad veritatem quoque reticendam obligatur (§. 577. 578. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque taciturnus tacet, quando ad veritatem reticendam obligatur (§. 258. *part. 3. Jur. nat.*), & taciturnitas omne ſilentium legi naturæ convenienter regit (§. 549.); jactantia taciturnitati opponitur. *Quod erat tertium.*

Quoniam varii dantur caſus, in quibus tacendum, taciturnitas autem omne ſilentium legi naturæ convenienter regit, non

 eſt

eſt quod miremur, ſi plura dentur vitia, quæ virtuti opponuntur in defectu: utique enim deficit taciturnitas, quando loquimur, dum erat ſilendum. Equidem quatenus nimium ſpectatur in ſermone, ſolent etiam dici vitia in exceſſu (*not.* §. 281. *part.* 3. *Jur. nat.*), quatenus ſcilicet a taciturnitate nimium receditur, dum loquimur, ubi erat tacendum, præſertim ſi multa loquamur; nihil tamen intereſt ſive vitia in exceſſu, ſive in defectu dicas, modo rem ipſam teneas. Neque refert, hæc vitia ortum trahere ex vitiis aliis, veluti jactantiam ex ambitione, arrogantia, faſtu & ſuperbia, vel alia etiam vitia concurrere & illis, qui taciturnitati opponuntur, novam quandam ſpeciem inducere: neque enim jam quæritur, quænam ſint vitiorum iſtorum cauſæ, aut cur in actionibus ad idem vitium referendis aliqua differentia obſervetur, ſed quænam ſint præcipue vitia cum taciturnitate pugnantia. Immo nec abſurdum cenſeri debet, ſi unum idemque vitium alio reſpectu huic virtuti, alio alteri cuidam virtuti opponatur, quatenus nimirum cum hac, vel iſta pugnat. Garrulus temere loquitur, conſequenter non alio fine, quam ut loquatur (§. 276. *part.* 3. *Jur. nat.*), cum nullius interſit noſſe, quæ dicuntur, nec quiſquam eorum, ad quos ſermo dirigitur, noſſe cupit, quæ dicuntur. Poteſt moraliter verum loqui, loqui etiam poteſt falſum. Cum falſiloquium etiam in hoc caſu mendacium ſit (§. 542.), in hoc caſu quoque garrulitas veracitati opponitur, præſertim ſi pleraque, etſi non omnia ſint falſa. Aſt in garrulitate cum non tam quæratur quid dicatur, ſed num loqui nimium conveniat; garrulitas quoque etiam in eo caſu, in quo nonniſi falſa dici ſupponitur, taciturnitati recte adhuc opponitur. Cum taciturnitas potiſſimum ſpectetur in iis, quæ reticenda ſunt (§. 258. *part.* 3. *Jur. nat.*), futilis autem tacenda ſilere nequeat (§. 281. *part.* 3. *Jur. nat.*), futilitas præcipuum vitium eſt, quod cum taciturnitate pugnat. Quamobrem quoque hoc vitium aliis exprobaturi interrogare ſolemus, an nihil prorſus reticere queant, ſed omnia effutire cogantur. Jactantia taciturnitatem violat, quatenus nemo ſe-

ipſum

ipſum laudare ſuaque prædicare debet, conſequenter de his tacendum eſt & judicium aliis relinquendum, ac ideo alia ſupponit vitia modeſtiæ, humilitati, comitati oppoſita, quæ eam variis modis deformant. Ita eruditus ſuperbus, faſtoſus & arrogans extollit inventa ſua, de quibus gloriatur, propriæ laudis ſive meritæ, ſive immeritæ ebuccinator, & alios contemnit, magno etiam merito ſuo celebratiſſimos. Quoniam hic potiſſimum animus advertitur ad ſuperbiam, faſtum & arrogantiam; vulgo non agnoſcitur violari quoque taciturnitatem. Inutilis vero eſt diſceptatio, cuinam virtuti potiſſimum opponendum ſit hoc vitium, modo notes, in quibusnam peccetur, ut turpitudinem intimius perſpicias: id quod ſemper requiritur, quando plura vitia ad eundem actum concurrunt. Ceterum garrulitas, futilitas & jactanta iſtiusmodi vitia ſunt, quæ ſimul in eodem ſubjecto locum habere poſſunt, ac ideo ad unum quoque eundemque actum omnia ſimul, vel bina ſaltem concurrere.

§. 555.

Oſtentatio dicitur vitium, quo quis exiſtimationis affectandæ cauſa de ſe ſive vera, ſive falſa aliis inſinuare conatur factis. Quoniam facta æquipollent verbis, quando illis ſignificamus, quod his indigitari ſolet (§. 286. *part.* 3. *Jur. nat.*), jactator vero eſt, qui exiſtimationis affectandæ cauſa multa de ſe ſive vera, ſive falſa dicit (§. 282. *part.* 3. *Jur. nat.*); *oſtentatio ſub jactantia comprehendi poteſt, & quæ de jactantia demonſtrantur, ea etiam valent de oſtentatione.* *Oſtentatio quid ſit.*

Non igitur opus eſt, ut de oſtentatione ſigillatim agatur, & propterea in Jure naturæ, cum de jactantia ageremus, oſtentationis nullam fecimus mentionem. Accidit quoque ea de cauſa, ut jactantia & oſtentatio tanquam ſynonyma uſurpentur, & quia utrumque vitium haud raro concurrit, utrumque etiam vocabulum ſimul dici ſolet de eodem ſubjecto, quamvis vocabula combinantes non ſemper ad verba & facta ſimul ani-

animum advertant. Nullibi fere magis regnat inconſtantia loquendi quam in Moralibus, propterea quod in morali actionum humanarum æſtimatione acumen deficit, non adeo facile comparandum, quam obtunditur. Ad facta autem hic ut alibi referimus omnes actus externos, ideoque vultum quoque, geſtum & inceſſum, immo vocem. Exemplo ſunt homines, quos fortuna præter omnem ſpem & expectationem ſuam ad dignitatem evexit, & quos meritis ſuis tribuentes, aut ſaltem tribui volentes, quod fortunæ acceptum ferendum, efficit ſuperbos: quid enim de ſe ſentiant & quid alios de ſe ſentiri velint, vultu, geſtu, inceſſu, voce, ſplendido veſtitu abunde produnt ipſi etiam vulgo imperito, cui haud raro deridendum ſe propinat ſtolidus oſtentator.

§. 556.

Quod garrulus in converſatione moleſtus ſit.

Garrulus in converſatione moleſtus eſt. Garrulus enim multa temere loquitur (§. 280. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum non alio fine loquatur, quam ut loquatur (§. 276. *part. 3. Jur. nat.*); quicquid in buccam venit, id profert, etiam nullius eorum, ad quos ſermo dirigitur, interſit ſcire, quod dicit. Accedit, quod garrulus ſolus loqui amet, ut aliis de rebus aliis collocuturis ſit ſilendum. Quoniam itaque moleſtum eſt audire, quæ audire nolis, ac ſilere, cum loqui malles, quod per ſe patet; garrulus in converſatione moleſtus eſt.

Cum nemo loqui poſſit niſi de rebus ſibi notis, ut ideo dudum cecinerit Poëta: Navita de ventis, de tauris narrat arator, garrulus vero proferat, quicquid memoria eidem ſuggerit, obſequens ſoli imaginationis legi (§. 117. *Pſych. empir.*); non mirum eſt, quod garrulitate ſua aliis in converſatione accidat moleſtus. Conſideramus vero hic garrulitatem in ſe, quatenus ad eam non accedit futilitas & jactantia, ideoque ſaltem de ea enunciamus, quod ex ea in ſe ſpectata fluit. Sæpiſſime tamen contingit, ut inconſiderate loquens effutiat, quæ reti-

Digitized by Google

reticere debebat, non ſine ſuo aut aliorum incommodo ac detrimento, immo ut vel inſcius ſe ſuaque jactet, quamvis directe hoc non intendat.

§. 557.

Garruli facile quidvis ſibi perſuadere patiuntur. Garruli enim multa temere loquuntur (§. 286. *part. 3. Jur. nat.*), non alio fine, quam ut loquantur (§. 276. *part. 3. Jur. nat.*). Ut ergo habeant quod loquantur, ſollicite inquirunt, quid hic, vel illic factum fuerit, aut quid hic, vel iſte faciat, vel fecerit. Quicquid igitur ipſis narratur, id avidis auribus hauriunt, ut habeant, quod narrent aliis, parum ideo ſolliciti, utrum id verum ſit, nec ne. Quamobrem cum dictis aliorum facilem habeant fidem, quidvis ſibi facile perſuadere patiuntur. *De credulitate garrulorum.*

Ea de cauſa cum quovis obvio lubentiſſime confabulantur & quid novi? eum alloquentes ſtatim quærunt. Et quoniam multa loqui amant, circumſtantias a narrante omiſſas prouti ſibi viſum fuerit ſupplent, immo cum audita non ſatis digerant, memoria quoque eos haud raro fallit, præſertim cum de rebus pluribus fuerunt collocuti. Ex garrulitate igitur naſcuntur rumores, quibus tuta fides haberi nequit. Hæc vero ratio eſt, cur novellæ garrulorum in medio ſint relinquendæ, niſi falli & deinceps rurſus alios fallere velimus. Garrulitas commune fœminarum vilis conditionis vitium eſt: maxime igitur dedecet viros, præſertim eos, qui meritis graves eſſe debent. Autoritatem ſuam proſtituunt, ſi eo fine conveniunt, ut garrulitati ſuæ ſatisfacturi de iis confabulentur, quæ ipſis a fœminis garrulis fuerunt relata, præſertim ſi ex falſis relationibus ſiniſtra de aliis judicia ferunt ac innocentes traducunt, ſeque meliorum famam lacerant. Vitia nimirum ex vitiis naſcuntur, ut qui uno delectatur in alia quoque trahatur.

§. 558.

Quando ad garrulitatem futilitas accedat.

Niſi garrulus ante probe perpenderit, quæ reticenda ſunt; idem futilis fit. Garrulus enim multiloquus eſt & quicquid data occaſione memoria ipſi ſuggerit profert (§. 280. *part. 2. Jur. nat.*). Quodſi ergo non ante probe perpenderit, quæ reticenda ſunt, ut ſibi conſcius ſit, ea ſine detrimento aut periculo ſuo effutiri non poſſe, conſequenter dum ea memoriam ejus ſubeunt, ſimul meminerit detrimenti, aut periculi iſtius (§. 117. *Pſych. empir.*); quæ reticere debebat, effutit. Quamobrem cum futilis ſit, qui tacenda loquitur (§. 281. *part. 3. Jur. nat.*); niſi garrulus ante probe perpenderit, quæ reticenda ſunt, idem futilis fit.

Difficulter admodum cavetur, ne futilitas ad garrulitatem accedat. Etenim non ſolum in caſu emergente dantur rationes, cur garrulus ſibi perſuadeat, hic & nunc abſque detrimento, aut ullo periculo ſuo dici poſſe, quæ reticenda judicaverat; ſed & quæ faciunt, ut voluntatem mutet, vel quæ attentionem a detrimento, vel periculo avocant, ut incogitantia faciat inconſideratum (§. 748. 760. *part. 1. Phil. pract. univ.*), aut ut reddatur improvidus (§. 764. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ne garrulus effutiat, quæ reticenda ſunt, in propoſitione requiſivimus, ut probe antea perpenderit, quod hæc reticenda ſint, nec ulli dicenda, quicunque tandem fuerit. Raro vero de homine garrulo iſtiusmodi deliberationes ſupponere datur. Quamobrem futilitas ad garrulitatem plerumque accedit, ut garrulus inconſideranter ſine diſcrimine loquatur, quicquid in mentem venit.

§. 559.

Quinam inprimis a garrulitate futi-

Quoniam garrulus futilis eſt, niſi ante probe perpenderit, quæ reticenda ſunt (§. 558.), conſequenter ad evitandam futilitatem requiritur animus deliberatus (§. 387. *part. 3.*

Jur.

Jur. nat.), in pueris autem, qui facultatibus cognoſcendi non-dum uti didicerunt, nec notitia ſufficiente inſtructi ſunt, qualis ad deliberationem requiritur, in ebriis, quibus uſus rationis ademtus eſt, turbata ratiocinatione (§. 238. *part. 4. Eth.*), & in dormientibus, dum loquuntur, ſibi ne quidem conſciis quod loquantur, animus deliberatus ſupponi nequit; *pueri & ebrii garruli atque ſi garruli domientes loquuntur futilitatem evitare neſciunt.* *litatem ſejungere neſciant.*

Dudum obſervatum eſt, pueros, ebrios & dormientes dicere verum, non alia ſane de cauſa, quam quod loquantur absque animo deliberato effutientes, quicquid in buccam venit. Garruli itaque cum ſint multiloqui temere proferentes, quicquid in mentem venit (§. 280. *part. 3. Jur. nat.*), quæ temeritas reprimi nequit, ubi quædam reticenda, niſi animo maxime deliberato; ſi pueri fuerint garruli, aut garruli fuerint ebrii, vel domientes loquantur, animo deliberato abſente, nihil eſt, quod lingvæ temperare poſſit, quo minus reticenda effutiantur. Oſtendimus jam alias ebrios effutire, quicquid in buccam venit, etiamſi non fuerint garruli (§. 240. *part. 4. Eth.*), & experientia conſtat, ebrietate ſoluta, per eam dictorum pœnitere memores poſtero die, aut ab aliis eorundem admonitos. Immo dudum obſervatum eſt, dementem ebrietatem detegere arcanum, cum ea labefaciat & minuat hominum mentes. Tanto igitur facilius hoc contingit, ſi garrulitas concurrit, per ſe ad effutiendum ea, quæ reticenda ſunt, prona.

§. 560.

Similiter quia ad arcendam futilitatem a garrulitate requiritur animus deliberatus (§. 559.), animus autem deliberatus in plebem infimam vix cadit, niſi circumſtantiæ præſentes, aut conſilia aliorum ſuggerant, quæ ad eum pertinent (§. 387. *part. 3. Jur. nat.*); *ſi plebejæ conditionis homines fuerint garruli, a futilitate ſibi minime cavebunt.* *Quinam porro huc referendi.*

Pertinent huc exempla anuum & ancillarum multiloquacium, ex quarum futilitate naſcuntur indies rixæ & altercationes. Nec deſunt exempla ſexus alterius. Quo vero rudiores ſunt homines, eo magis deficit deliberatus animus, omnium minime ſupponendus, ubi garruli lingvæ ſuæ temperare non didicerunt. Turpe autem eſt, ſi anus multiloquacis, ac viliſſimæ turbæ mores imitentur viri, qui morum & pietatis gravitate ſe commendare debebant.

§. 561.

De garrulitate potius corrigenda, quam futilitate ab ea ſejungenda.

Quoniam garrulus futilis fit, niſi ea ante probe perpenderit, quæ reticenda ſunt (§. 558.), animus vero deliberatus, qui ad reprimendam futilitatem in garrulitate requiritur, non adeo facile efficitur conſtans (§. 387. *part 3. Jur. nat. & not. §. 558. b.*), ideoque difficile eſt a garrulitate ſejungere futilitatem; *ſi quis fuerit garrulus & a futilitate ſibi cavere velit, operam potius det, ut garrulitatem corrigat, quam ut futilitatem a garrulitate ſejungere ſtudeat.*

Quoniam garrulitas non minus vitium eſt, quam futilitas, quamvis non adeo pernicioſum, niſi in hanc degeneret; abſurdum videtur multum operæ impendere velle futilitati a garrulitate arcendæ, cum hæc cum illa extirpari poſſit ac debeat, ne ab illa periculum quoddam nobis immineat, præſertim cum remedio, quod affertur ad futilitatem a garrulitate arcendum, multis modis detrahi poſſit efficacia (§. *not.* §. 558.). Quamvis garrulitas in ſe ſpectata non adeo pernicioſa ſit, quam futilitas; magis tamen dedecet hominem, virum præſertim cordatum: neque enim homini, quam ratio a brutis animantibus diſcernit, abſque ratione loqui convenit, nec decet virum cordatum loqui abſque animo deliberato. Temeraria verba illicita ſunt (§. 278. *part. 3. Jur. nat.*), pugnantia non modo cum ſapientia, verum etiam cum vita perfecta & rationi conformi, immo ipſa quoque pietate (*not.* §. *cit.*). Hæc qui perpendit garrulitatis turpitudinem majorem eſſe deprehen-

hendet, quam putabatur. Quæ vero obſervanda ſunt, ne hoc vitium extendatur ad ea, quæ licita ſunt, & quomodo hoc præcaveatur, alias jam docuimus (*not. cit.*).

§. 562.

Qui garrulitatem & futilitatem vitare vult, operam dare debet, ut nihil faciat ſine animo deliberato. Qui enim nihil facit ſine animo deliberato, is nec abſque animo deliberato loquetur. A ſi quis animo deliberato loqui vult, is ante probe expendere tenetur, num potius ſit loquendum, an non loquendum (§. 387. *part. 3. Jur. nat.*), conſequenter cum finis ultimus ſermonis ſit ſui aliorumque perfectio (§. 279. *part. 3. Jur. nat.*), conſiderandum eſt, quo fine loquatur, & quomodo finis iſte ſeſe habeat ad finem ultimum, hoc eſt, ut quid ſermone ſuo conferat vel ad ſuam, vel aliorum perfectionem, aut num ſilentium fini huic ultimo magis conveniat. Quoniam itaque fieri nequit, ut qui animo conſiderato loquitur temere loquatur, abſque ullo nimirum fine, non aliud nimirum intendens, quam ut loquatur (§. 276. *part. 3. Jur. nat.*), aut ut effutiat, quæ reticenda ſunt, veluti ſi norit ſibi vel aliis mali quidpiam eveniri poſſe, ſi alii hoc, quod mente vel animo volvit, norint (§. 269. *part. 3. Jur. nat.*), aut ſi prævidet, alium offenſum iri, ſi hoc dicat, nulla obligatione ad dicendum ipſum urgente, vel ſaltem ne hoc fiat veretur (§. 263. *part. 3. Jur. nat.*), aut num fieri poſſit, anceps hæret (§. 262. *part. 3. Jur. nat.*), qui vero temere nihil loqui vult, a garrulitate ſeſe abſtinet (§. 280. *part. 3. Jur. nat.*), & qui tacenda ſilet, futilitatem vitat (§. 281. *part. 3. Jur. nat.*); qui garrulitatem & futilitatem vitare vult, operam dare debet, ut nihil faciat ſine animo deliberato.

Medium vitandi garrulitatem & futilitatem.

Naturaliter obligamur nil agere abſque animo deliberato (§. 390. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem unicuique incumbit,

ut officio huic pro virili ſatisfaciat. Suadet hoc etiam non minus ſalus propria, quam aliorum. Qui enim non adſueſcunt animo deliberato agere; quicquid agunt, inconſiderantes fiunt (§. 760. *part. 1. Phil. pract. univ.* & §. 387. *part. 3. Jur. nat.*), atque tam ſibi, quam aliis nocent culpa ſua (§. 761. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Vidimus jam ante (*not.* §. 548.), ſermonem homini conceſſum eſſe, ut non modo ſibi conſulere, ſed aliis quoque utilem ſeſe præbere poſſit. Quamobrem tanto minus dubitandum, ſermonem quoque requirere animum deliberatum, ſine quo linguæ temperare minime poſſumus, ne loquamur, niſi quod prodeſt, ut officiis mutuis nos nobis invicem utiles præbeamus. Quodſi homines adſueſcerent nil agere absque animo deliberato, tam garrulitas, quam futilitas ſua ſponte ceſſarent. Hoc igitur medio vitandi garrulitatem & futilitatem eo libentius utendum, quia ad omnes noſtras actiones requiritur, nihilque naturæ humanæ convenientius eſt, quam ut nunquam, quicquid facimus, aut loquamur, animum deliberatum in nobis deſiderari patiamur. Ceterum cum animus deliberatus requirat, ut probe expendatur, num quid potius ſit faciendum, quam non faciendum, & quomodo ſit faciendum (§. 387. *part. 3. Jur. nat.*); haud difficulter patet, uſui hic eſſe ea, quæ de officiis in Jure naturæ demonſtrantur, veluti in caſu propoſitionis præſentis, quæ de obligatione circa ſermonem in parte tertia Juris naturæ inculcantur, & inprimis obſervanda eſſe ea, quæ ad recte agendum requiruntur (§. 72. & *ſeqq. part. 2. Phil. pract. univ.*). Quamvis vero hoc difficillimum videatur, ſi quoad rectitudinem actionum omnimodam nihil in te deſiderari pati velis; non tamen ideo negligendum, quod a nobis fieri poteſt. In garrulitate tamen & futilitate vitanda tanta non erit difficultas, quanta apparet, ſi animum deliberatum ad actiones in univerſum omnes extendas, præſertim cum in caſu dubio ſilentium præferendum ſermoni. Notandum quoque eſt, multa, quæ difficilia ſunt, talia non fore, ſi tempeſtive adſueſceremus non ſine animo deliberato quicquam agere, & ad ſatisfaciendum officiis omnibus addu-

adduceremur, nec in cultura virtutum ſi non omnia, ſaltem plurima, aut pleraque ſoli fortunæ relinqueremus.

§. 563.

De imprudentia loquentium de quæ reticeri volunt.

Imprudentes ſunt, qui in præſentia eorum, qui judicare nequeunt, utrum quid dicere liceat, an reticendum ſit, loquuntur, quod reticeri volunt. Etenim qui diſcernere nequeunt, utrum quid dicere liceat, an reticendum ſit; quicquid audiunt, narrant aliis, cum nulla adſit ratio, quæ ſilentium urgeat. Quodſi ergo quis iis præſentibus loquatur, quod reticeri vult, is non conſiderat, quod aliis narraturi ſint, quod audiverunt, conſequenter non perpendit, de eo eſſe tacendum, aut quod illi ea, quæ dicuntur, iterum dicturi ſint aliis, qui ne ea reſciſcerent ſua intererat. Loquitur itaque, quando erat tacendum vi circumſtantiarum præſentium. Enimvero imprudens eſt, qui facit, quod vi circumſtantiarum præſentium potius non facere debebat (§. 776. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem imprudens eſt, qui loquitur, quod reticeri vult, in præſentia eorum, qui diſcernere nequeunt, utrum quid dicere liceat, an reticendum ſit.

Imprudentiæ hujus rei ſunt, qui in præſentia famulorum loquuntur vel de ſe rebusque ſuis; vel de aliis, quando ipſorum intereſt, ne hoc ſciant alii. Vilis enim conditionis homines non eo pollent judicio, ut diſcernere poſſint, quæ in detrimentum dicentis vergere poſſunt, aut ipſi moleſtiam creare, ſi quod dictum propaletur, vel reſciſcant alii. Quamobrem non tam famulis, quam heris imputandum, quod prudentiam in ſe deſiderari paſſi fuerint, quantumcunque malum inde ſequatur.

§. 564.

Quænam omittere de-

Qui futilitatem vitare vult, nec arcana ſua alteri committere debet, niſi neceſſe ſit, ut eorum particeps fiat, nec aliena prodere.

Cum

beat futilitatem vitaturus. Cum enim futilis ſit, qui tacenda loquitur (§. 281. *part.* 3. *Jur. nat.*); qui futilitatem vitare vult, ſibi cavere debet, ne alteri dicat, quod reticendum eſt. Quoniam itaque arcana ſua nemini ſunt committenda, niſi ei, qui ut eorum ſit particeps neceſſe eſt (§. 272. *part.* 3. *Jur. nat.*), nec arcana aliena prodenda (§. 273. 274. *part.* 3. *Jur. nat.*); qui futilitatem vitare vult, nec arcana ſua alteri committere debet, niſi neceſſe ſit, ut eorum particeps fiat, nec aliena prodere.

Qui aliena arcana produnt, non tamen propterea ſua aliis committunt: aſt qui ſua temere committunt, hoc eſt, nulla neceſſitate id urgente, aliena quoque facile produnt, niſi ſingularis quædam ratio obſtet, ne prodant. Ab utroque igitur ſibi cavere debet, niſi quis velit futilitatis reus fieri. Sermo autem hic nobis eſt de futilitate a garrulitate ſejuncta, ſeu in ſe ſpectata, cum non ſemper a garrulitate dependeat futilitas, ſed alias etiam habeat cauſas. Neque hic agitur de remedio adverſus futilitatem, ſed ſaltem indicantur actiones non committendæ, ne hoc vitio polluaris.

§. 565.

Quænam ſcire debeat futilitatem vitaturus. Quoniam *qui futilitatem fugere vult*, nec arcana ſua alteri committere, nec aliena prodere debet (§. 564.); ideo *neceſſe eſt, ut arcana recte dijudicare poſſit*, conſequenter cum arcanum ſit omne id, quod reticere obligamur (§. 271. *part.* 3. *Jur. nat.*), *quænam ea ſint, quæ reticere obligamur, ſciat.*

Monuimus jam alias, in Moralibus pro arcanis habenda eſſe nonniſi ea, quæ reticere obligamur (*not.* §. 271. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter quorum revelatio pugnat cum officiis lege naturali præſcriptis, a qua venit naturalis obligatio (§. 141. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Communis uſus loquendi, cui convenienter arcanum definivimus (§. 267. *part.* 3. *Jur. nat.*), id extendit etiam ad alia, quæ vel palam facere obligamur, vel

vel quo minus revelentur nihil obſtat. Ad futilitatem ſaltem adſcribenda arcanorum verorum, ſeu moraliter talium revelatio. Inde vero eſt, ut in arcanis dijudicandis oriatur difficultas, niſi vulgarem ſignificatum emendes & legi naturæ convenienter determines. Quoniam ſi quid ab aliis ignorari volumus neceſſe eſt, ut ex eo, ſi norint alii, nobis aliquid mali eveniat (§. 269. *part. 3. Jur. nat.*), vel etiam aliis (§. 613. *part. 1. Jur. nat.*); ne futilitatis maculam contrahas, ſedulo inquirendum eſt, num ex ejus, quod pro arcano habetur, vel venditatur, revelatione ſequatur aliquod malum, quod vel a te, vel ab aliis avertere debes. Videmus itaque judicium de arcanis tandem redire ad moralem mali avertendi æſtimationem, ad quam officia naturalia ducunt.

§. 566.

De effectu futilitatis.

Qui arcana ſua prodit ſibi nocet; qui aliena, nocet aliis & eos ſibi inimicos reddit. Qui enim arcana ſua prodit, is nota facit aliis (§. 268. *part. 3. Jur. nat.)*, quæ ut ab iis ignorarentur ſua intererat, propterea quod ſibi vel aliquid mali evenit, vel ſaltem metuendum eſt (§. 270. *part. 3. Jur. nat.*). Nocet autem utique ſibi, qui vel in malum quoddam ruit, quod evitare poterat, vel ſaltem periculo malum ſubeundi ſeſe exponit. Qui ergo arcana ſua prodit, ſibi nocet. *Quod erat primum.*

Eodem prorſus modo patet, te nocere aliis, ſi eorum arcana prodis. Finge enim te eſſe loco alterius, cum tunc ſit arcanum tuum, quod eſt alterius, id prodendo nocebis tibi, *per demonſtrata n. 1.* Malum vero, ſi quod inde ſequitur, eodem modo ſequitur, ſi alter concipiatur loco ſuo. Patet etiam inde, quod malum ſequatur ex eo, quod arcanum patefiat. Unum autem idemque eſt, ſive patefiat per eum, cujus eſt, ſive per alium. Prodens igitur arcana aliena aliis nocet. *Quod erat ſecundum.*

Jam quoniam arcanum alterius prodens malum quoddam eidem infert, *per demonſtrata n. 1.* hoc vero eidem diſplicet (§. 569. 542. *Pſych. empir.*); arcanum prodens in odium alterius incurrit (§. 674. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum inimicus ſit, qui nos odio proſequitur (§. 626. *part. 1. Jur. nat.*); arcana aliorum prodens eos ſibi inimicos reddit. *Quod erat tertium.*

Quemadmodum communis arcanorum ſignificatus latius extenditur, quam par erat, ita quoque ex adverſo haud raro ſignificatus verus, ad quem in Moralibus reſtringitur (*not.* §. 565.), coarctatur, ut ex arcanorum numero eximantur, quæ in eum referenda. Hoc ad futilitatem ſpectat, illud ad vitium aliud, de quo mox dicemus. Exemplum hujus eſt, ſi quis intempeſtive dogma aliquod propalat, quod tuto ignorari poteſt, ſed quo abuti poſſunt alii in detrimentum ſui & aliorum.

§. 567.

Quod familiaritati repugnet futilitas.

Familiaritati maxime adverſatur futilitas. Familiaris enim ad actiones ſuas in converſatione nullam affert attentionem, ſed absque ulla deliberatione loquitur, quæ in mentem veniunt, & agit, ad quod agendum occaſio ipſum invitat, ex more (§. 228.). Quamobrem facile patet, in familiari converſatione nos multa loqui & facere, quæ ab aliis ignorari volumus, & quæ ne ſciant noſtra intereſt, conſequenter quæ reticere debet amicus familiaris. Enimvero futilis effutit, quæ reticere debebat (§. 281. *part. 3. Jur. nat.*). Familiaritati ergo maxime adverſatur futilitas.

Patet itaque cum hominibus futilibus non eſſe contrahendam familiaritatem, cui maxime ſe probat taciturnitas. Familiaritatem contrahimus cum aliis, ne adeo ſcrupuloſa ſit converſatio, quæ animi recreandi medium habetur & ejus gratia appetitur. Quamvis enim non male faciamus, ut male facta cela-

celari velimus; nemo tamen eſt qui neſciat, nec ea, quæ recte a nobis fiunt, nec vera, quæ ſentimus, ut promiſcue omnibus nota ſint conſultum eſſe. Accedit quod cum amico familiari loquamur tanquam cum nobis ipſis, conſequenter eum arcanorum noſtrorum faciamus participem, & quia taciturnitate ejus confidimus de amore, quo nos proſequitur, ſecuri, ſub ſpe ſilentii hoc facimus, ſeu ſub tacita conditione, ne quod ipſi ſoli dicitur patefaciat aliis. Quodſi ergo contrarium contingat, familiaris amicitia ſempiterna eſſe nequit: ſit ita quod dentur rationes particulares, quæ obſtant, quo minus omnis converſatio vitetur, aut amicitia degeneret in apertam inimicitiam.

§. 568.

De remediis jactantiæ.

Quæ adverſus ambitionem, arrogantiam, faſtum & ſuperbiam faciunt, remedia quoque adverſus jactantiam ſunt. Etenim jactator exiſtimationem, ideoque laudem & gloriam (§. 541. *part. 1. Jur. nat.* & §. 47. *Jur. Gen*.), affectat, & ea fini multa de ſe ſive vera, ſive falſa dicit (§. 282. *part. 3. Jur. nat.*), aut oſtentator factis ea aliis inſinuare ſtudet (§. 555.). Quamobrem cum ambitioſus cupiditate honoris inſatiabili flagret (§. 570. *part. 1. Jur. nat.*), faſtoſus plus ſibi tribuit perfectionis, quam revera convenit, & circa eandem plus ſibi ſeſe debere videtur, quam veritati conſentaneum (§. 583. *part. 1. Jur. nat.*), arrogans ſe honore dignum exiſtimet, quem non meretur (§. 566. *part. 1. Jur. nat.*) & ſuperbus ſupra alios ſe efferat (§. 888. *part. 1. Jur. nat.*); jactantia & quae ſub ea comprehenditur oſtentatio (§. 555.), ex ambitione, faſtu, arrogantia & ſuperbia ortum trahit. Deletis igitur vitiis hiſce deletur etiam jactantia, conſequenter quæ adverſus ambitionem, faſtum, arrogantiam & ſuperbiam faciunt, remedia quoque adverſus jactantiam ſunt.

Quoniam de vitiis iſtis abunde dictum eſt ſuo loco, cum de modeſtia & humilitate in parte tertia Ethicæ & de comitate

ſupra ageremus; non opus eſt, ut eadem hic denuo inculcentur. Et cum arrogantes inprimis de rebus & factis ſuis glorientur (§. 526. *part. 4. Eth.*); de eorum jactantia quoque annotavimus, quae huc trahi poſſunt (*not. §. cit.*). Ceterum pro diverſitate illorum vitiorum variant quoque verba & facta jactatorum & oſtentatorum. Huc etiam concurrit non uſus & abuſus facultatum cognoſcendi, concurrunt quoque vitia alia. Qui in Philoſophia morali ſatis fuerit verſatus & principiorum pſychologicorum gnarus, dicta & facta jactatorum & oſtentatorum haud difficulter ad cauſas ſuas revocabit, inſtituta analyſi morali eorum.

§. 569.

Vitium anonymum taciturnitati oppoſitum.

Datur etiam *Vitium anonymum*, quod taciturnitati opponitur, quando ſcilicet quis reticet ea, quæ dicere debebat, vel ſilet, quando loqui conveniebat. *Quando quis reticet ea, quæ dicere debebat*, conſequenter cum ad idem dicendum obligaretur (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *ſilentium pugnat cum obligatione naturali*, ſeu *officio quodam* (§. 225. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque *aliis, ſubinde etiam ſilenti damnoſum* (§. 265. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum omne damnum ab aliis & a nobis avertere debeamus (§. 493. 495. *part. 2. Jur. nat.*), & quicquid cum officio aliquo pugnat legi naturæ adverſetur (§. 225. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quicquid vero legi naturæ adverſum ad vitium adſcribendum ſit (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *ſilentium pugnans cum aliquo officio, ſeu quomodocunque vergens in detrimentum ſui, vel aliorum vitium eſt.* Enimvero *ſi quis tacet, quando loqui potius conveniebat*, cum ſilentium non pugnet cum officio aliquo *per hypotheſin*, ideoque nihil reticeatur, quod dici intererat ullius; *id ad indecorum referendum* (§. 195. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Exinde patet, vitium hoc potiſſimum conſiſtere in ſilentio cum officio quodam pugnante. Quamvis vero id nomine

care-

careat, latiſſime tamen patet. Pertinent huc omnes caſus, in quibus celantur, aut diſſimulantur, quæ dicenda erant. Atque hoc vitium haud raro maxime pernicioſum eſt. Habet autem ſuos gradus, prouti eodem directe intenditur detrimentum alterius, aut ob alias cauſas reticetur, quod dicendum erat. Sed demus exempla. Vides incendium oriri intra ædes, quod facile compeſci poterat, antequam vires caperet; ſed præteriens taces, vel quod parum cures damnum alienum, vel odio flagrans poſſeſſoris damno delecteris. Silentium pugnans cum obligatione avertendi damnum ab alio quocunque (§. 495. *part.* 2. *Jur. nat.*) illicitum eſt: aſt cum in caſu priori proficiſcatur ex defectu amoris, in poſteriori ex odio, in hoc utique major eſt vitioſitas, quam in illo. Celas parentes malefacta liberorum, qui tempeſtive moniti mores eorum corrigere poterant, ne male agendi conſuetudinem contraherent. Pugnat ſilentium cum obligatione id minime agendi, ut alter in vitio perſeveret (§. 713. *part.* 1. *Jur. nat.*), aut impediendi aliquem, ne alterum a vitio avocet (§. 712. *part.* 1. *Jur. nat.*), ideoque illicitum eſt. Narrat tibi non nemo, Titium a ſe mutuo petere mille ducatos. Tu noſti eum ære alieno oppreſſum eſſe, ut ſolvendo non ſit: aſt de eo ſiles. Patet ut ante ſilentium tuum eſſe illicitum. Ex hiſce exemplis liquet, quomodo ſilentium illicitum detegatur & in gradum vitioſitatis inquiratur. Plura igitur ut addamus opus non eſt.

§. 570.

Quoniam ſilentium pugnans cum obligatione naturali ad vitium adſcribendum taciturnitati oppoſitum (§. 569.), naturaliter autem obligamur ad perfectionem aliorum conferre, quantum conferre valemus (§. 222. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *ſi quis vel lucri ſui, vel alia quacunque de cauſa inventum multis utile premit & ex eo arcanum facit* (§. 267. *part.* 3. *Jur. nat.*), *fictio hæc arcani ad vitium anonymum taciturnitati oppoſitum referenda.* *De arcanis illicitis.*

Exemplum luculentiſſimum iſtiusmodi arcanorum præbent vulgo ſic dicta arcana Medicorum, Medicis cordatis ac piis dudum improbata. *Sennertus* in Tractatu de Conſenſu & Diſſenſu Galenicorum & Peripateticorum cum Chymicis c. 18. f. 256. Tom. I. Oper. modeſte reprehendens Medicos utilia medicamenta occultantes ſe dubitare dicit, an ſalva conſcientia hoc fieri poſſit, cum id repugnet amori univerſali, quo unusquisque alterum diligere debet tanquam ſeipſum (§. 632. *part. 1. Jur. nat.*). Addit vero, ut pateat, cur charitatis obliviſcantur, ſi penitius inquiratur in cauſas, ob quas nonnulli ſua, quæ ita appellant, ſecreta occultent, avaritiam & invidiam primarias eſſe cauſas, quod nimirum metuant, ne, ſi aliis Medicis illa medicamenta innoteſcant, lucri aliquid decedat, aut certe quod aliis ſe plus ſapere videri velint. Et quoniam ſupponit, utilia revera medicamenta occultari, addit porro, ſæpiſſime accidere, ut & ipſi morte inopinata abripiantur, atque ita talentum & theſaurus iſte abſconditus nulli mortalium innoteſcat. Enimvero cum Medici arcana avaritiæ cauſa crepantes & circumforaneorum more eorum efficaciam ſchedis impreſſis ebuccinantes haud raro pro ſingularibus medicamentis venditent, quæ non ſunt, nec aliis vulgo notis præſtant, ut caro pretio vendant, quæ multo leviori parari poterant; eos ſordido lucro inhiare ac modo acquirendi parum honeſto pecunias corradere ecquis dubitet, præſertim cum mendaciis augere ſoleant virtutes medicamentorum ſuorum, ut tanto facilius emtores plures inveniant. Accedit, quod haud raro homines Medicinæ imperiti loco parum conveniente medicamentis iſtiusmodi utantur, ſicque arcanorum venditor ſanitati illorum noceat, quibus conſulere debebat. Nihil vero abſurdius eſt, quam ſi quis obtendat, ſe amore generis humani & miſericordia erga miſeros commotum hæc medicamenta diſtrahere: luce enim meridiana clarior eſt contradictio. Ecquis enim adeo hebes eſt, ne videat, multo rectius conſuli ægris in univerſum omnibus, ſi compoſitio medicamentorum manifeſtetur, ut vel a quolibet Medico, vel a phar-

Digitized by Google

pharmacopolis componi poſſint. Amant iſtiusmodi arcana etiam artifices & eruditi, non avaritiæ, ſed gloriæ cauſa, ut iis ſuperbientes ſupra alios ſeſe efferre poſſint. Ceterum in hunc cenſum referendi non ſunt, qui inventa utilia pro certa pecunia venalia offerunt aliis, ut habeant laboris præmium, & ſi in ea quosdam fecerunt ſumtus eosdem recipiant. Si quid enim hic aliqua in parte peccatur, id ex aliis vitiis in actionem per ſe minime inhoneſtam irrepit, eique labem quandam adſpergit.

§. 571.

De iis, qui non loquuntur, quando conveniebat.

Qui non loquuntur, quando loqui conveniebat; ad converſationem inepti ſunt. Converſamur enim cum aliis confabulandi cauſa. Quamobrem in converſatione, niſi debeat eſſe inutilis nec nomine ſuo digna, loquendum, non tacendum. Qui ergo non loquuntur, quando loqui conveniebat, ad converſationem inepti ſunt.

Quamvis ad ea loquenda, de quibus in converſatione verba miſcentur, nulla ſpecialis detur obligatio, cui ſatisfaciendum, ne officio cuidam deſis; non tamen propterea ſermo temerarius eſt, lege naturali prohibitus (§. 278. *part. 3. Jur. nat*). Colloqui enim poſſumus de rebus utilibus & de iis, quæ facta ſunt, ut augeatur experientia, quæ tanti momenti eſt in Moralibus. Si qui vero experientiæ non eum faciant uſum, quem facere poterant & debebant, id culpæ ipſorum tribuendum. Et ſi qui in converſatione nugantur, aut jocis obſcœnis & indecoris indulgent, vel alio modo in loquendo peccant; id converſationi minime tribuendum, ex qua omnis ſermo illicitus exulare debebat. Honeſtæ converſationi minime convenit, quod a virtute alienum, quodque nonniſi vitia quædam ſuadent. Qui vero inſtar piſcis mutus eſt, in converſatione alteri moleſtus eſt, ſi ſolus cum ſolo converſetur, ſi vero plures fuerint præſentes, inutilis eſt ipſius præſentia.

Neque

Neque enim homines conveniunt, ut ſe mutuo intueantur, ſed ut familiaribus colloquuis animum recreent.

§. 572.

De naturali timiditate.

Qui natura timidi ſunt, non loquuntur, quando conveniebat. Qui enim natura timidi ſunt, ſemper verentur, ne forſitan dicant, quæ aliis dent anſam ſiniſtre de ſe judicandi. Quamobrem cum per ſe pateat, nemini placere, ut ſiniſtre de ſe judicent alii, & opinione hujus judicii concitetur pudor (§. 374. *part. 2. Eth.*), qui tendit ad delendam memoriam facti, quod nos pudet (§. 375. *part. 2. Eth.*), ideoque in eo caſu, in quo ſaltem nobis metuimus a ſiniſtro aliorum judicio, pudor impedit, quo minus faciamus, quod ſiniſtrum judicium meretur; qui natura timidi ſunt, eorum os pudor opprimit, ne loquantur. Itaque non loquuntur, quando *loqui* conveniebat.

Quodſi rem penitius inſpiciamus, ſi non ſemper, attamen ſæpiſſime in ſilentium hoc intempeſtivum gloria quoque influit. Neque ſemper id ad vitium quoddam originem ſuam refert. Quoniam tamen ad converſationem ineptus eſt, qui non loquitur, quando loqui conveniebat (§. 571.), danturque caſus varii, in quibus timiditate ſua ſibi nocet, qui loqui neſcit, quando conveniebat, & naturalis quoque ad decorum datur obligatio (§. 204. *part. 1. Phil. pract. univ.*); neceſſe eſt ut intempeſtiva timiditas expellatur: id quod fieri nequit niſi doceamur, quid in converſatione loquendum ſit, & ut cum aliis de rebus neceſſariis loqui adſueſcamus, ita enim conſuetudo nos faciet audentiores.

§. 573.

Urbanitas quid ſit, & Per *Urbanitatem* intelligimus virtutem, quæ regit decorum. Quamobrem *urbanus in omnibus ſuis actionibus externis obſer-*

obſervat: quod cum vel naturale ſit, vel arbitrarium (§. 196. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & lex naturæ nos obliget ad actionem decoram indecoræ præferendam (§. 203. *part. 1. Phil. pract. univ.*), cumque decorum arbitrarium aliis placeat, ideoque amorem ipſorum nobis conciliet (§. 645. *Pſych. empir.*), conſequenter eos nobis amicos reddat (§. 625. *part. 1. Jur. nat.*), atque alios nobis amicos reddere obligemur (§. 636. *part. 1. Jur. nat.*), *urbanus decorum tam naturale, quam arbitrarium obſervat, & urbanitas virtus eſt* (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *cur urbani eſſe debeamus.*

Urbanitas a nonnullis etiam vocatur *Civilitas*, itemque *Comitas*: ſed comitatis nomine ſupra virtutem aliam indigitavimus, in cujus exercitio multum ſibi locum vindicat urbanitas. Spectatur urbanitas in verbis, in ore geſtuve, quemadmodum *Quintilianus* dudum obſervavit: habenda tamen eſt ejus cauſa in actionibus quibuscunque etiam ratio temporis, loci, perſonarum aliarumque circumſtantiarum & ipſæ actiones determinationes quasdam inde recipiunt. Quodſi ea perpenduntur, quæ eo fine demonſtravimus alibi (§. 429. & *ſeqq. part. 1. Jur. nat.*); de decoro in ſingulis actionum generibus judicium exactum ferre poterimus. Quamvis enim quæ ad decorum ſpectant experientia magiſtra potiſſimum addiſcenda videantur; cum tamen non omne decorum opinione ſaltem hominum nitatur, ſed in iis etiam, quæ vulgo arbitraria cenſentur, lateat naturalis ratio, ex virtutibus derivata, ut decorum juſto pretio æſtimemus, ideoque eo lubentius eidem operam navemus, naturalis illa ratio ſollicite perquirenda, ne ſaltem ad ſimilitudinem aliorum cœca imitatione mores noſtros fingamus. Cum Ethica potiſſimum deſtinetur virtutibus explicandis; quæ ad decorum, in quo morum elegantia conſiſtit, pertinent, peculiarem requirunt tractationem, quam aliis relinquimus, quibus telam hanc pertexere volupe fuerit. Sufficit nos tradidiſſe principia generalia, quæ ad eam ducunt. Vulgo urbanitas dicitur verſari circa jocoſa, ut nihil dicamus

Digitized by Google

vel quod nos dicere, vel alios audire dedeceat; aſt definitio hæc nimis anguſta eſt, cum ad ſolum ſermonem reſtringatur urbanitas, nec objectum ejus ſatis determinatur.

§. 574.

Motivum urbanitatis. Quoniam urbanitas benevolentiæ & amicitiæ conciliatrix (§. 573.), & quatenus cum urbano homine jucunda converſatio (§. *cit.*), amicitiæ quoque conſervatrix eſt, *urbanitatis motivum eſt benevolentiæ & amicitiæ conciliatio hujusque conſervatio.*

Accedit ad motivum hoc exiſtimatio (§. 538. *part. 1. Jur. nat.*), qua nos dignos reddere debemus (§. 545. *part. 1. Jur. nat.*). Addi quoque poterat, quod pulchritudinem virtutis augeat, cum decorum inſigne ejus ornamentum ſit, præſertim ſi ex virtutibus derivetur ejus ratio, ut virtutis una ſignum ſit, quod eam illuſtriorem magisque conſpicuam reddit. Qui pietatis quodam intempeſtivo zelo ducti urbanitatem ad vanitatem referunt, eamque ſi non contemnunt, ſaltem parum curant, eidemque non magnum pretium decernunt, decori diſtinctam notionem minime habent, multo minus obligationem naturalem ad decorum capiunt. Firmant ipſorum præjudicium opiniones aliæ ab ignorantia Philoſophiæ moralis profectæ.

§. 575.

De ruſticitate. Urbanitati opponitur *Ruſticitas*, quod eſt vitium in neglectu decori & habitu indecori conſiſtens. *Ruſticitatis* itaque *cauſa eſt decori ignorantia*, & *incogitantia* (§. 748. *part. 1. Phil. pract. univ.*) *atque converſatio cum hominibus, qui ruſticis moribus præditi ſunt*, quoniam conſtat homines mores ſuos formare ad ſimilitudinem aliorum, quando ratione minime regunt actiones ſuas.

Quemadmodum urbanitas multo latius patet, quam videbatur, ſi diſtinctam decori notionem habemus; ita quoque ruſti-

Digitized by Google

ruſticitas ad neglectum omnis decori & omne indecorum ex-tenſa multo latius patet, quam videtur, ſi in confuſa & vaga indecori notione acquieſcas. Quemadmodum vero decorum aliud naturale eſt, aliud arbitrarium; ita quoque indecorum vel naturale, vel arbitrarium eſt (§. 196. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Et quemadmodum rationes decori petuntur a virtutibus (§. 437. *part. 1. Jur. nat.*); ita indecori rationes a vitiis (§. 438. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem indecorum naturale a priori agnoſcitur, ſi convenientiam cum vitiis & diſconvenientiam cum virtutibus expendamus, quemadmodum patet ex exemplis, quæ dedimus, cum principia generalia decori & indecori traderemus (*not.* §. 441. & *ſeqq. part. 1. Jur. nat.*): arbitrarium, cum opinione hominum introductum ſit, nonniſi uſu addiſcitur. Enimvero ſicuti in Ethica tantummodo virtutes tradere inſtituimus tractationem de morum elegantia aliis relinquentes (*not.* §. 573.); ita quoque noſtrum in præſenti non eſt ruſticitatem ex inſtituto explicare. Tenendum vero eſt, non omne decorum conſuetudine introductum pro arbitrario habendum. Inquirendum igitur eſt in rationem, haud difficulter detegendam, ſi virtutum ac vitiorum indolem intimius perſpicias, ne naturale uſu comprobatum ad arbitrarium referas. Notandum quoque decorum, ſi non in totum, ſaltem magna ex parte doceri per indecorum.

CAPUT VIII.

De Juſtitia & Sinceritate.

§. 576.

Quænam cognoſcere debeat qui juſtus eſſe vult.

Q*ui juſtus eſſe vult, quodnam jus aliis competat accurate cognoſcere debet.* Juſtitia enim virtus eſt, qua jus ſuum cuique tribuitur (§. 926. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter juſtus nihil committit, quod contra jus alterius eſt, nec quicquam omittit, quod ſtante eodem fieri debet (§. 240. *part. 1.* *Phil.*

Phil. pract. univ.), ideoque unicuique præſtat, ad quod præſtandum ipſi obligatur, nec ullo modo impedit, quo minus faciat, quod ipſi licitum, multo minus ſibi jus, quod eſt alterius, arrogat ſive in totum, ſive ex parte. Quoniam itaque hoc facere nequit, niſi qui accurate novit, quodnam jus alteri competat; qui juſt eſſe vult, accurate cognoſcere tenetur, quodnam jus aliis competat.

Juſtitia ſpectatur in actionibus, quæ reſpiciunt alios. Quoniam vero actiones aliæ ſunt poſitivæ, aliæ privativæ, ideo juſtitiæ duæ ſunt partes, quarum altera verſatur circa actiones poſitivas, ut ſuum cuique tribuatur, alterum vero circa negativas, ut nemo lædatur. Quamobrem qui juſtus eſſe vult, & ſuum cuique tribuere, & neminem lædere debet. Quoniam vero jura naturaliter homini competentia & læſiones lege naturæ prohibitæ multo latius patent, quam lege civili definiuntur; civiliter tantummodo juſtus nondum pro moraliter juſto habendus. Juſtitia, quatenus virtus eſt & in Philoſophia morali locum ſibi vindicat, exigit, ut ſis moraliter juſtus. Lex civilis in nonnullis, quæ minime juſta ſunt, vi principiorum politicorum dat impunitatem, non vero jus agendi. Quamvis itaque ob injuſtitiam non puniatur, non tamen propterea juſtus cenſetur, quem lex naturæ pro injuſto declarat. Præterea in civilibus tantummodo attenditur actio externa; in moralibus autem recta quoque requiritur voluntas, quæ tam diu præſumitur, donec probetur contrarium. Et ideo *Ulpianus* juſtitiam definit per voluntatem conſtantem & perpetuam jus ſuum cuique tribuendi, quæ virtuti propria eſt (§. 328. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Vide, quæ uberius expoſuimus in Horis Subſecivis Marburgenſibus A. 1729. trim. Vern. n. II.

§. 577.

De jure perfecto ab im- Quoniam qui juſtus eſſe vult, accurate cognoſcere debet, quodnam jus aliis competat (§. 576.), jus vero aliud per-

perfectum eſt; aliud imperfectum (§. 235. 237. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & juſtitia circa jus perfectum, æquitas circa imperfectum verſatur (§. 240. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *Qui juſtus eſſe vult, jus perfectum ab imperfecto accurate diſcernere*, cumque virtus actiones dirigat legi naturæ convenienter (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *illud juxta legem naturalem determinare debet.* Et quoniam jus omne oritur ex obligatione paſſiva (§. 23. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter ſi alteri competit aliquod jus, tu ad aliquid faciendum, vel non faciendum alteri obligatus es, vel etiam ad patiendum, ut alter quid faciat, immo etiam non faciat, obligatio vero iſta vel naturalis eſt, quæ a lege naturæ venit (§. 141. *part. 1. Phil. pract. univ.*), vel contracta, quæ ex promiſſione reſultat (§. 393. *part. 3. Jur. nat.*); *jura* quoque *naturalia ab acquiſitis ſunt diſcernenda & obligatio cuilibet juri reſpondens ſimul attendenda venit.* *Jus perfecto diſtingvenda.*

In Jure naturæ demonſtrantur omnes hominis obligationes & jura omnia inde reſultantia, & in eodem quoque docetur, quomodo obligationes contrahantur & jura acquirantur, quidque obſervandum ſit, ne in illis contrahendis & his acquirendis quicquam committatur, quod æquitati adverſum. Quicquid igitur ſcire tenetur, qui ne latum quidem ungvem a juſtitia recedere vult, ex Jure naturæ hauriendum: quod cum in omni ſua latitudine expoſuerimus, non opus eſt, ut hic prolixe inculcentur ad juſtitiam exercendam ſcitu neceſſaria. Quæ vero hic inculcantur, ea probe obſervanda ſunt, propterea quod alias facile contingit, ut in æſtimando jure alterius error committatur & incautus limites juſtitiæ tranſilias. Sane longe plurimi ſunt, qui juſtitiam ad obligationes contractas unice reſtringunt, immo nec his tribuunt omnem ſuam latitudinem, quam habere debent. Quemadmodum omni virtuti accidit, ut, qui non ſufficiente Juris naturæ ſcientia inſtructus eſt, multa quæ eidem contraria ſunt non agnoſcat; ita de eo quoque, quod juſtum eſt, non ſemper ſentit, quem-

admodum debet, niſi qui omnem obligationem ſuam & jura inde naſcentia, vel iisdem reſpondentia ex parte alterius intime perſpicit & naturalia ab acquiſitis accurate dividit: id quod ex iis, quæ ſequuntur, clarius eluceſcit.

§. 578.

Juſtitiæ officium. *Juſtitia dirigit actiones hominis circa jura perfecta aliis competentia.* Tribuit enim unicuique jus ſuum (§. 926. *part.* 1. *Jur. nat.*), conſequenter cavet, ne quicquam committatur contra jus alterius, conſequenter quo idem vel tollitur, vel diminuitur, vel uſus ejus quomodocunque impeditur (§ 239. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), nec quicquam omittatur, quod ſtante eodem fieri debet (§. 240. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Juſtitia igitur dirigit actiones hominis circa jura aliis competentia.

Videmus itaque, juſtitiam peculiarem eſſe virtutem eamque maximi momenti, cum omnium interſit, ne jura ſua ab altero quocunque modo violentur, ſed ut iisdem non impeditus fruatur,

§. 579.

Quousque idem extendatur. Quoniam juſtitia dirigit actiones hominis circa jura perfecta aliis competentia (§. 578.), hæc vero homini vel natura competunt, vel acquiſita fuerunt, & naturaliter quidem competunt jus ad ea, ſine quibus obligationi naturali ſatisfieri nequit (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), æqualitas (§. 81. *part.* 1. *Jur. nat.*) & libertas naturalis (§. 146. *part.* 1. *Jur. nat.*), ſecuritas (§. 918. *part.* 1. *Jur. nat.*), indeque natum jus defenſionis (§. 973. *part.* 1. *Jur. nat.*) & jus puniendi lædentem (§. 1061. *part.* 1. *Jur. nat.*), jus petendi officia humanitatis (§. 904. *part.* 1. *Jur nat.*) & jus ad ea alterum ſibi perfecte obligandi (§. 404. 431. *part.* 3. *Jur. nat*), quo acquiruntur jura perfecta, quibus introductio dominii locum fecit, cujus modus acquirendi

rendi

Digitized by Google

rendi derivativus lege naturali definitur (*§. 1. & ſeqq. part. 3. Jur. nat.*), unde porro fluunt omnes contractus, ſeu pacta omnia, quemadmodum in Jure naturæ demonſtratur; *qui juſtus eſt, nihil committit, quod æqualitati & libertati naturali, ſecuritati & juri petendi officia humanitatis adverſatur, nec omittit, quod juribus iſtis ſalvis facere tenetur & in jure acquirendo nil committit, niſi quod lege naturæ præſcribitur.*

Prolixum nimis foret, ſi ex Jure naturæ repeterentur, quæ in modo acquirendi jura lex naturæ præſcribit: ea enim maximam Juris naturæ partem abſolvunt & ſcientiam Juris admodum amplam fecerunt. Naturalia jura, ex quibus tanquam fonte cetera profluunt & nos in ſyſtemate Juris naturæ concatenato nexu deduximus, facilius comprehenduntur & ſine prolixitate recenſeri hic potuerunt, immo etiam debuerunt, quia plerique de eo, quod juſtum eſt, animum ſaltem advertunt ad jura acquiſita, quæ a dominio potiſſimum pendent, de connatis autem juribus parum cogitant, quorum tamen reverentiam maxime habere debet homo juſtus.

§. 580.

Quia juſtus in acquirendo jure nil committit, niſi quod lege naturæ præſcribitur (§. 579.); pacta autem, a quibus contractus naturaliter non differunt (§. 794. *part. 3. Jur. nat.*), ſunt ſervanda (§. 431. *part. 3. Jur. nat.*), conſequenter dandum, vel faciendum, quod in contractu promiſſum (§. 430. *part. 3. Jur. nat.*); *juſtus prompte præſtat, ad quod ex contractu præſtandum obligatur*, cumque ab omni facto, ſeu contractu fraus omnis abeſſe debeat (*§. 149. part. 5. Jur. nat.*), *ab omni fraude animum maxime alienum habet*, & quia pacta non ſervans fidem datam fallit, contra pacta vero agens, ſeu contrarium ejus, quod conventum fuerat, perfidus eſt (*§. 790. part. 3. Jur. nat.*), *fidei tenax eſt & perfidiam horret.* *Quomodo juſtus quoad contractus ſe gerat.*

Atque

Digitized by Google

Atque hæc ſunt, ex quibus vulgo juſtitia æſtimatur, & quibus juſtus ſe aliis commendat, propterea quod unicuique aperta ſunt, cum unusquisque velit alios ita ſeſe erga ſe gerere. Patet etiam inde utilitas juſtitiæ, quæ ipſam omnibus amabilem facit, quatenus volunt erga ſe omnes eſſe juſtos. Sentit enim unus quisque damnum, quod ipſi datur, ſi non præſtatur, quod præſtandum erat, aut ſi fraudatur. Ne tamen injuſtæ ſint querelæ, jura quoque rite æſtimanda (§. 577.). Conſtat nimirum, juris ignorantiam injuſtas parere querelas. Quamvis vero homines etiam ſine diſciplina ſenſum quendam jurium connatorum habent & ad ea provocant, quando contra ea ſibi quicquam fieri arbitrantur, vel etiam facta ſua defendunt; quoniam tamen eorum nonniſi confuſam quandam notionem habent, nec juſtitiæ omnem amplitudinem diſtincte animo comprehendunt, quod ea ad juſtitiam referenda ſint non conſiderant. Ac ideo contingit, ut arctioribus limitibus coarctetur juſtitia, quam fieri debebat.

§. 581.

Aequitatis officium.

Aequitas dirigit actiones hominis circa jura imperfecta aliis competentia. Unusquisque hominum ad perfectionem alterius ſtatumque ipſius conferre obligatur, quantum conferre valet (§. 222. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter quilibet obligatur alteri ad præſtanda officia humanitatis (§. 655. *part. 1. Jur. nat.*), nemini tamen eſt jus ad ea alterum cogendi (§. 658. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque jus ad ea competens nonniſi imperfectum eſt (§. 237. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum æquum ſit, quod convenit juri imperfecto alterius (§. 240. *part. 1. Phil. pract. univ.*), lex vero naturæ regat omnes hominis actiones, ideoque etiam opus ſit virtute, quæ dirigit actiones hominis circa jura imperfecta homini competentia (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*); æquitas hæc virtus eſt, quæ dirigit actiones hominis circa jura imperfecta aliis competentia.

Quo-

Digitized by Google

Quoniam jus perfectum ab imperfecto & juſtum ab æquo diſtingvimus; virtutes quoque duæ conſtituendæ ſunt, quarum altera circa jura perfecta, altera circa imperfecta verſatur, conſequenter altera circa id, quod juſtum eſt, altera circa id, quod æquum eſt. Illa Juſtititiæ nomine venit; hæc vero Aequitas vocatur. Poterat itaque *Aequitas* definiri per virtutem, qua in actionibus noſtris nos æquos præbemus omnibus, ſeu, quod eodem redit, qua unicuique tribuitur, quod juri ipſius imperfecto convenit, veluti ſi egeno des eleemoſynam, ſi opifici diligenti des modicum quid ultra mercedem debitam, ſeu conventam, ſi des conſilium conſilii inopi, ſi uſuras juſtis minores, aut nullas pro pecunia mutuata accipias a debitore paupere, ſi nolis munera accipere, quæ danti magis moleſta, quam tibi utilia, ſi meritam cuique tribuas laudem & ita porro.

§. 582.

Qui æquus eſt etiam juſtus eſt. Qui enim æquus eſt voluntatem conſtantem ac perpetuam habet jus imperfectum ſuum unicuique tribuendi (*not.* §. *præc.* & §. 328. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); qui vero juſtus eſt, voluntatem conſtantem ac perpetuam jus perfectum ſuum unicuique tribuendi (§. 926. *part* 1 *Jur. nat.* & §. 328. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero alter, cui obligaris, non habet jus te cogendi ut tribuas, ſi tribuere nolis imperfectum (§. 237. *part.* 1. *Phil pract. univ.*), habet vero, ſi tribuere recuſes perfectum (§. 235. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem ſi quis nunquam ulla ratione ſe permoveri patitur, ne alteri tribuat jus imperfectum, cum tamen ei in voluntate ſua ſit acquieſcendum (§. 1062. *part.* 1. *Theol. nat.*); is multo minus ſe permoveri patietur, ne alteri tribuat jus perfectum, qui in voluntate ſua acquieſcere non tenetur, ſed ad tribuendum compellere poteſt. *De nexu æquitatis cum juſtitia.*

Arctus admodum inter æquitatem & juſtitiam nexus eſt, ita ut in ſenſu morali vix juſtus dici mereatur, niſi idem æquus

fuerit. In ſenſu enim morali potiſſimum reſpicitur animus, non ſaltem actus externus. Obligatio interna, quæ in conſcientia ſpectatur, quamvis nullum effectum juris ſortiatur inter homines, eadem eſt in æquitate & juſtitia (§. 656. *part. 1. Jur. nat.*), & non minus peccas, ſi æquus non es, quam ſi non fueris juſtus, etſi in priori caſu impune facias, quod non faciendum erat, inter homines. Virtuoſus agit ſecundum obligationem internam amore virtutis, parum igitur curat externam, a qua pendet jus cogendi, quod jus perfectum efficit, quod huic congruum facturus, etiamſi nemo eſſet qui ipſum ad faciendum compellere, aut propter factum punire poſſet. Quatenus igitur vere juſtus alteri tribuit jus ſuum, hoc lubenter facit, quia legi naturæ conveniens. Animus igitur ejus in juſtitia & æquitate idem eſt. Agitur vero in Philoſophia morali de juſtitia tanquam de virtute, ideoque nexus juſtitiæ cum æquitate probe perpendendus.

§. 583.

Aequitatem eſſe juſtitiæ medium.

Quoniam qui æquus eſt etiam juſtus eſt (§. 582.); *qui æquitati ſtudet, juſtitiæ quoque adſueſcit.*

Actio juſta & æqua in conſcientia conveniunt, conſequenter qui actionem edere non vult æquitati adverſam, is quoque edere nolet juſtitiæ contrariam. Juſtitia itaque non exigit peculiare ſtudium, quod ſit a ſtudio æquitatis diverſum. Non tamen propterea eſt, quod exiſtimes, in Ethica perperam æquitatem a juſtitia diſtingvi. Dantur enim obſervanda in actione juſta, quæ non attendenda veniunt in æqua. Actione injuſta damnum infers alteri; iniqua ſaltem alterum deſtituis ope tua. Illa belli cauſa eſt, hæc ſaltem locum facit querelis & patientiam exigit. Ad alia officia ducit illa, ad alia hæc: id quod in caſibus particularibus luculentius multo patet. Accedit, quod cura famæ juſtitiam fortius commendet, quam æquitatem, cum illa omnibus pateat, de hac autem difficile ſit judicium. Conſiderandum quoque, quod injuſtitia moleſtias mul-

Digitized by Google

multas pariens felicitati hominum magis noceat, quam iniquitas, quæ aut nullas parit, aut patientia emolliendas. Ab hac differentia petuntur motiva in caſibus particularibus, ne appetitus ſenſitivus prævaleat adverſus rationalem, & actionum ſequentium cum præſentibus conſenſus derivatur.

§. 584.

Juſtitia univerſalis exigit, ut omnes noſtras actiones referamus ad alios quoscunque atque inquiramus, quomodo faciant vel ad perfectionem, vel imperfectionem aliorum quorumcunque. Juſtitia enim univerſalis virtus eſt, qua aliis tribuitur jus ſuum quoad omnes noſtras actiones, quatenus reſpiciunt alios (§. 934. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quodſi ergo eandem colere velimus, neceſſe eſt ut omnes noſtras actiones ad alios quoscunque referamus cognituri, quomodo ſeſe habeant ad alios. Enimvero conſtat nos obligari, ut aliorum perfectionem promoveamus (§. 222. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), nihil vero ad eorum imperfectionem conferamus (§. 231. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cognituri, quomodo actiones noſtræ ſeſe habeant ad alios, inquirire tenemur, quomodo faciant ad perfectionem, vel imperfectionem aliorum. *Quidnam exigat juſtitia univerſalis.*

Monuimus jam alibi, juſtitiam univerſalem diffundi per omnes virtutes, cum tamen ab iis diverſa ſit, non recte haberi pro complexu omnium virtutum (*not.* §. 934. *part.* 1. *Jur. nat.*). Dedimus quoque exemplum hominis temperantis, qui, dum ſanitati ac vitæ ſuæ conſulit, ſimul Reip. ſe utilem præbet, exemplo ſuo aliis temperantiam commendat, ad intemperantiam minime ſeducit, immo, quod addendum, familiæ ſuæ conſulit, ad miſeris opem ferendam ſe aptum reddit, & ſimul in ſuo vitæ genere aliis rectius & diutius inſervire poteſt, ut taceam alia, quæ a circumſtantiis particularibus dependent. Hæc omnia ut perpendamus & ut probe perpenſa ingrediantur motivum temperantiæ juſtitia univerſalis exigit. Non

Digitized by Google

ſufficit, ut in eorum numero ſint pleraque, quæ ſua ſponte inde fluunt: ſed neceſſe eſt, ut ea quoque intendamus & per ea pulchritudo virtutis penitius inſpiciatur, eaque nobis ſeſe commendet. Facit hoc ad felicitatem noſtram, quatenus eadem magis delectamur (§. 638. *Pſych. empir.*), & hinc uberius intelligitur, quod ſine virtute nemo felix eſſe poſſit, nec felicitas a virtute ſejungi queat (§. 400. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Patet vero, quam amplus ſeſe offerat dicendorum campus, ſi eúndo per omnes virtutes oſtendere vellemus, quomodo juſtitia univerſalis ſeſe in iisdem exerat. Non tamen opus eſt, ut in hanc prolixitatem deſcendamus, quam præſens quoque inſtitutum minime fert: qui enim ea tenet, quæ de ſingulis virtutibus demonſtravimus, is per ſe videbit, quæ juſtitia univerſalis attendi jubet.

§. 585.

Circa quodnam jus verſetur juſtitia univerſalis.

Quoniam in Juſtitia univerſali actiones quascunque noſtras referimus ad alios, easque conſideramus, quomodo faciant vel ad perfectionem, vel imperfectionem aliorum quorumcunque (§. 584.), conſequenter ſaltem attenditur obligatio interna (§. 656. *part. 1. Jur. nat.* & §. 222. 231. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque ceſſat differentia inter jus perfectum & imperfectum (§. 236. 238. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *Juſtitia univerſalis in omni actione tribuit aliis jus ſuum, ſive perfectum fuerit, ſive imperfectum, plerumque tamen non reſpicit niſi officia erga alios, ad quæ nonniſi jus imperfectum habent alii* (§. 658. *part. 1. Jur. nat.*).

Cum Juſtitia univerſalis non conſideretur niſi ut virtus, quæ ad omnem virtutem aliam, ipſam etiam Juſtitiam, de qua ante diximus, qua ſcilicet unicuique tribuitur jus ſuum perfectum, & quæ in oppoſitione ad juſtitiam univerſalem *particularis* dici ſuevit; ea quoque non aliter conſideratur, quam habitus obligationi naturali ſatisfaciendi (§. 333. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Digitized by Google

univ.). Et quoniam virtuoſus actiones legi naturæ conformes cum gaudio committit (§. 348. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque ambabus manibus arripit omnem occaſionem, qua obligationi ſuæ ſatisfacere poteſt; virtutis ſtrenuo cultori nihil magis convenit, quam juſtitia univerſalis. Notandum quoque ad ipſam juſtitiam particularem accedere poſſe univerſalem, quatenus in præſtatione ejus, quod alteri debes, etiam reſpicis aliorum utilitatem, non modo dum exemplo tuo prodes aliis, verum etiam aliorum commodum promoves, vel damnum quoddam ab aliis avertis. Ponamus te opifici prompte ſolvere mercedem, qui pecunia indiget aliis ſolvenda: eo ipſo alii quoque commodum ex promta tua ſolutione percipiunt. Quando quod mutuo datum præciſe reſtituis; mutuans facilior erit ad mutuandum quoque aliis.

§. 586.

Quomodo omni officio inſint officia erga alios.

Quoniam Juſtitia univerſalis locum habet in omnibus actionibus (§. 584.), conſequenter in quolibet officio cum erga ſe, tum erga alios, immo erga ipſum Deum (§. 226. *part. 1. Phil. pract. univ.*), eadem vero reſpicit officia erga alios (§. 585.); *ſi juſtitia univerſalis ad cetera officia accedit, ſatisfaciendo officio erga teipſum, vel erga alium quendam, immo erga ipſum Deum ſimul ſatisfacis officio in primo & tertio caſu erga alios & in ſecundo erga perſonas alias, cum quibus tibi negotium non eſt.*

Qui juſtitiam univerſalem colit, dum ſibi prodeſt prodeſſe quoque vult aliis, & dum alteri cuidam prodeſt prodeſſe una vult aliis. Atque hoc pacto in omnibus ſuis actionibus intendit etiam commodum aliorum, ut nullum ſit officium, cui non ſimul inſint officia erga alios. Apparet hinc, quod juſtitia univerſalis maxime efficiat, ut homini nihil utilius ſit homine, Optandum itaque foret, ut juſtitiæ univerſalis in agendo magis haberetur ratio, quam vulgo fieri ſolet. Quamvis vero nomen ignoretur, non tamen res ipſa ignota eſt. Etenim quemadmodum homines in cenſendis aliis acutiores

eſſe ſolent, quam in dirigendis actionibus ſuis; ita haud infrequenter reprehendentes aliena vitia audias provocare ad ea, quæ juſtitia univerſalis perpendenda urget.

§. 587.

Juſtitiæ univerſalis in virtutem influxus.

Juſtitia univerſalis ſtudium virtutis facilitat, ut ſcilicet ea facilius acquiratur & conſervetur. Juſtitia enim univerſalis jubet in omnibus actionibus rationem habere perfectionis & imperfectionis aliorum, ut ſcilicet ad illam promovendam, ad hanc vero præcavendam conferatur, quicquid in poteſtate tua eſt (§. 584.). Suppeditat itaque motiva cum iis conjungenda, per quæ voluntas agendi, aut noluntas non agendi determinatur (§. 887. 889. *Pſych. empir.*). Quamobrem neceſſe eſt, ut ardentius velis, quod appetis, aut nolis, quod averſaris, conſequenter appetitus & averſatio redditur fortior. Studium itaque virtutis tam in ea acquirenda, quam conſervanda redditur facilius.

Studium virtutis, quatenus ea acquirenda, in eo conſiſtit, ut ejusdem actionis repetitione acquiratur habitus (§. 430. *Pſych. empir.*), quatenus vero conſervanda, ut habitus acquiſitus continuo uſu conſervetur & perficiatur (§. 431. *Pſych. empir.*). Neceſſe igitur eſt ut in utroque caſu appetitus rationalis prævaleat adverſus ſenſitivum. Appetitus autem rationalis altero fortior effici nequit niſi per motiva (§. 887. *Pſych. empir.*), quæ cum augeat juſtitia univerſalis, vim majorem inde acquirit appetitus. Quamobrem cui virtus curæ, cordique eſt, ei juſtitia univerſalis ſemper ante oculos verſari debet.

§. 588.

Dependentia juſtitiæ univerſalis a charitate.

Juſtitia univerſalis a charitate dependet. Qui enim charitate imbutum animum poſſidet, alium quemcunque diligit tanquam ſeipſum (§. 620. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter ipſi conſtans & perpetua voluntas eſt aliorum perfectionem promoven-

movendi (§. 653. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum juſtitia univerſalis conſiderari jubeat in omni actione aliorum perfectionem promovendam & imperfectionem præcavendam (§. 584.); ejus in agendo rationem lubenter habet, qui charitate gaudet. Juſtitia igitur univerſalis a charitate dependet (§. 851. *Ontol.*).

Ad juſtitiam univerſalem cum ducat charitas, huic ſedulam operam navare debet, qui juſtitiam univerſalem exercere vult. Cum ad charitatem faciant ea, quæ ſupra de amore & dilectione aliorum uberius expoſuimus; non opus eſt, ut de alio medio eam acquirendi ſimus ſolliciti. Qui charitatem poſſidet, ejus animus jam diſpoſitus eſt ad juſtitiam univerſalem, conſequenter nihil amplius reſtat, quam ut norit, quod & quomodo in qualibet actione intendere debeat aliorum perfectionem promovendam & imperfectionem præcavendam. Ipſa autem charitas jam cognitum ſupponit, quomodo perfectio aliorum promoveatur, quomodo præcaveatur, & officia erga alios idem inſinuant.

§. 589.

De juſtitia & oppoſito Juſtitiæ univerſalis.

Juſtitiæ opponitur *Injuſtitia*, quæ eſt vitium, quo quis committere non veretur, quod fit contra jus alterius perfectum, conſequenter quo idem vel tollitur, vel diminuitur, vel uſus ejus quomodocunque impeditur (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Juſtitiæ autem univerſali opponitur *Neglectus ipſius*, ideoque *Oppoſitum Juſtitiæ univerſalis in mera privatione conſiſtit, ſeu in omiſſione ejus, quod fieri poterat & charitati maxime conveniebat* (§. 588.). Quoniam vero vitium conſiſtit in habitu actiones ſuas aliter determinandi, quam lege naturæ præſcribitur (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *neglectus juſtitiæ univerſalis tum demum pro vitio habendus, ſi quis nolit in actionibus ſuis animum quoque advertere ad ea, quibus ſe utilem ſimul præbet aliis, quando ipſi cum iisdem nullum eſt negotium.*

In

In Juſtitia modus excedi nequit, quemadmodum ſtatim patet, ſi conſideres quid dicatur juſtum. Quamobrem inutilis foret quæſtio, quodnam vitium opponatur juſtitiæ in exceſſu, quodnam in defectu. Sufficit noſſe, injuſtum eſſe, quod fit contra Jus alterius perfectum, ſicuti juſtum eſt, quod fit juxta jus perfectum alterius (§. 239. 240. *part. 2. Phil. pract. univ.*).

§. 590.

Quænam faciat injuſtus & fons injuriarum.

Quoniam injuſtus ea facit, quæ ſunt contra jus alterius perfectum (§. 589.), quando ſcilicet alteri perfecte obligatur (§. 242. *part. 1. Phil. pract. univ.*), actiones vero aliæ poſitivæ, aliæ privativæ ſunt; *injuſtus alios lædit, nec jus ſuum aliis tribuit.* Et quoniam vidatio juris injuria eſt (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*); *injuſtitia eſt fons omnium injuriarum.*

Repetendum hic eſt, quod ſupra annotavimus, læſiones hic accipiendas eſſe in omni ſua latitudine, quam eidem tribuimus in Jure naturæ (§. 673. & *ſeqq. part. 1. Jur. nat.*). Neque hic attenditur, num recepto ſignificatu in communi ſermone injuſtus dicatur, qui hoc vel iſtud facit, quod vi Juris naturæ ad læſiones referendum. De rebus ferendum eſt judicium ex notionibus, non vero ex ſignificatu, quem vulgus vocabulis impoſuit. Quodſi quis noverit, quæ juſta ſunt, nec ignorare poteſt, quæ ſunt injuſta. Quamobrem cum ſupra oſtenderimus, quænam ſcire debeat qui juſtus eſſe vult (§. 576. & *ſeqq.*); inde quoque intelligitur, quænam ſcire debeat, qui injuſtus eſſe non vult.

§. 591.

Iniquitas quid ſit.

Aequitati opponitur *Iniquitas*, quo quis committere non veretur, quod eſt contra jus imperfectum alterius, conſequenter quo idem vel tollitur, vel diminuitur, vel uſus ejus quomodocunque impeditur (§. 239. *part. 1. Phil pract. univ.*). Quamobrem cum nemo habeat jus ad officia humanitatis alterum

rum cogendi (§. 658. *part.* 1. *Jur. nat.*), ideoque ad ea nonniſi jus imperfectum nobis competit (§. 237. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*): *iniquus erga alios officia humanitatis non præſtat iis, qui iisdem indigent, quando poterat, vel etiam aliorum officia ſibi præſtita non remuneratur iis, qui tenuioris fortunæ ſunt.*

Quodſi juſtitiæ operam navantes jus perfectum ab imperfecto accurate diſcernere diſcamus (§. 577.); injuſtum ab iniquo haud difficulter dividemus: id quod vulgo in communi ſermone non ſatis accurate obſervatur. Dedimus exemplum iniquitatis de eo, qui opibus abundans egeno eleemoſynam denegat, aut quando eleemoſynæ colliguntur, nimis parce dat (*not.* §. 239. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), id quod etiam æquitati adverſum judicatur. Aſt non omnes æque agnoſcunt, iniquum eſſe, ſi quis uſuras civiliter juſtas accipit ab eo, cui eas dare admodum grave pro conditione ſua, quamvis æquitatem ejus prædicent, qui admodum modicis contentus. Dantur vero caſus longe plurimi alii, in quibus prorſus abſonum videtur iniquitatis alterum reum pronunciare, veluti ſi quis denegat conſilium, quod eidem impertiri poterat. Quoniam æquitas ad omnia officia humanitatis extenditur, quorum alia ad hanc, alia ad alias virtutes referuntur; ipſi veritati equidem non præjudicatur, quando iisdem contraria ſpecialibus nominibus inſigniuntur, non tamen inconſultum eſt, ut quoque conſiderentur tanquam charitati adverſæ, & hoc reſpectu ad iniquitatem referantur officia præſtare debemus tanquam naturaliter debita; eorundem itaque denegatio, quando præſtari a nobis poterant merenti, ſpectanda eſt tanquam juri imperfecto, quod alteri competit, adverſa, conſequenter tanquam iniqua.

§. 592.

Juſtitia pacem conſervat; injuſtitia bellum gignit. Qui enim juſtus eſt, is unicuique præſtat id, ad quod præſtandum ipſi *Effectus juſtitiæ & injuſtitiæ.*

Digitized by Google

ipſi obligatur, quodque ab eo exigi poteſt (§. 243. 236. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque jus perfectum nullius violat, conſequenter nemini injuriam facit (§. 859. *part.* 1. *Jur. nat.*); bello quoque cauſam non dat (§. 1109. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quodſi ergo ponamus homines omnes una viventes juſtitiam ſancte colere; deficiente cauſa belli bellum ceſſabit, conſequenter is erit ſtatus, in quo inter ipſos bellum non eſt: qui ſtatus cum pax ſit (§. 959. *Jur. Gent.*), juſtitia pacem conſervat. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi quis injuſtus eſt, alteri præſtare non vult, ad quod præſtandum ipſi perfecte obligatur (§. 242. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter alteri competit jus eum vi adigendi, ut præſtet (§. 236. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Idem intelligitur, ſi adverſus injuriam intentantem ſe ſuumque defendit. Enimvero natura unicuique competit jus belli *in* eum, qui jus perfectum nobis tribuere non vult (§. 1104. *part.* 1. *Jur. nat.*), ſeu non præſtare vult id, ad quod præſtandum perfecte obligatur (§. 236. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), & qui ſe vi defendit, aut pœnam ab eo ſumit, qui ipſum læſit, bellum gerit (§. 1114. *part.* 1. *Jur. nat.*). Patet itaque, injuſtitiam bellum gignere. *Quod erat alterum.*

Alterum quoque hoc modo demonſtratur. Injuſtitia eſt fons injuriarum (§. 590.). Enimvero injuria facta, vel facienda belli cauſa ſunt (§. 1109. *part.* 1. *Jur. nat.*). Injuſtitia igitur bellum gignit.

Propoſitio præſens intelligitur tam de bello publico, quam privato, & tam de pace publica, quam privata. Quodſi homines omnes eſſent juſti, & gentes omnes inter ſe juſtitiam colerent, nullum foret bellum, ſed pax perpetua foret. Quilibet jure ſuo quiete frui poſſet; fraus omnis exularet atque ubivis tuta foret fides. Diſcimus hinc, quanti facienda ſit juſtitia & quantopere damnanda injuſtitia. In civitate bel-

lum

lum privatum abiit in litem, quæ agitatur in foro: aſt lites quoque multorum malorum cauſa ſunt, nec minus optandum foret, ut lites ex civitate exularent, quam bellum publicum ex orbe terrarum. Hæc qui perpendit, juſtitiam amabit, injuſtitiam horrebit. Cum lex naturæ conſulat ſaluti generis humani, cui convenienter actiones humanas determinat virtus; juſtitia jura hominum tuetur, lites dirimens pacemque conſervans. Juſtitiam igitur ſuadet ratio, injuſtitiam introducunt perverſæ hominum cupiditates rationi adverſæ.

§. 593.

Juſtus moderatur amorem ſui & ſingulorum ſapientia. Amor ſui hominem impellit ad felicitatem ſuam promovendam & infelicitatem depellendam; amor vero alterius ad promovendum felicitatem & depellendam infelicitatem ejusdem (§. 292. *part.* 2. *Eth.*). Enimvero ſapientis eſt non modo eligere media certa, verum etiam lege naturæ minime prohibita (§. 443. *part.* 1. *Eth.*), conſequenter ſapientia obſtat, quo minus amor ſui vel aliorum nos impellat ad quicquam committendum, quod legi naturæ adverſum, ideoque cum homines promiſcue omnes amare debeamus tanquam nos ipſos (§. 632. *part.* 1. *Jur. nat.*), non ita bene cupere debemus nobis, vel cuidam alteri, ut male cupiamus aliis, & quoniam omnes homines natura æquales ſunt (§. 81. *part.* 1. *Jur. nat.*), jura omnium æque inviolabilia ſunt (§. 78. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum juſtus nil faciat, quod eſt contra jus alterius (§. 240. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); amorem ſui & aliorum ſapientia moderatur. *Juſtitiæ geneſis.*

Amor ſui & aliorum gignit cupiditates ſibi, vel alteri cuidam conſulendi cum læſione aliorum. Amor univerſalis tendit ad felicitatem omnium promovendam & infelicitatem depellendam (§. 292. *part.* 2. *Eth.*). Huic itaque adverſantur iſtæ cupiditates, quas refrænare ſapientis eſt, quippe fines parti-

 ticu-

Digitized by Google

ticulares ſubordinantis ultimo, ne ulla naſcatur contradictio (§. 440. *Pſych. emp.*). Apparet itaque, quod juſtitia ſit amoris ſui & aliorum directrix, ne is exorbitet, nec amore particulari violetur univerſalis. Atque ea ratio eſt, cur juſtitia ad fontem ſuum reducta definiatur per bonitatem ſapientiæ attemperatam (§. 1067. *part.* 1. *Theol. nat.*).

§. 594.

Quomodo vere juſti efficiamur.

Quoniam juſtus moderatur amorem ſui & aliorum ſapientia (§. 593.); *ſi juſti eſſe velimus, neceſſe eſt ut alios in univerſum omnes amemus tanquam nos ipſos & ſapientia caveamus, ne amore ſui, vel alterius cujusdam quicquam committatur, quod amori univerſali repugnat.*

Videmus itaque, quomodo vere juſti fiamus, ut nihil prorſus in actionibus noſtris deſiderari poſſit. Qui ea perpendit, quæ de ſapiente actionum noſtrarum directione, qualem vita perfecta requirit (§. 59. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), demonſtravimus (§. 58. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*); juſtitiæ geneſin luculentius perſpiciet. Amor univerſalis nunquam gignit cupiditates cuiquam damnoſas, ſed eædem naſcuntur ex amore ſui & aliorum in particulari, ſeu ſingulorum iſti contrario: ſapientis vero eſt amorem ſui & ſingulorum conformare univerſali. Atque ita obtinetur, ne bene cupiendo nobis, vel alteri cuidam male cupiamus aliis, conſequenter ne commodum noſtrum, vel alterius cujusdam, quem amamus, promoveamus cum detrimento aliorum.

§. 595.

De geneſi injuſtitiæ.

Qui amorem ſui & ſingulorum ſapientia non moderatur, ſed ea facit, ad quæ is ipſum impellit; injuſtus fit. Etenim amor ſui & ſingulorum hominem impellit ad felicitatem ſuam, vel amati promovendam & infelicitatem depellendam (§. 292. *part.* 2. *Eth.*). Quodſi ergo ſapientia eandem non moderetur, utrum id fiat legi-

legitimo modo, nec ne, conſequenter illæſo amore univerſali (§. 632. *part. 1. Jur. nat.*), minime perpendit (§. 443. *part. 1. Eth.*). Quamobrem religioni ſibi minime ducit commodum ſuum, vel amati promovere cum detrimento alterius, parum ſollicitus, utrum jus aliorum violetur, nec ne. Quoniam itaque injuſtus eſt, qui id facere non veretur, quod eſt contra jus perfectum alterius (§. 589.); qui amorem ſui & ſingulorum ſapientia non moderatur, ſed ea facit, ad quæ is ipſum impellit, injuſtus fit.

Injuſtitia itaque ad fontem ſuum reducta, ut ejus geneſis intime perſpiciatur, definiri poteſt per bonitatem ſapientiæ minime attemperatam. Intelligimus autem per bonitatem ſtudium benefaciendi aliis (§. 696. *part. 1. Theol. nat.*), ideoque etiam ſibimet ipſi.

§. 596.

Querelæ de injuria.

Injuſtitia juſtas gignit querelas: juſtus vero nullam dat conquerendi cauſam. Qui enim injuſtus eſt, alterum lædit, nec ei præſtat, ad quod præſtandum ipſi obligatur (§. 590.). Quamobrem recte conqueritur læſus, quod is ſe læſerit, & non præſtiterit, vel præſtare nolit, quod præſtandum. Injuſtitia itaque juſtas gignit querelas. *Quod erat unum.*

Enimvero juſtus nihil committit, quod eſt contra jus alterius (§. 240. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque neminem lædit, & cuilibet præſtat, ad quod præſtandum obligatur. Nemo igitur quicquam habet, de quo conqueri poſſit. Quamobrem juſtus nullam dat conquerendi cauſam. *Quod erat alterum.*

Si aggreſſor te vulnerat, juſtam habes conquerendi cauſam: ſi debitor non ſolvit debitum, ſi venditor te fraudavit, juſtæ ſunt querelæ tuæ. Enimvero ſi tutum iter eſt, ſi debitum præciſe ſolvitur, ſi in emtione non fueris fraudatus, nullam quoque conquerendi cauſam habes. Fieri equidem etiam

poteſt, ut quis de injuria alicujus conqueratur, etſi is nihil fecerit, quod eſt contra jus ipſius: aſt tunc querelæ injuſtæ ſunt, quibus juſtus cauſam non dat, ſed error conquerentis injuriam eſſe putantis, quæ non eſt. Querelæ injuſtæ cum ad injuſtitiam adſcribi nequeant, neque ab homine juſto præcaveri poſſint; hic attendendæ non ſunt.

§. 597.

De juſtis querelis tollendis.

Quoniam juſtus nullam dat conquerendi cauſam (§. 596.); *ſi forte contingat, ut qui juſtitiam amat culpa quadam ſua faciat, de quibus alter jure conqueritur, aut alii de aliorum injuſtitia conqueruntur, querelas juſtas pro virili tollere ſtudet.*

Sicuti juſtus averſatur omnia, quæ fiunt contra jus alterius; ita etiam averſatur omnes juſtas querelas, quæ inde oriuntur. Quodſi per ipſum ſtaret, querelas omnes ex toto terrarum orbe exterminari vellet. Quamobrem ſi forte culpa quadam ſua, a qua nemo prorſus liber eſt, querelæ juſtæ concitentur, eas ſtatim tollit, v. gr. damnum reſarciens culpa ſua datum, vel fraudem eventus corrigens. Quodſi in poteſtate ſua ſit efficere, ut alii damnum dolo datum reſarciant, aut debitum ſolvant; id quam lubentiſſime facit. Sublatione querelarum juſtarum nititur diviſio ariſtotelica juſtitiæ in commutativam & diſtributivam. Illa enim tolluntur querelæ in commutationibus tam ſpontaneis, veluti contractibus, quam invitis, quales ſunt furta, rapinæ, damna injuria data; hac vero in diſtributione communis inter membra alicujus ſocietatis præcaventur. Uberius hanc differentiam expoſuimus in Horis ſubceſivis Marburgenſibus A. 1729. trim. brumali n. 2. §. 9. & *ſeqq.*). Sed quoniam hæc diviſio uſum potiſſimum habet in civitate, in qua ſuperior unicuique jus ſuum reddi jubet per judices & magiſtratus, ut tollantur querelæ injuſtæ, nec quisquam habeat juſtam de injuria conquerendi cauſam; in præſenti quoque eam inſuper habemus.

§. 598.

§. 598.

Injuſtus famam malam conſequitur, juſtus vero bonam. Injuſtus enim juſtas de ſe gignit querelas (§. 596.), quæ longe lateque cum diffundantur, de injuſtitia ipſius communis fit hominum ſermo. Enimvero in hoc fama mala conſiſtit (§. 553. *part. 1. Jur. nat.*). Injuſtus itaque famam malam conſequitur. *Quod erat unum.* *De fama injuſti & juſti.*

Ex adverſo autem qui juſtus eſt, nemini dat juſtam conquerendi cauſam (§. 596.), ideoque nullæ moventur de injuſtitia ipſius querelæ, quibus fama ejus læditur, *per demonſtrata n. 1.* ſed quoniam prompte præſtat, quod ex contractu debet, ab omni fraude alienus eſt & fidem ſervat (§. 580.), nec quicquam facit, quo jus alterius quomodocunque violetur (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*), cum omnes ita ſecum agi velint, omnes quoque eum laudant (§. 541. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque communis fit hominum ſermo de juſtitia ipſius, cujus memoriam excitant aliorum facta injuſta, ſeu juſtitiæ quomodocunque adverſa, in hoc autem fama bona conſiſtit (§. 553. *part. 3. Jur. nat.*); juſtus famam bonam conſequitur. *Quod erat alterum.*

Quanti æſtimanda ſit fama bona, nemo eſt qui neſciat. Ideo dudum inculcatum eſt, vitam & famam pari paſſu ambulare, & famam ſervandam eſſe, ſi omnia perdantur. Conſtat autem injuſtitia famam maxime lædi, cum nec injuſti erga alios velint alios erga ſe eſſe injuſtos, ex adverſo autem juſtum maxime conſulere famæ ſuæ, cum cuilibet placeat, ut alius juſte ſecum agat. Equidem cum homines mali ſparſis calumniis famæ aliorum detrahere eamque lacerare non vereantur, fieri poteſt ut juſtus non conſequatur famam, quam meretur; ſed hoc referendum eſt ad infortunium, quod evitare in poteſtate juſti non eſt. Abunde autem ſufficit, quod conſcientia ſua ipſum excuſet, nec deſint media famam ſuam contra calumnias

nias defendendi, ſi opus ſit, ac ipſa lex naturæ ad defenſionem jus nobis det. Sufficit quoque, quod nemo ſit, qui eum injuſtitiæ reum poſtulare poſſit. Qui famæ curam habet, quemadmodum habere debemus omnes (§. 554. *part. 1. Jur. nat*); omnem quoque operam navabit juſtitiæ. Non eſt quod objicias, dari haud raro homines ambitioſos, qui tamen a juſtitia animum maxime alienum habent, modo impune contra jus aliorum agere poſſint, quod lubet: etenim tum avaritia prævalet adverſus ambitionem, & vanæ gloriæ inhiantes juſtitiæ laudem parum curant.

§. 599.

An ſinceritas animi peculiaris virtus ſit.

Sinceritas animi ad omnem virtutem requiritur, non vero peculiaris quædam virtus eſt. Etenim ſinceritas animi a virtute ſejungi nequit (§. 318. *part. 3. Jur. nat.*), & omnis actio poſitiva, ad quam committendam obligamur, omnisque privativa, quam omittere tenemur, ſinceræ eſſe debent (§. 317. *part. 3. Jur. nat.*). Sinceritas itaque animi ad omnem virtutem requiritur. *Quod erat unum.*

Quoniam ſinceritas animi neceſſarium quoddam virtutis cujuslibet requiſitum eſt, *per demonſtrata n. 1.* non vero ſaltem ad virtutes ceteras utiliter accedit, quemadmodum pietas (§. 344. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & juſtitia univerſalis (§. 587.); ideo peculiaris virtus non eſt. *Quod erat alterum.*

De actione ſincera jam egimus, cum de conjectandis hominum moribus ageremus (§. 714. & *ſeqq. part. 2. Phil. pract. univ.*), ſed præciſa moralitate. Sinceritati enim locus eſt non minus in actionibus malis, quam bonis (*not.* §. 314. *part. 3. Jur. nat.*), & quæ de eadem tenenda, in Jure naturæ demonſtravimus (§. 315. & *ſeqq. part. 3. Jur. nat.*). In philoſophia vero morali ſinceritatem ſaltem animi conſideramus in actionibus bonis, cum tunc demum virtutis requiſitum neceſſarium ſit, in genere autem ſpectata & in abſtracto nec bona, nec

nec mala dici poſſit. Quoniam vero ſinceritas perfecta, qualem urget lex naturæ & qualis ad omnem virtutem requiritur, non ab omnibus ſatis agnoſcitur (*not.* §. 317. *part.* 3. *Jur. nat.*); ideo in Ethica expreſſa ejus mentio facienda erat.

§. 600.

Cum ſinceritas animi ſit habitus actiones externas internis conformandi (§. 314. *part.* 3. *Jur. nat.*), per ſe autem conſtet, actiones non minus malas, quam bonas ſinceras eſſe poſſe, quemadmodum modo monuimus (*not.* §. 599.); ſinceritatem dividere poſſumus in phyſicam & moralem. *Sinceritas phyſica* conſiſtit in conſenſu actionis externæ cum interna, voluntate inprimis ac intentione agentis, qualiscunque tandem ſit actio; *Sinceritas* vero *moralis* in conſenſu actionis externæ legi naturæ conformis cum interna eidem conformi. *Sinceritas phyſica & moralis.*

E. gr. Qui furtum committit, is habet voluntatem alienum auferendi & lucrum ſuum cum damno alterius intendit. Actio igitur ejus ſincera eſt. Aſt quemadmodum actio externa moraliter conſiderata mala eſt, perinde ac interna, illa cum hac conſentit quoad malitiam, quem conſenſum Philoſophia moralis approbare nequit, & ideo phyſice ſinceram dicemus. Enimvero ſi quis alterum fraudare nolit, propterea quod fraudem averſatur tanquam legi naturæ adverſam; ſi det pauperi eleemoſynam miſeria ejus commotus, ut eandem ſublevet, propterea quod lege naturæ hoc præcipitur; actio ejus moraliter ſincera eſt.

§. 601.

Sinceritas moralis ſupponit voluntatem & noluntatem bonam. Etenim ſinceritas moralis conſiſtit in conſenſu actionis externæ legi naturæ conformi cum interna eidem conformi (§. 600.), conſequenter requirit, ut actionem ideo committere velis, quia lege naturæ præcipitur, vel committere nolis, *Qualem voluntatem ſupponat ſinceritas moralis.*

quia eadem prohibetur. Enimvero voluntas bona eſt, ſi actionem ideo committere velis, quia lege naturæ præcipitur (§. 121. *part.* 2. *Eth.*), & noluntas bona eſt, ſi ideo committere nolis, quia lege naturæ prohibetur (§. 127. *part.* 2. *Eth.*). Sinceritas igitur moralis ſupponit voluntatem & noluntatem bonam.

Atque hinc patet, ſinceritatem in genere ſpectatam laudari non poſſe, ſed laudem demum mereri atque commendari in actionibus bonis.

§. 602.

Qualem ſinceritatem requirat virtus.

Virtus requirit ſinceritatem moralem. Virtus enim requirit voluntatem conſtantem & perpetuam non committendi actiones, niſi quæ legi naturæ conformes ſunt (§. 328. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter voluntatem & noluntatem bonam (§. 121. 127. *part.* 2. *Eth.*). Enimvero voluntatem & noluntatem bonam ſupponit ſinceritas moralis (§. 601.), conſequenter ſi ad virtutem accedit, nonniſi moralis eſſe poteſt. Virtus itaque requirit ſinceritatem moralem.

Atque hinc clarius eluceſcit, cur ſinceritas peculiaris quædam virtus eſſe nequeat, ſed ſaltem neceſſarium quoddam ejus requiſitum ſit. Tum nimirum demum bona efficitur, quando ad virtutem accedit, ut & voluntas, & actio externa ab eadem pendens ſit legi naturæ conformis. Voluntas vero legi naturæ conformis eſt, ſi non ſolum velis facere, quod legi naturæ conforme, ſed etiam conformitas actionis cum lege naturæ conformis eſt, motivum, per quod voluntas determinatur. Si vis dare eleemoſynam, ut videaris ab hominibus; voluntas bona non eſt, & actio interna mala labe inficit externam. Non igitur adeſt verus conſenſus actionis externæ cum interna, conſequenter ſinceritas moralis deficit, quæ ad virtutem requiritur. Quodſi per errorem judices actionem eſſe legi naturæ conformem, quæ eidem repugnat, ideoque eadem lege prohibitam

com-

Digitized by Google

committis; denuo non adeſt verus conſenſus actionis externæ cum interna, conſequenter ſinceritas moralis deficit, quæ ad virtutem requiritur. In caſu priori vitium latet in voluntate, in poſteriore in actione externa, quæ per errorem videtur quæ non eſt. Virtus nihil admittit, niſi quod verum eſt. Verum igitur eſſe debet, & quod hæc actio legi naturæ conformis ſit, & quod ideo appetatur, quia legi naturæ conformis. Actio igitur ſincera, quæ ad virtutem adſcribenda, non concipitur niſi ſuppoſita internæ atque externæ cum lege naturæ convenientia. Vix autem eſt, ut moneamus, perinde eſſe, ſive actio dicatur bona, ſive lege naturæ præcepta, ſive voluntati divinæ conformis: hæc enim reſpectu voluntatis bonæ coincidunt (§. 121. *part. 2. Eth.*), nec actionem ipſam variant.

§. 603.

De ſinceritate animi ad veracitatem & taciturnitatem requiſita.

Sinceritas animi etiam accedit ad veracitatem & taciturnitatem. Etenim verax moraliter falſum loquitur, conſequenter verba ejus cum cogitationibus ipſius conveniunt (§. 150. *part. 3. Jur. nat.*), quando alteri animi ſui ſenſa indicare obligatur (§. 181. *part. 3. Jur. nat.*). Tum vero ſermo ipſius ſincerus eſt (§. 314. *part. 3. Jur. nat.*). Sinceritas igitur animi etiam ad veracitatem accedit. *Quod erat unum.*

Vitium taciturnitati oppoſitum eſt, quando ea reticemus, quæ dicere debebamus (§. 569.), conſequenter qui taciturnus eſt ea non reticet, quæ dicere obligatur. Enimvero ſi quis ea dicit, ad quæ dicenda obligatur, actio externa cum interna conſentit moraliter, quemadmodum in caſu oppoſito diſſentit. Quamobrem ſinceritas animi ad taciturnitatem quoque accedit. Immo idem quoque apparet in eo caſu, ubi non dicenda reticentur. Quando enim ad non dicendum obligamur, ſilentium, quod actio privativa eſt, cum interna convenit, ideoque cum taciturnus taceat, quando ad verita-

tem reticendam obligatur (§. 258. part. 3. Jur. nat.), ſinceritas animi ad taciturnitatem accedit. *Quod erat alterum.*

Atque hinc patet, quamvis taciturnitas & veracitas ſint peculiares virtutes, quatenus dirigunt ſermonem legi naturæ convenienter, & veracitati præſertim in factis, quatenus opponuntur ſermoni, aſſimiletur ſinceritas animi, non tamen ſinceritatem animi peculiarem eſſe virtutem, quemadmodum ante oſtendimus (§. 599.). Ne igitur de eo dubium quoddam ſuboriatur; propoſitionem præſentem addere libuit.

§. 604.

An ſinceritas animi peculiare ſtudium requirat.

Studium ſinceritatis animi ineſt culturæ virtutis. Etenim ſinceritas animi ad omnem virtutem accedere debet, ita ut ſine ea non concipiatur virtus ulla (§. 599.). Quodſi ergo culturæ virtutis vaces, eo ipſo quoque ſinceritati animi ſtudes. Quamobrem ſtudium ſinceritatis animi ineſt culturæ virtutis.

Sinceritas itaque animi peculiare ſtudium minime requirit, modo virtuti eam operam naves, quam debes. Etenim ſi virtuti operam das, id omni animi contentione agis, ut conſtanter ac perpetuo non committere velis actionem quandam, niſi quæ legi naturæ convenit (§. 328. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter non minus voluntatem, quam actionem externam legi naturæ conformare ſtudes. Studium igitur ſinceritatis animi jam ineſt culturæ virtutis. Virtus omnis habitus voluntatis eſt (§. 547. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque voluntas potiſſimum legi naturæ conformanda, non ſaltem actio externa, ſed hæc voluntati legi naturæ conformatæ convenienter determinanda. Quamvis enim actio externa talis eſt, qualis lege naturæ requiritur, non tamen dici poteſt juxta legem naturæ determinata, niſi voluntas per ejus convenientiam cum lege naturæ determinetur. Non igitur opus eſt, ut media quædam peculiaria ſinceritatis acquirendæ præſcribantur.

§. 605.

Digitized by Google

§. 605.

Sinceritatis animi eadem ſunt motiva, quæ virtutis. Etenim cum ſinceritas animi ad omnem virtutem requiratur (§. 599.), ſi voluntas determinatur ad virtutem acquirendam, eo ipſo quoque determinatur ad ſinceritatem animi acquirendam. Quamobrem cum rationes, per quas determinatur voluntas, ſint motivum (§. 887. *Pſych. empir.*); ſinceritatis animi eadem motiva ſunt, quæ virtutis. *De motivis ſinceritatis animi.*

Motivum colendi virtutem præſtantiſſimum eſt, quod ea ſola ſit veræ felicitatis fons (§. 400. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Hæc ipſa vero felicitas etiam motivum eſt ſinceritatis animi, ſine qua virtus obtineri nequit, conſequenter nec expectandus fructus, quem fert virtus. Aliis prodeſſe poſſumus actione externa, ſive ſit moraliter ſincera, ſive minus: omnis enim utilitas, quæ in alterum redundat, a ſola actione externa dependet, quocunque demum animo alteri facias, ad quod faciendum ipſi obligaris. Aſt tibi conſulere nequis, niſi moraliter ſincera ſit actio. Intime hoc perſpicit, qui ea ſatis intellexit, quæ de moralitate actionum & de conſcientia demonſtravimus, ut prolixius ea inculcari minime ſit opus.

§. 606.

Sinceritati animi opponitur ſimulatio & diſſimulatio. In ſimulatione enim actio externa ab interna diſſentit (§. 716. *part. 2. Phil. pract. univ.*), & in diſſimulatione occultatur actio tam interna, quam externa, tam poſitiva, quam negativa (§. 717. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Enimvero animi ſinceritas requirit actionis externæ cum interna conſenſum (§. 314. *part. 3. Jur. nat.*), ideoque in interna nihil admittit, quod contrarietur externæ ſive poſitivæ, ſive privativæ quomodocunque. Sinceritati ergo animi opponitur ſimulatio & diſſimulatio. *De oppoſitis ſinceritatis animi.*

De ſimulatione & diſſimulatione jam egimus, quatenus utraque attententa venit in conjectandis hominum moribus (§. 716. & *ſeqq. part. 2. Phil. pract. univ.*), & ea jam tradidimus, quæ de utraque definit lex naturæ (§. 319. & *ſeqq. part. 3. Jur. nat.*). Illa uſum habent, ne vana virtutis ſpecie deludamur, vel fucum aliis faciamus, nec ab aliis fallamur, quando intereſt ut de virtute alterius certi ſimus: hæc vero uſui ſunt, ut ſciamus, quando ſimulare & diſſimulare liceat, quando non liceat. Quamobrem cum hic repetenda non ſint, quæ alibi jam ſufficienter expoſuimus; ut alibi tradita legantur, hic indicaſſe ſufficit.

§. 607.

Quando ſimulatio & diſſimulatio vitium ſit.

Non omnis ſimulatio & diſſimulatio vitium eſt, ſed ea ſaltem, quæ pugnat cum officio quodam ſive erga teipſum, ſive erga alios, vel ocligatione quadam contracta, qua alteri in ſingulari teneris. Etenim ſi ſine ſimulatione officio erga teipſum, vel erga alios, aut obligationi cuidam contractæ, qua alteri in ſingulari teneris, ſatisfacere nequeas (§. 339. *part. 3. Jur. nat.*), aut ſi ſine ſimulatione violatur jus perfectum, aut imperfectum alterius, ſimulatio licita eſt (§. 340. *part. 3. Jur. nat.*). Et ad quæ alteri patefacienda non obligaris, ſeu quæ cognoſcendi jus alteri non eſt, ea diſſimulare licet (§. 351. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum ſimulatio & diſſimulatio licita legi naturæ non ſit contraria (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*), vitium vero non eſt, quod legi naturæ minime contrariatur (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*); non omnis quoque ſimulatio & diſſimulatio vitium eſt. *Quod erat unum.*

Illicita vero eſt ſimulatio pugnans cum officio quodam erga te ipſum, vel erga alios, aut cum obligatione contracta, qua alicui in ſingulari teneris (§. 338. *part. 3. Jur. nat.*), nec actio poſitiva, ad quam committendam, nec pri-

vati-

Digitized by Google

vativa, ad quam omittendam obligamur, ſimulationem admittit (§. 326. *part. 3. Jur. nat.*), neque etiam diſſimulare licet ea, quæ feciſti, vel fecerunt alii, ad quæ cognoſcenda alteri jus eſt (§. 352. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum ſimulatio & diſſimulatio illicita legi naturæ adverſetur (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ad vitium vero referendum ſit, quicquid legi naturæ repugnat (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ſimulatio & diſſimulatio ſaltem vitium eſt, quæ pugnat cum officio quodam ſive erga teipſum, ſive erga alios, aut obligatione contracta, qua alteri in ſingulari teneris. *Quod erat alterum.*

Simulatio cum falſiloquio, diſſimulatio cum reticentia veri convenit. In quo caſu falſiloquium licitum, in quo illicitum eſt, in eo quoque ſimulatio & diſſimulatio illicita. Et idem valet de reticentia veri. Simulatio tamen licita & illicita peculiaribus nominibus non diſtingvuntur, niſi quod ſimulatio virtutis moralis, ac inprimis pietatis hypocriſis dicatur (§. 323. *part. 3. Jur. nat.*). De hypocriſi, quatenus in ſimulatione pietatis conſiſtit, egimus jam ſatis, cum praxin pietatis traderemus (§. 150. *& ſeqq. part. 3. Eth.*), & ea facile de omni hypocriſi intelliguntur. Et qui ea tenet, quæ paulo ante de mendaciis inculcavimus, eadem quoque applicare poterit ad ſimulationem quamcunque illicitam, quæ vero dicta ſunt de veracitate, ad omnem ſimulationem licitam. Similiter in quo caſu verum reticere licet, in quo non licet, in eodem quoque facta diſſimulare licet, vel non licet. Quamobrem quæ de taciturnitate eidemque vitio oppoſito anonymo dicta ſunt, ad diſſimulatioem haud difficulter applicantur. Ceterum hic quoque uſui ſunt, quæ de ſimulatione detegenda demonſtravimus (§. 851. *& ſeqq. part. 2. Phil. pract. univ.*). Haud parum enim refert, ne ſimulatione decipiaris.

§. 608.

Digitized by Google

§. 608.

Virtus infucata.

Virtus infucata dici ſolet, quæ nulla hypocriſeos labe inficitur. Quoniam ad virtutem requiritur ſinceritas animi (§. 599.), ſinceritas autem omnem ſimulationem (§. 316. *part. 3. Jur. nat.*), conſequenter etiam omnem hypocriſin excludit (§. 323. *part. 3. Jur. nat.*); *virtus fucata, quæ dicitur, revera virtus non eſt, ſed ejus ſpeciem ſaltem mentitur.*

Homines plerumque de virtute aliena ſaltem judicant ex actionibus externis, quæ ſi legi naturæ conformes ſunt, ad virtutem adſcribuntur, & in caſu dubio, quando ſimulatio detegi nequit, convenientia actionis externæ cum interna recte præſumitur, juxta illud pervulgatum: quilibet præſumitur bonus, donec probetur contrarium. Tum vero contingere poteſt, ut virtute præditus exiſtimetur, qui non eſt, ideoque virtus ſimulata habeatur pro vera. Et hoc reſpectu fucata vocatur, quando ſimulatio fuerit detecta.

FINIS PARTIS QVINTAE ETHICAE.

CON-

Digitized by Google

CONSPECTUS
TOMI V.
PHILOSOPHIÆ MORALIS
SIVE
ETHICÆ,
DE
VIRTVTIBVS MORALIBVS, QVIBVS PRAXIS OFFICIORVM ERGA ALIOS CONTINETVR.

CAPUT I.

De Præparatione ad praxin officiorum erga alios, pag. 1.

CAPUT II.

De Amore & Dilectione aliorum, Charitate, Odio, Animo indifferente, Humanitate & Inhumanitate, Officioſitate & Inofficioſitate, 53.

CAPUT III.

De Amicitia, Familiaritate, Inimicitia, Blanditiis, 234.

CAPUT IV.

pag.

De Manſuetudine, Condonatione offenſæ, Vindicta, Placabilitate, Implacabilitate, Iracundia, Amaritudine, Crudelitate, 349.

CAPUT V.

De Liberalitate, Miſericordia, Animo grato, Illiberalitate, Ingratitudine, Beneficentia, 500.

CAPUT VI.

De Comitate, Adulatione, Aſſentatione, Superbia, 657.

CAPUT VII.

De Veracitate, Taciturnitate & Urbanitate, Mendacio, Garrulitate, Futilitate & Ruſticitate, 709.

CAPUT VIII.

De Juſtitia & Injuſtitia, Æquitate & Iniquitate, Sinceritate, Simulatione & Diſſimulatione, 771.

FINIS CONSPECTUS TOMI V. ETHICÆ.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM, IN QUO NUMERI PARAGRAPHOS INDICANT.

A.

Adulatio quale ſit vitium, 495. ſimulatio eſt, 209. amicitiæ adverſa, 208. hominem dedecet, 214. quinam eam ament, 207. 508. quinam eadem delectentur, 210. ejus motivum, 497. remedium, 496. ſignum, 496. quænam ei detegendæ inſerviant, 212.

Aulator & aſſentator in quo conveniant, 489.

Adulator quando fiat aſſentator, 499. qualem habeat animum, 213. ob bona corporis, fortunæ & dotes naturales animæ alios laudat, 493. auget id, quod ad voluntatem alterius dicitur, 500. quando id faciat quam lubentiſſime, 501. quomodo caveatur, ne nobis imponat, 211

Æqualitas naturalis hominum cur non agnoſcatur, 11. cur motivi vis eidem detrahatur, 11. quomodo id impediatur, 12. eſt motivum facilitatis condonandi & placabilitatis, 304. 305.

Æquitatis officium, 581. cum juſtitia nexus, 582. juſtitiæ medium eſt, 583.

Afflicto cur non addenda afflictio, 404.

Ambitioſi cur ament adulationem, 207.

Amans alterum quando diligat, 52.

Amans homines omnes qualem habeat animum, 50. quænam deteſtetur, 57.

Amare num ſine ratione poſſimus, 114. quomodo ratio latens detegatur, 115.

Amaritudo rationi adverſa, 331.

Amans qualis ſit, 351. implacabilis eſt, 332. ad vindictam quando properet, 333. cur properet, 334. quomodo ſtultitiam prodat, 335.

Amicitia. Definitio, 171. quænam ſit vera, 171. ejus mater, 171. quando ſit ſempiterna, 196. quando non, 197. num ſubſiſtere poſſit inter abſentes & inter ignotos, 177. num absque familiaritate, 223. quomodo concilietur, 296. quænam in ea contrahenda obſervanda, 201. cur appetenda, 191. num ex utilitate metienda, 190. quomodo eidem inſit utilitas, 189. quod requirat curam vitandi culpam, 194.

Amicitia naturalis poſſibilitas evicta, 178.

Amicitia particularis, ſive *ſpecialis.* Definitio, 175. cum quibusnam contrahenda, 181. num commodi ſui cauſa contrahere liceat, 187. num conſiſtere poſſit inter inæquales, 229.

229. num humanæ naturæ & legi naturæ conveniat, 185.
Amicitia vera. Definitio, 171. quomodo ab apparente dividatur, 173. an ſit in poteſtate noſtra, 174. num ſine virtute detur, 179. 195. quando maxime conſpicua, 215. ejus effectus, 182.
Amicitia univerſalis, ſive *naturalis*. Definitio, 175. num juxta particularem ſubſiſtere poſſit, 186. ejus medium, 176.
Amicitia utilitatis cauſa contracta qualis ſit, 197.
Amicus quomodo amico fruatur, 191. quomodo monendus & objurgandus, 203. quomodo cum eo converſandum, 242. 244. ejus profectus in virtute promovendus, 202.
Amicorum animus qualis ſit, 172
Amicorum offenſa qualis ſit, 193.
Amici familiaris converſatio qualis ſit, 228.
Amicum verum quænam teneat ſollicitudo in agendo, 192.
Amor aliorum quomodo concitetur, 48. quomodo concilietur, 295. qualem circumſpectionem requirat conciliandus & conſervandus, 184. amorem ſui ſupponit, 42. qualem felicitatis notionem requirat, 43. qualem voluptatis, 44. qualem perfectionis hominum, 44. num in eo ordo ſervandus, 166.
Amoris hominum omnium æqualitas, 165.
Amoris intenſitas unde æſtimanda, 167. num æqualitati obſtet, 168.
Amoris ratio latens quomodo detegatur, 115.
Amor amici mercenarius ſi ſit, quid faciendum, 188.
Amor univerſalis quomodo ingignatur, 49. 53. qualem efficiat animum, 50. ejus cum charitate nexus, 54. adverſus crudelitatem & cupiditatem vindictæ præſidium eſt, 343. medium manſuetudinis, 261. quomodo ejus carentia in inofficioſitatem influat, 157. ejus impedimentum, 116. quomodo id tollatur, 117. 118.
Animus quomodo ad miſericordiam diſponatur, 421, qualis ſit ejus, qui omnes amat, 56.
Animi condonandi offenſam ſignum, 281.
Animus gratus quomodo declaretur, 442. qualis declaratio ad gratiarum actionem pertineat, 442. ejus ſignum, 440. 441.
Animus erga alios indifferens unde oriatur, 121. quomodo præcaveatur, 122. liberalitatis & miſericordiæ impedimentum eſt, 415. quomodo tollatur, 416.
Animus injuriandi num in defenſione famæ ſupponatur, 271.
Animus inſerviendi aliis quibus obſervationibus indigeat, 31. quod requirat noſcentiam aliorum, 32
Animus recte gerendi perſonam ſtudium inſerviendi aliis promovet, 30.

Arcana illicita, 570.
Aſſentatio. Definitio, 205. finis, 205. ſimulatio eſt, 209. amicitiæ veræ adverſa, 208. veracitati adverſa, 530. hominem dedecet, 214. quinam ament, 200. 508. quinam eadem delectentur, 210. quænam eidem detegendæ inſerviant, 212. quomodo vitetur, 531.
Aſſentator qualem habeat animum, 213. in quo cum adulatore conveniat, 489. quomodo caveatur, ne nobis imponat, 211.

B.

Bene de nobis quinam mereantur, 373.
Benefaciens largiter quando ſit ſuperbus, 384.
Benefactor an propter ingratitudinem animum benefaciendi deponere debeat, 448. quando hoc faciat, 448. num in præſtatione officiorum aliis præferendus, 456. quomodo in redditione beneficii ſpectandus, 462. ad quænam reddenti obligetur, 463. quomodo adhuc agnoſcatur ab eo, qui ipſo factus ſuperior, 470.
Benefactoris jactantia, 473. intentio indirecta, 435.
Beneficentia. Definitio, 474.
Beneficia ne vileſcant, ſi ad meliorem fortunam perveniamus, 469.
Beneficia hominum num habenda pro divinis, 438. quænam pro iis Deo debeamus, 439.
Beneficiorum memoria per omnem vitam retinenda, 444.
Beneficium quomodo agnoſcatur, 431. & ſeqq. quomodo recte æſtimetur, 434. num in æſtimatione ratio habenda malorum, in quæ abſque illo non incidiſſemus, 436. quo animo accipiendum, 429. quomodo ſpectari debeat ab accipiente, 428. quomodo in redditione, 452. num mutet ſpeciem propter quantitatem, 471. ejus agnitio & æſtimatio ad gratitudinem neceſſaria, 430. quo animo & fine reddendum, 459. quod reddendum etiam benefactori inſcio, 460. benefactori mortuo, 458. in liberis, cognatis & amicis, 457.
Beneficium reddens a quo ſibi cavere debeat, 464.
Beneficiorum redditio num requirat æqualitatem, 451. a benefactore recte intendatur, 445. quomodo non ſit extendenda, 465. in ea quid ſit conſiderandum, 466.
Beneficium redditum quando non acceptandum, aut largius remunerandum, 467. quid faciendum, ſi benefactor id acceptare nolit, 472.
Blanditiæ. Definitio, 206. ad aſſentationem & adulationem accedere poſſunt, 206. amicitiæ veræ adverſantur, 208.
Bona corporis & fortunæ num ſint objectum laudis, 489. cuinam propterea debeatur laus, 492.

Digitized by Google

Bona ex malis ab alio nobis inflictis emergentia cuinam tribuenda, 437
Boni & mali communicatio inter amicos quid operetur, 183
Bonum bono referre num pertineat ad dilectionem propter ſe, 139.
Bonum jucundum, utile, honeſtum. Definitio, 199. cur appetatur quodlibet, 200.
Bonum, quod amicus alteri vult, quomodo ſpectandum, 198.

C.

Calumniator mendax, 545.
Charitas qualem dilectionem requirat, 136. ejus media, 53. nexus cum amore univerſali, 54. ſignum, 58. quænam vitia eidem opponantur, 169.
Charitatis carentia in officioſitate, 157.
Charitatis deficientis ſignum, 145.
Charitas ſui & aliorum quomodo in unam virtutem coaleſcant, 62.
Comitas. Definitio, 475. an ſit peculiaris virtus a modeſtia diſtincta, 476. quo usque non extendenda, 489. quænam tanquam cognita ſupponat, 477. 479. num eidem adverſetur familiaritas, 230.
Commiſerationis impedimentum, 410.
Commodum ope alterius comparandum num poſſit eſſe motivum præſtandi officium, 141.
Condonandi facilitatis motivum, 304. 305.
Condonationis offenſæ ſignum, 281.
Converſatio qualis cum amicis eſſe debeat, 242. quinam ad eam inepti, 571.
Convitia non ſunt modus aptus defendendi famam, 272. & ſeqq.
Convitiis quinam famam defendant, 278.
Convitiator mendax eſt, 545.
Controverſiarum detractatio quando non ſit ſuperbiæ ſignum, 513.
Crudelis qualis ſit, 352. ejus mores, 336.
Crudelitas quotuplici modo committatur, 337 quando in puniendo, 338. amori univerſali repugnat, 342. ipſi etiam naturæ humanæ, 344. quemnam ejus pudere maxime debeat, 345. ejus remedium, 343.
Culpæ vitandæ cura in amicitia adhibenda, 194.
Cupiditas boni ſui cum aliis communicandi homini naturalis, 26.
Cupiditas vindictæ quomodo manſuetudine immutetur, 372. num deponi poſſit, odio nondum extincto, 135. quando ſaltem ſopiatur, 134. ejus remedium, 343.

D.

Dandi animus quando ad liberalitatem ſufficiat, 385.
Defenſio num ſit ſignum iracundiæ, 319.

Defen-

Defenſio famæ num repugnet condonationi offenſæ, 286.
Defenſio ſui, famæ & rerum ſuarum quomodo regatur, 265. 266.
Defenſor famæ quando omnem ſuſpicionem animi convitiandi a ſe amoveat, 277.
Defraudator quod ſit mendax, 544.
Denegatio officii humanitatis num dilectioni repugnet, 98.
Denegatio ejus, quod miſeris dari poteſt, quantum ſit peccatum, 423.
Dilectio aliorum cur a Deo præcipiatur, 91. dilectionem ſui ſupponit, 55. quod ſtudium promovendi perfectionem aliorum inde oriatur, 56. num ei repugnet alterum ſibi devincire commodi ſui cauſa, 140. num in ea ſervandus ordo, 166. ejus impedimentum, 96. 104. quomodo id tollatur, 97. 105.
Dilectio aliorum propter Deum, quid ſit, 64. a Deo præcepta, 63. unionem cum Deo ſupponit, 65. ejus nexus cum dilectione Dei, 66. concordia cum pietate, 67. quid ad finem univerſi conferat, 68. ad perſonam ſibi impoſitam recte gerendi requiritur, 69. quomodo ad gloriam Dei promovendam faciat, 70. non concedit locum odio, vel non amori ob rationem latentem, 88. non involvit approbationem malorum factorum, 81. dilectionem inimicorum continet, 72. num in ea attendatur perſonarum reſpectus, 71.
Dilectio aliorum propter ſe an ſit charitatis, 137. quod ſit nonniſi dilectio ſui, 138.
Dilectionis hominum omnium æqualitas, 165.
Dilectio inimicorum cum natura humana convenit, 86. ad felicitatem noſtram facit, 86. ejus motivum, 85. 78. effectus, 79. quomodo foveatur, 73. quomodo ſe exerat, 74. 75.
Dilectioni ſui convenit vitare inimicitiam, 218.
Dilectio ſui propter alios præcepta, 61. ejus effectus, 62.
Dilectio vera ſui cur non patiatur omnia referri ad ſuam utilitatem, 125.
Dilectio univerſalis ex dilectione aliorum propter Deum reſultat, 71. a natura nobis commendatur, 90. naturæ humanæ maxime conveniens, 85. ad felicitatem noſtram facit, 87. ejus motivum, 89. adjumentum, 92. 93. cur ea deficiat, 94. ne deficiat quomodo præcavendum, 95. ejus impedimenta, 99. 102. 106. quomodo tollantur, 100. 101. 105. 107. 108. 110.
Diſſimulatio ſinceritati oppoſita, 606. quando ſit vitium, 607. familiaritati adverſa, 227.
Dives quando miſeros deſtituens pro immiſericordi habeatur, 420.
Donans largiter quando ſit ſuperbus, 384.

Dona-

Digitized by Google

Donationes quando prudentiæ conveniant, 418. earum fines, 379.
Donorum quantitas viribus patrimonii proportionanda, 374. cauſæ, ob quam datur, 375. conditioni accipientis, 376. ſi in exceſſu, vel defectu peccetur, ad quodnam vitium id referendum, 378.
Donum propter finem illicitum num ſit liberalitatis, 382.
Dotes animæ naturales num ſint objectum laudis, 491. cui debeatur laus, 492.

E.

Ebrietas quando in converſatione vitanda, 248.
Egeſtas num ignominiæ ſit, 292.
Eleemoſyna ad objectum liberalitatis pertinet, 391. quo fine danda, 397. quo animo, 398. 399. 400. cuinam danda, 393. qua cautione, 394. quo animo accipienda, 429. quomodo ſpectanda ab accipiente, 428. qui nullo jure eam petunt, 425.
Eleemoſynas dandi obligatio quomodo teneat ſingulos, 396.
Errorum nocuorum odium num dilectioni repugnet, 113.
Errorum refutatio num dilectioni repugnet, 113.
Exiſtimare alios pro merito quinam nequeant, 478.

F.

Facilitatis condonandi nexus cum placabilitate, 302.
Facinoroſi quodnam pro offenſa reputent, 339.
Facta a perſonis quomodo dividenda, 293. quod id ad miſericordiam requiratur, 407. quomodo ſpectari poſſint tanquam infecta, 294.
Fama num conviciis defendi poſſit, 272. quod iſtiusmodi defenſio manſuetudini repugnet, 274. quod ſtulta ſit, 273. ſi ab alio fama noſtra conviciis defendatur, 275. quod id nobis imputetur, 276.
Familiaritas. Definitio, 157. an in ſola frequenti converſatione conſiſtat, 225. ne de ea judicium præcipitetur, 226. excludit omnem ſimulationem & diſſimulationem 227. non requiritur ad omnem amicitiam, 223. locum habere poteſt inter abſentes, 224. num conſiſtere poſſit inter inæquales, 229. 231. num pariat contemtum, 201. non contrahenda cum male moratis, 232. quinam in eam recipiendus, 233. 235. quænam ei maxime conveniant, 234. num adverſetur comitati, 230.
Faſtoſi amant adulationem, 207.
Felicitas totius generis humani quomodo promoveretur, 83.

Feli-

Digitized by Google

Felicitatis veræ notio diſtincta ad amorem aliorum requiſita, 43.
Fiducia potentiæ ſe ulciſcendi, 355.
Fortuna meliore quinam ſint digni, 372.
Futilitas vitium taciturnitati oppoſitum, 554. quando ad garrulitatem accedat, 558. 559. 560. ejus effectus, 566. familiaritati adverſa, 567. quomodo vitanda, 562. 563. quænam vitaturus ſcire debeat, 565. quænam omittere, 564.

G.

Garrulitas vitium taciturnitati oppoſitum, 554. ſi cum futilitate concurrit; potius corrigenda, quam hæc ab ea dividenda, 561. quomodo vitetur, 562.
Garrulus in converſatione moleſtus, 556. nimis credulus, 557.
Gaudii effectus in placabilitate omnique virtute, 311.
Genus humanum totum cur felix eſſe nequeat, 84.
Gloria Dei quomodo per alios a nobis promoveatur, 70.
Gloriæ cupido quomodo influat in liberalitatem & miſericordiam, 417.
Gratiarum actionis Deo debitæ nexus cum redditione beneficiorum, 461.
Gratitudo ad plus dandum invitatio, 447.
Gratus animus in reddendo beneficio qualis, 454. effectus in præſtandis officiis benefactori, 455. vid. beneficii redditio.

H.

Hominum erga nos animus quando noſcendus, 249.
Homo homini quomodo ſe utilem præbeat, 16. num id ipſi naturale ſit, 17.
Honor quotuplex ſit, 488. ob quæ nullus exhibendus, 490.
Honor civilis quomodo metiendus, 521.
Honor humanitatis cuinam a comi exhibeatur, 480. quomodo exhibeatur, 481. ejus fons, 482. medium, 483. 484. diſtinctius explicatur, 485. quidnam eidem repugnet, 486. quænam in eo non attendenda, 487.
Humani quinam ſint, 143.
Humanitas in quibusnam actibus conſiſtat, 146. 147. quando ſimuletur, 148. ejus cum charitate nexus, 144.
Humilitas non fert ſuperbiam, 543.

I.

Jactantia vitium taciturnitati oppoſitum, 554. remedium, 568.
Jactantia benefactoris num excuſanda, 473.
Ignotus quinam dicatur, 245. quinam ſint, 246. quomodo cum iis converſandum, 247. 248.
Imprudentia dicendi ea, quæ reticeri volumus, 563.
Indignatio num repugnet manſuetudini, 358. an contineat odium perſonæ, 359. undenam ab ira diſcernatur, 360.

Digitized by Google

Infanticidia ſceleris occultandi cauſa commiſſa, 348.
Ingratitudo unius num nos liberet a præſtatione officiorum erga alios, 14.
Ingratitudinis turpitudo unde agnoſcatur & quibusnam ea motivum ſit illam fugiendi, 450.
Ingratitudo beneficiariorum dilectionem aliorum impedit, 104. quomodo id præcaveatur, 105. num tollat obligationem benefactoris, 446. 448.
Ingratus cur ſibi & aliis noceat, 449. quinam fiat, ubi ad meliorem fortunam pervenit, 468.
Inhumanitatis actus, 150. 151.
Inhumanus cur alios diligere nequeat tanquam ſeipſum, 149.
Inimicitia naturæ humanæ maxime adverſatur, 240. infelicitatis cauſa, 241. quod eidem locum facere ſtultum ſit, 241. quomodo vitetur, 217. 220. 222. quomodo vitanda & extingvenda, 236. ejus ſigna, 237. 238. 239.
Inimicus periculoſus, 216. alios ſibi inimicos reddere imprudentiæ eſt, 219. inimicis quinam benefaciat, 75.
Inimicorum dilectio naturæ humanæ conveniens, 86. ad felicitatem noſtram facit, 88. ejus motivum, 89. a natura nobis commendatur, 90. cur deficiat, 94. ne deficiat, 95. purificat dilectionem aliorum, 79. non involvit approbationem male factorum, 80. ejus medium, 72. 73.
Inimicos diligens Deum imitatur, 77.
Iniquitas. Definitio, 591.
Injuria ex lege prohibitiva agnoſcitur, 254.
Injuriarum fons, 590. cognitio ad manſuetudinem neceſſaria, 252.
Injuſti actiones, 590. fama, 590.
Injuſtitia. Definitio, 589. geneſis, 595. effectus, 592. 596.
Iniquitas. Definitio, 591. continet neglectum officiorum erga alios, 592.
Inofficioſitas unde oriatur, 159. cum inhumanitate non per ſe cohæret, 160.
Inofficioſus qualem habeat animum erga alios, 158.
Inſervire aliis quando jucundum ſit, 37.
Invidia impedimentum commiſerationis, 410. quomodo tollatur, 412.
Invidia ſuperbi, 505.
Invidus num miſericors eſſe poſſit, 411.
Iræ remedia, 259. 353. 354.
Iracundia diſtincte explicatur, 313. quomodo gignatur, 314. quinam ad eam proni, 350. quomodo eidem ſit medendum, 326.
Iracundus num ſit, qui ad iram facile provocatur, 315. ejus conatus, 312. qualis ſit, 350. ad condonandum difficilis, 316. implacabilis, 317. 318. vindicta delectatur, 324. quomodo ſtultitiam prodat, 325.
Jus egenorum & miſerorum ad ſuperfluum quomodo reſtringatur, 427.
Jus defendendi famam quomodo æſtimet manſuetus, 269.
Jus defenſionis quomodo æſtimetur a manſueto, 267.

Digitized by Google

Jus naſcens ex lege prohibitiva quale ſit, 253.
Jus puniendi num manſuetudini repugnet, 282. an condonationi offenſæ, 282.
Jus ulciſcendi quodnam dicatur, 287.
Juſtitiæ geneſis, 593. effectus, 592. 596. officium, 578. quo usque extendatur, 579. medium, 583.
Juſtitia univerſalis quid exigat, 584. ejus objectum, 585. in omnem virtutem influxus, 587. dependentia a charitate, 587. quodnam vitium eidem opponatur, 589.
Juſtus quænam cognoſcere teneatur, 576. 577. quomodo ſe gerat in contractu, 580. ejus fama, 598. quomodo homo efficiatur, 594.

L.

Læſi doloris remedium quomodo ſit inimici dolor, 325. quod id rationi adverſum, 327. quinam id non agnoſcant, 329.
Latrones quidnam pro offenſa habeant, 339. eorum ſævitia, 340.
Laudis objectum ſpurium, 489. 491.
Legis naturæ ſcientia ad officioſitatem requiſita, 156.
Liberalis quem habeat animum, 380. quænam det, 364. num det propter famam, 383. quibusnam maxime ſubveniat, 390. indigis non petentibus ſubvenit, 387. occaſionem benefaciendi quærit, 388.
Liberalitatis fons, 381. objectum, 391. 363. pars potiſſima, 389. quousque extendi nequeat, 395. quosnam actus ea regat, 365. cur hi non accurate a prodigalitate diſcernantur, 370. an ejus obligatio univerſalis, 426. gradus quomodo æſtimandus, 386. medium, 402. impedimentum, 413. 415. quomodo tollatur, 414. 416. ad eam quænam cognitu neceſſaria, 366.
De liberalitate ſua erga egenos & miſeros gloriari abſurdum eſt, 424.
Liberorum occiſio propter offenſam parentum, 348.

M.

Malum malo referre num manſuetudini adverſetur, 263.
Manſuetudo in quo proprie conſiſtat, 250. quam neceſſaria ſit, 251. quænam cognita ſupponat, 252. regit defenſionem ſui atque famæ & rerum ſuarum, 265. 266. num ferat, ut malum malo referatur, 263. regit punitionem, 283. quomodo regat, 284. quomodo ipſa ducat ad exercitium juris puniendi, 323. quid in eo caſu eidem conveniat, ſi jus defendendi, vel puniendi exerceri nequeat, 289. & ſeqq. num eidem repugnet, ut jus puniendi extendatur ad liberos, parentes, vel cognatos, 288.
Manſuetudinis effectus, 295. 296. influxus in miſericordiam, 408. nexus cum modeſtia, 361. cum amore uni-

univerſali, 262. media, 260. 261. ſignum, 308. deficientis ſignum, 306,
Manſuetudinis media ſunt remedia adverſus iram, 259.
Manſuetus ad condonandum facilis, 279. ad reconciliationem pronus, 297. placabilis, 298. 300. quomodo ſe gerat in reconciliatione, 299. quomodo ſi ea petatur, 309. qualem habeat animum in defenſione, 268. inprimis in defenſione famæ ſuæ, 270. quomodo jus defenſionis æſtimet, 267. 269. qualem habeat animum in punitione, 285. quomodo jus puniendi æſtimet, 286.
Mendacis intentio, 546.
Mendacitas quid ſit, 537. quale ſit vitium, 538. ejus objectum, 539. num ignominiæ ſit, 392. eam fugiendi motiva, 547.
Mendacium in communi ſermone, 542. an pugnet cum obligatione noſtra, 543. ejus turpitudo, 548.
Mendacitas num ignominiæ ſit, 392.
Miſericordiæ nexus cum amore, 401. medium, 402. 421. 422. impedimenta, 413. 415. quomodo tollantur, 414. 416. univerſalitas, 406. 426. quando ad officioſitatem accedat, 405. quando ad eam ſufficiat animus ſubveniendi miſeris, 403.
Miſericordiam erga inimicos quænam impediant, 409.
Moraliter verum loqui quando obligemur quomodo cognoſcatur, 524.
Motivum alteri faciendi, quod tibi fieri vis, 10.
Munera quibusnam danda, 367. quænam liberalitati repugnent, 368. ob cauſam inhoneſtam data ad quodnam vitium referenda, 369.

N.

Narrationi aliorum non habere fidem an ſit offenſa, 528.
Neglectus præparationis ad praxin officiorum erga alios cauſa, 33. quomodo is præcaveatur, 34.
Notitia aliorum ad animum inſerviendi aliis requiſita, 32.
Notitia ſui ad præparationem ad praxin officiorum erga alios prærequiſita, 29.

O.

Occaſionem aliis inſerviendi quinam appetant, 24.
Odiſſe ſine ratione num poſſimus, 114.
Odii ratio latens quomodo detegatur, 115.
Odium pro vitio ſumtum in quonam conſiſtat, 119. unde oriatur, 130. quomodo medela eidem afferatur, 131. 132. cur a Deo prohibeatur, 91.
Odium propter diſſenſum dilectionem univerſalem impedit, 108. abſurdum eſt, 109. 111. quantum noceat, 112.
Odium in peregrinos unde naſcatur, 341.
Odium erga eos, qui fortuna, vel perfectione

ctione quadam præſtant, abſurdum, 221. quomodo vitetur, 222.
Odium minus plenum qua opinione nitatur, 127. quomodo extingvatur, 128.
Odium tacitum quando locum habeat, 129.
Offenſa an ſit injuria, 255. quomodo æſtimari ſoleat diverſimode, 256. quomodo a prædone, latrone & facinoroſo, 339. quomodo falſa æſtimatio præcavenda, 257. 258.
Offenſa amicorum qualis ſit, 193.
Officia erga alios quomodo in officiis erga nos ipſos contineantur, 36. quomodo inſint omni officio 586. quomodo iis aſſueſcamus, 8. quomodo facilitentur, 9. motivum ea præſtandi, 10. 41. quo animo præſtanda 2. 13. ut libenter præſtentur, 19. ut cum gaudio, 20. ne ſint intereſſata, 13. quomodo fiant motivum officiorum erga nos ipſos, 19.
Officii denegatio quando non eſt inofficioſitatis, 155.
Officiorum erga alios neglectus hominem maxime dedecet, 18.
Officio alios ſibi devinciendi motivum, 142.
Officiorum erga alios preſtatio unde fluat, 59. hominem Deo aſſimilat, 38. quando ſit ſpontanea, 23. quando in locum pœnæ ſurroganda, 291. quando humanitati non conveniat, 155.
Officium erga Deum ob beneficia ab hominibus in nos collata, 439.
Officium humanitatis num in pœnam denegari poſſit, 292.
Officioſitatis effectus, 161. nexus cum charitate 153. motivum num ſit conciliatio amoris alterius, 162.
Officioſus quinam ſit, 152. qualem habeat diſpoſitionem animi, 154. quando non ſit, qui alteri ſe facilem præbet in præſtandis officiis, 163.
Opportunitas in æſtimanda magnitudine beneficii non attendenda, 453.
Oſtentatio. Definitio, 555. an ſub jactantia comprehendatur, 555.

P.

Paupertas num ignominiæ ſit, 392.
Perfectio hominis intime perſpecta ad amorem aliorum requiritur, 44.
Perſonam amare, factum odiſſe quomodo poſſimus, 82.
Pius quale habeat motivum præſtandi officia humanitatis, 39.
Placabilis cuinam offenſam condonet & pœnam remittat, 303.
Placabilitas manſuetudinis comes, 298. quomodo ad eam diſponatur animus, 301. quomodo dulcis efficiatur, 311. ejus cum facilitate condonandi nexus, 302. motivum, 304. 305. ſignum, 310. deficientis ſignum, 307.
Prædones quidnam pro offenſa reputent, 339. eorum ſævitia, 340.
Præjudicium de rebus ſuis pro lubitu diſponendi, 371. quomodo eradicetur, 371.
Prælatio in præſtatione officiorum quando non officiat officioſitati, 164.
Præparatio ad praxin officiorum erga alios

Digitized by Google

alios quid ſit, 1. quam neceſſaria ſit, 3. 15. cur negligatur, 33. cum ipſa præſtatione conjungenda, 27. 28. ejus fructus, 24. 25. quod ad charitatem conducat, 60. abſolutæ ſignum, 21. deficientis ſignum, 22.
Præſtatio officiorum erga alios quando ſignum perfectionis hominis, 35.
Praxis officiorum erga alios quomodo faciliteţur, 9. qualem voluntatem requirat, 4. quod requirat animum obediendi Deo, 5. quænam ſupponat, 5. 6. 7. 29.
Praxis officiorum erga ſeipſum pertinet ad præparationem officiorum erga alios, 7.
Pretium affectionis in quantitate doni ſpectandum, 277.
Proclivitas ad vindictam num ſit licitum remedium iræ, 356.
Proclivitas naturalis ad iram num in iracundia attendenda, 320. quomodo regatur, 321.
Proclivitatis ad iram remedium, 357.
Profectus in charitate ſignum, 170.
Punitio num ſit ſignum iracundiæ, 319.

Q.

Querelarum juſtarum fons, 596. quomodo illæ tollantur, 597.

R.

Ruſticitas quid ſit, 575. ejus cauſa, 579.

S.

Sævitia prædonum & latronum, 340.
Sermo quomodo rite concipiendus, 533.
Sibi ſoli vivendum eſſe opinio abſurda, 123. quinam velint, 124.
Simulatio adverſa familiaritati, 227. opponitur ſinceritati animi, 606. quando vitium ſit, 607.
Sinceritas animi num ſit peculiaris virtus, 599. ad virtutem neceſſario requiritur, 599. an peculiare ſtudium requirat, 604. ejus oppoſita, 606. motiva, 605.
Sinceritas moralis. Definitio, 600. qualem voluntatem ſupponat, 601. ad virtutem requiritur, 602. item ad taciturnitatem & veracitatem, 603.
Sinceritas phyſica. Definitio, 600.
Stimulus naturalis ad aliorum pefectionem promovendam, 46.
Studium benefaciendi dilecto, 76.
Studium inſerviendi aliis quomodo promoveatur animo perſonam ſuam recte gerendi, 30.
Studium perfectionem aliorum promovendi unde oriatur, 56. quouſque extendatur, 57. charitatis ſignum eſt, 57. officiorum omnium fons, 59.
Studium præſtandi aliis officia ad curam animæ pertinet, 40. ad vitam perfectam requiritur, 41.
Stultitia diſſentientes odium habendi, 111.
Superbia quale vitium, 502. repugnat humi-

Digitized by Google

humilitati 503. ejus nexus cum faſtu, 504. remedium, 518. 519. 520. abſurditas, ſi quis ad munus præclarum evehitur, 514.
Superbus aliorum laudi detrahit, 596. famam lædere & lacerare non veretur, 506. alios merita laude ſpoliat, 507. alios ſe meliores contemnit, 509. 510. amat adulationem & aſſentationem, 508. invidus erga alios, 505. quando factum alterius injuriam interpretatur, 511. Deo & hominibus exoſus, 517.

T.

Tacendum quando, 550.
Taciturnitatis officium, 549. medium, 551. fructus, 552. extenſio ad ſilentium vicarium, 553. quænam vitia eidem opponantur, 554.
Talio num manſuetudini repugnet, 264.
Tenacitas impedimentum liberalitatis & miſericordiæ, 413. quomodo id tollatur, 414.
Tenacitatis in dandis eleemoſynis & ſubveniendo miſeris quosnam pudere debeat, 419.
Timiditas naturalis loquendi, 572.
Titulis nudis ſuperbire ſtultitiæ ſignum, 515.

V.

Vera amicitia medium, 180. ſignum, 180. quinam ad eam ſint habiles, 204.
Veracitas circa quod verſetur, 529. ad ſermonem vicarium extendenda, 532. ejus officium, 522. num eidem repugnet ex compacto ita loqui ut contrarium ejus, quod dicitur, ſit intelligendum, 534. num contrarietur pro logice vero venditare, quod num ſit nos ignorare novimus, 535.
Verax quænam diſcere teneatur, 523. quamnam voluntatem habeat, 541. quando logice verum loquatur, 528. quomodo ſe gerat in narrandis, quorum teſtis oculatus non eſt, 536.
Viriloquium quousque extendatur, 540.
Veritas logica cum morali cur non confundenda, 527. quando cum ea coincidat, 526.
Veſtitu ſuperbire ridiculum, 516.
Vindicta rationi adverſa, 327. cuinam dulcis, 324. quemnam pudeat, 330. quomodo facile reprimatur, 349. qualis gloria ſuperbientis, 512.
Vindictæ cupido amori univerſali repugnat, 342.
Vindictæ cupidus quando odium deponat, 133.
Virtus ad amicitiam neceſſaria, 195. quomodo dulcis efficiatur, 311.
Virtus fucata quænam dicatur, 608.
Virtutum theologicarum in manſuetudinem influxus, 362.

Vitia

Vitia quænam opponantur charitati, 120. 169. comitati, 502. juſtitiæ univerſali, 589. taciturnitati, 569. veracitati, 538. quænam impediant miſericordiam erga inimicos, 409. quosnam non pudeant, 346.
Vitia moribus approbata cur difficillime eradicentur, 347.
Vitium quodlibet num amicitiæ adverſetur, 179.
Ultio quid dicatur, 287.
Voluntas quomodo determinanda ad aliorum perfectionem promovendam, 47. 48. quomodo determinabilis efficiatur, 49.
Voluptas num ab homine ex alterius perfectione percipiatur, 45. an ſit ſtimulus ad eam promovendam, 46. quodnam huic ſtimulo vim detrahat, 46. ex alterius tædio percepta rationi adverſa, 327.
Voluptas vera ab apparente in amore aliorum dividenda, 44.
Votum quale ad gratiarum actionem pertineat, 443.
Urbani num eſſe obligemur, 573.
Urbanitas quid ſit, 573. ejus motivum, 574.
Utilitas quomodo inſit amicitiæ, 159.
Utilitatis ſuæ cauſa ne omnia faciamus, quomodo caveatur, 126.

FINIS INDICIS

Tom. V. Ethicæ.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google